





FLORVS FRANCICVS,

SIVE,

RERVM A FRANCIS BELLO GESTARVM EPITOME,

In IV. Libellos distincta.

Auth. PETRO BERTHAVLT, Presbyt. Orat. D. IESV.



ROTHOMAGI,
Sumptibus RICHARDI LALLEMANT, Illustrissimi Archiepiscopi & Collegij Societ. IESV Typographi.

M DC. LIV.





FRANCORVM ET NAVARRÆ Regi Christianissimo.

LVDOVICO IVSTO semper Augusto, felici ac victori.

OMNI hominum generi, rerum à Regib. & Principibus præclarè gestarum notitiam vtilem ac necessariam esse, ita certum est, *Christianissime Rex*, vt eâ neglectâ, nihil habeamus, vnde ad res magna & sempiternâ hominum memoriâ dignas incitemur. Cùm vero ex rerum præteritarum exemplis ea consilia petantur, quæ in futurum prosint, ad eos potissimum pertinebit, quorum ea agere interest, quæ & iis prosint quos regunt, &

quibus poſteri, ſi à recto abduci noluerint, diligenter inſiſtant. Ac mihi quidem hiſtoria ſæpe viſa vna eſt literarum nobiliſſima pars cùm ob multa, tum ob id potiſſimum, quòd eâ vnâ contineri doctrinam maximè dignam Regum cognitione ac Principum arbitrarer. Continet enim illa maximum & latè in omnem partem patentem plurimumque feracem campum, vnde illi quaſlibet rerum vtiliſſimarum fruges demetere, Illuſtrium bello Ducum facta fortia, inſignes populorum victorias, præcepta ad mores pręclara, cæteráque id genus plurima excerpere ac deligere queant. Verùm quia iis mouemur maximè quæ domeſtica ſunt, & à maioribus ſapienter facta inſtitutaque immortalem gloriam adepta ſunt; illud imprimis conſilium fuit meum, vt nō ea bella quæ ab ęxteris gentibus, ſed ea potiſſimum, quæ à Maioribus tuis fortiſſimis Principibus ſtrenuè ac fortiter geſta ſunt, in vnum

velut fasciculum componerem, vt cuilibet vltro ad manũ occurrens, non tam ea doceret, quam in iis repetendis, memoriã quasi refricando iuuaret. Cui verò commodiùs quàm tibi (*Christianissime Rex*) eorũ à quibus ea gesta sunt, vt sceptrum sic præclaras virtutes tenenti consecrarem? Florum inquam meum Francicum: imo tuum tuorúmque, cum ille tua eorúmque facta illustriora cõtineat. Florentibus pręsertim à te Galliarum rebus & exciso eorum bellorũ capite, quibus Gallia non tam ab exteris: quàm à suis ciuibus impiè lacerata conuellebatur. Tibi tot hostium, tot bellorum, tot turbarum ciuilium profligatori: vt iam spes publicè à tuis concipiatur, deuictis hostibus, bellisque ciuilibus exulatum missis, non res à Francis bello gestas, sed præclara diuturnæ pacis exempla, & instituta felicioris vitæ, ab historicis scriptum iri. Habe igitur, *Rex Christianissime*, quoniam hactenus bellis Francia re-

dundauit, Bellorum à Francis gestorum Epitomen : cui Regium nomen eam conferat, quam tibi adprecor, quamque tot egregiæ ac Regiæ virtutes pepererunt, immortalitatem.

Nannetis Kal.Iun. M. DC. XXX.

Tuæ Maiestati addictissimus
seruus ac cliens,

PETRVS BERTHAVLT,
Oratorij D. Iesu Presbyter.



ARMANDO
CARDINALI
DE RICHELIEV
DVCI AC PARI
FRANCIAE, &c.

PETRVS BERTHAVLT, Congregationis Oratorij D. IESV Presbyter, parem vbique felicitatem adprecatur.

NEC votis nec libris diuidimus (ARMANDE CARDINALIS) *quod semel ad Eminentiæ tuæ aram suspensum est, exiguum biennis ferè opusculi donum. Sed gemini mei Flori limen debuit insidere illud nomen, quod sui splendoris famâ, & rerum feliciter gestarum claritudine orbem Christianum peruasit, & latiùs in dies effunderet sese, quandiu hostes de-*

mi foriſque profligare, ac ſui Imperij fines Rex Chriſtianiſſimus, tuis innixus conſiliis non ceſſabit ampliare. Dederam in vulgus altero ferè ab hinc anno Florum Francicum: *quem denuò recuſum, tuis id eſt ſecundis auſpiciis prodire volui, qui in turbulentiſſimis & difficillimis Reipublicæ temporibus, clauo rerum, Maximo regni vſu, à Chriſtianiſſimo Rege admotus, ſecundo curſu, ſpirante æternùm felicitatis tuæ Fauonio publicam quâ omnes vehimur nauim, inter Syrtes & Carybdes, & quibus noſtra, ni caueres allideretur Fortuna, infames ſcopulos, infelicem portum deducis, vt (quod de Vlyſſe prudentiſſimo Heroe & Mineruæ, hoc eſt Sapientiæ alumno ferunt) ventos, quibus noſtra maria, excitis vndique fluctibus fœdiſſimè turbarentur, ſummus rerum maritimarum præfectus poteſtatis tuæ quaſi vtre obſtrictos videaris continere: hos premere aut laxare; hos coërcere, & quoties collibuit effundere in hoſtium claſſes: vt nuper Rupellano bello, quod tuis conſiliis ac* LVDOVICI XIII. *auſpiciis*

geſtum ac confectum feliciter eſt, conſtitit, fugatis, diſsipatis, & capta tandem Rebellium arce, officioſa tempeſtate diſtractis Anglorum roſtratis nauibus. Non onero, non offendo modeſtiam tuam (Cardinalis Eminentiſſime) *rerum deinceps continua felicitate, geſtarum, quæ ſuperioris libri fonte, velut perenni monumento, & quaſi ære inciſa ſunt, prædicationi: quamquam ſæpius iterari, ac prædicari honeſtè queant, quæ placent & iuuant. Noui etiam animi moderationem tui, vt* ad famam tuam geſtis nunquam exultes : ſed ad authorem ac Ducem Principem (vt miniſter) fortunam referas; illum defendere, tueri ; tua quoque fortia facta gloriæ eius (vt par eſt) aſſignare, præcipuum tibi ſacramentum eſſe *certo ſcio. Itaque non deſinam id voto optare, quod tu facere nunquam ceſſabis. Indefeſſo, vti hactenus feciſti, animo, Regem Chriſtianiſsimum tot & tantis aut bellis, aut grauiſsimis quæ illum vndique circumſiſtunt, negotiis intentum, tuis*

conſiliis iuua : & in curarum partem atque oneris , quod tibi vt glorioſum eſt , ita & regno vtiliſsimum eſſe debet aſſumptus ; prudentiæ ſingularis , ſcrutantis omnia & expedientis ſolertiæ, omnia aſſequentis prouidentiæ , cæterarúmque virtutum munia , Religionis, Regis , Patriæque bono , diu ſuperſtes exple. VALE.

Lutetiæ Pariſiorum Kal. Martiis.



AVTHOR LECTORI S.


Liceat mihi (*Candide Lector*) hoc Flori mei Francici initio, Flori illius Romani verbis ac sensu vti. Populus Francicus à Rege Pharamundo (quem alij Vvarmundum nominant) in LVDOVICI IVSTI annum Imperij XXII. Christi M. DC. XXXII. per ann. M. CCXXII. tantum operum pace belloque gessit; vt qui res eius legunt, non vnius populi, sed generis humani facta discant. Nam vt priscos Gallorum populos bello appeterent subiugarentque Franci, per Romanas legiones sternendum iter fuit: & barbaræ aliquot gentes, Francicæ virtutis ac gloriæ inuidæ armis debellandæ; quod ita feliciter euenit: vt appareret, magnum aliquid ausuros facturosque, qui tot inuitis victisque hostibus Imperij sui fundamenta iecerant. Versa deinde, positis in Galliâ mediâ fixisque sedibus, in exteros arma, Rhenum vltra, quem modò amnem traiecerant, Alpes ac Pyrenæos, diuersis distinctisque temporibus, Imperium propagatum est. Excitata subinde in Asiâ, Africaque Regna, Francorum nomen famamque, deuictis Religionis hostibus

altè extulerunt. Imperium mehercule per omnia felix extitisset: ni bellis ciuilibus toties exortis ac Procerum etiam factionibus attenuatum, & lacerum, dignitatis aliquid ac floris sui non nihil amisisset: *Nimirum fatalem sortem, siue mala illa sit, neque hominis, neque vrbis Imperijque fas est permutare.*

——sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere pondera gentes
Concidere has.
Nil solidum terris: centumque intacta per annos
Maiestas vix vna fuit.

In tot tamen, quibus concussa est res Gallica, tumultibus, Imperij Augustissimi Maiestatem seruauit, aliquandiu occultam, & inducta velut nube latentem, vt clariùs deinceps coruscaret. Scio ego (quid enim adeò perfectum est, quod maligni liuido dente non arrodant?) non abundè omnibus factum iri satis, ex confusâ forsan rerum serie, perturbatoque nonnunquam Bellorum ordine. Verùm illi non penitus improbent consilium meum: è turbâ aceruóque incondito, Deus bone, qualium scriptorum! optima quæque & vtilissima, in qualemcumque, facilem certè, &, vt arbitror, nostris hominibus nouum ordinem composuimus: & si non pauca ad mentem, saltem aliqua ad voluptatem, ad veritatem certè, quantùm fieri potuit, omnia produximus. Bel-

la ſunt, aut bellis res agnatæ: hinc Hiſtoriæ, ac noſtri forſan laboris tenebræ denſiores; quas nihilominus perrumpere pro virili contendimus, etiam in operis breuitate lumine orationis accedente. Quod vt fieret facilius, & cuilibet promptius occurreret; in hoc breuiſſimo compendio, compendium reperimus; vt vel primo libelli aſpectu, tota rerum geſtarum ſeries in partes diuiſa ſuas, haberetur.



INDEX CAPITVM ET RERVM FLORI FRANCICI.

LIBRO PRIMO hæc continentur.

PROLOGVS.

LIBRO SECVNDO haec continentur.

LIBRO TERTIO hæc continentur.

LIBRO QVARTO haec continentur.

APPROBATIO.

NOs subgnati Doctores Theologi Parien. legimus attentè; atque vltro approbamus librum, cui titulus est, FLORVS FRANCICVS, seu Rerum à Francis Bello gestarum Epitome. Auctore R. P. P. BERTHAVLT Presbytero Congregationis Oratorij IesuChristiDomini nostri quippe in quo mihil reperiatur contrarium fidei Orthodoxæ & Romanæ, neque bonis moribus, sed qui paruò volumine atque eleganti stylo longam gentis nostræ.ac fidelem historiam contineat. Ad fidem obsignauimus. Die 17. Septembr. An. M. DC. XXX.

ROVSSE.

E. CHASTEAV, Carmelita.

De Floro Francico.

ODE.

CEdat vetuſtas: Iliadem leui
Nuci inuolutam, Callicratis manum
Myrmecidiſue, aut ars, cœlos
Orbe Syracuſio rotari
Stupere ceſſet: prodigia hæc breui
Cedunt libello: Franciadum refert
Decúſque pugnáſque: & biennis
Sæcula dat duodena FLORVS.

M. G. O. P.

AD AVTHOREM FLORI Francici.

CLauſa forent gelido Francorum geſta ſepulchro,
Francus & obſcura nube lateret honos.
Ni tumulo, & denſa merſam caligine famam
Franciadum erueres, fortia facta docens.
Quantùm iſtis Ducibus, tantùm tibi Franciæ debet:
Debet & Hectoridum fama ſepulta Ducum.
Floruit hæc Regum geſtis: ſed geſta libello
Bella vident Reges iam rediuiua tuo.
Quâ Regum floret gloria, gentis honos!
At tua quàm maior BERTHALDE hæc fama, biennis
Cui peperiſſe poteſt præmia tanta labor.

M. GVYONIVS.

IN FLORVM FLORIDISSIMVM Doctissimi P. Berthaldi Oratoriæ Societatis Preb.

EPIGRAMMA.

SI cupis æternam florum decerpere messem,
Et varias prati luxuriantis opes.
En tibi BERTHALDVS *florentes explicat hortos.*
Diuus vbi ætherio nectare spirat odor.
Ille dabit Flores *inscriptos nomina Regum,*
Et quæ diuino Lilia *rore nitent.*
Quid lauros igitur Berthaldo hederasque virentes
Teximus? ipse sibi præmia vera dedit.
De Floro *varij serpent per tempora Flores,*
Et florum æterno viuet odore liber.

A. REMMIVS.

MEL DE PETRA seu DE PETRO Flori Francici, Flori veteris æmuli, Authore.

AD LECTOREM.

Cur ego mirarer Flores, si Florus vterquè
Proferat? insolitum præbet vterque nihil.
Id mirare magis, de Petra surgere Flores,
Queis Hyblæa vagum Musa mel agglomeret:
Floreus *hoc præstat* Petrus *æquè ac* melleus, *vt sit*
Melle *satur, sua quod* Florida Petra *dedit.*

De eodem Oratorio-Historiographo.

Cum bene conueniant, & in vna sede merentur,
Oratoria *vis & soror* Historia.
Iure quidem meritò Flos Oratorius *ille*
Debuit & fieri Flos *simul* Historicus.

IO. ALBVS Pr. Becodianus.

FLORI ROMANI CVM *Francico Parallelus.*

FLoret inexſtinctâ FLORI per ſæcula, Famâ
Romula qui paucis prælia claudit, opus.
Floret, & exiguo debet Romana libello
Gloria, & anguſtas ſuſpicit orbis opes.
Quâm plus Franca tuo debet Republica FLORO,
Qui memorat Ducibus prælia geſta tuis.
Ille Quirinorum ſeptem per ſæcula pugnat,
His habet Hectoridum per duodena Ducum.

G. Felix. O. D. I. P.

IN FLORVM DOCTISSIMI VIRI PETRI BERTHALDI *Oratoriæ Societatis Presbyteri.*


EPIGRAMMA.

ITalia Florem Florum gens Itala quondam
Extulit in cœlos, & ſuper aſtra tulit.
At modò Francorum gens multò cultior illâ
Berthaldi Florum, tollit in aſtra Petri.

Hunc confer florem, Lector, florebit in æuum
Marceſcet nullo tempore floris honos.

Francicus hic noſter flos delibatus & auctor
Italiæ Florum non ſinè Flore docet.

P. Valens Prof. Regius.



FLORI FRANCICI
LIBER PRIMVS.

PROLOGVS.



RBEM terrarum victor gentium populus tenuerat diu: sed gliscente superbiâ & auaritiâ imperantium, sensit futuræ mox cladis præsagia, tumultuantibus hinc inde populis, quos aut superbæ dominationis fastus commouerat, aût spes libertatis accenderat: donec anno orbis circiter MMMMCDXX. Vrbis conditæ MCLXX. Christi CDXX. HONORIO & ARCADIO Imperatoribus, diuidi maximè cœpit ac lacerari tam potens tamque formidolosum imperium: vt quæ gens multorum res deprædata fuerat, multorum vicissim populorum præda fieret. Inde tanquam ex corrupto cadauere, multa imperia enata sunt. Inuasit Hispa-

Vid. Bop. ign. l. 2. Rom. Pr. initio pag. 502.

A. C. 408.

A. C. 412.

nias Sueuorum, VVandalorum, Alanorum, Gothorumque immanissima gens. Ab his, addito Hunnorum ac Longobardorum furore, Italia gentium regina deuastata, grauissimas pœnas dedit. Nec defuerunt Galliæ hostes, eam partem nobilissimæ regionis, quam superiorem inferioremque Bur-
A. C. 413. gundiam appellamus, Burgundiones occuparunt, Regnumque diu florentissimum, cui Lugdunensis tractus, Delphinatus, Sabaudia, Prouinciaque annexa fuit, capite gentium Arelato constituerunt. Narbo-
A. C. 414. nensem Gothi insederunt, quam Gothiam primùm, mox Languedokium quasi dicas Gothorum linguam, vocitarunt. Inde
A. C. 383. & 475. Britonum, Pictorum, Normanorumque furor Europæ grauis incubuit. Nec minores turbæ Orientales plagas aliis, aliisque temporibus conuellunt: Mahumetis Barbaries, Sarracenorum, Turcarum, Tarta-
A. C. 632. rorumque sæua gens, Asiam, Africam, Europamque penè omnem, maximi incendij latè cuncta depascentis instar, fœdissimis flammis corripuit. FRANCI Germaniæ, vt volunt, populi; Gallias subinde diuersis temporibus ingressi, eiectis tandem ac domitis barbaris nationibus, quæ ibi consederant, Romanisque ipsis, quorum aliqua inter tot tumultus imperij vmbra relicta fuerat, exactis, Regni pulcherrimi fundamenta posuerunt PHARAMVNDO primo Francorum Rege: quem licet absentem, nec interioris Galliæ fines ingressum, authorem tamen ac fundatorem

Francici imperij appellabimus. Huius & sequentis Regis partus (vt imperiorum esse solent) initia: quæ Merouæi ac Clodouæi potissimùm virtutibus adeò creuerunt; vt fide Christiana imbutum ac temperatum imperium, omnium primum, & maximum breui fore cæteræ gentes facilè crederent.

CAPVT PRIMVM.

Franci ante Pharamundum, siue Francorum origo.

GENTIS bello strenuæ, factis inclytæ, virtute insignis, fortunâ mirabilis, regno ac regibus felicis originem primam euoluere, arduum ac difficile est. Troianæ stirpis & Francionis Hectoris, vt somniant, filij nomine, sibi nonnulli liberiùs quàm veriùs blandiuntur: cùm euersa à Græcis patria, ad Mæotim paludem primam, inde Pannoniam aliquandiu insederit: ac tandem traiecto Rheno, Galliam omnem sui iuris fecerit nobilissima victæ gentis Colonia: vt illos Poëtis, non Historicis scribendi argumentum præbuisse dicas. Nec desunt qui Francos eorum nepotes fuisse asserant, qui Brenno duce capta Roma, euastata Græcia Thraciaque, ad Danubij ripas consedere: mox aucto viribus ac ditione imperio; Francos se appellauere, quasi dicas feroces ac

Bel-layus *Annon* *Gaguin* *Rorf.* *Iornand hist. Goth.* *Agath. 1. Iust. 32.*

Pontan. l. 3. c. 1. liberos, vt iam prædiximus, cùm antea variis nominibus Scordisci, Ansuarij, Salij, Sicambri, vacitarentur. Nec eorum penitus *Greg. Tur. de Clod. 1. l. 24. c. 37.* reiicienda est coniectura qui ab armorum vsu, quippe qui hasta quam Francescam vocabant vterentur, Francos appellari putant. Quidam è Scandinauia peninsula, nam *Tur. in Adu.* Europæ continens est, oriundos contendunt, eosdemque esse confirmant, quos *Hottom. c. 3.* Geographi Firassos vocant, ac Francos legendum censent: sunt etiam qui Franco- *Francog.* niam genitalem, & primam gentis Francorum sedem crediderunt. His tam diuer- *Bodin.* sis de Francorum origine scriptorum opi- *Procop. l. 1. belli Goth.* nionibus præmissis: quid tandem certi statuemus? ex eâ nimirum Regione ortos, vbi primùm Romanis innotuerant, quæ *Vopis. in Probo* inter Albim & Rhenum interiecta Oceano alluitur: vbi fere Chauci, Chamaui, Catti, *Eum. Rhet.* Caninefates, Sicambri, & Frisij collocantur, pópulus inter Germanos nobilissimus, *Hottom. ibid.* quique magnitudinem suam iustitia tueretur, Batauorum regioni finitimus. Horum *Trebell. Pollio in Gall.* autem virtus, ante fundatum à se diu imperium, rebus fortiter gestis enituit: nam à Romanis vltrò asciti euocatique in bar- *Socr. l. 2 c. 10. & 13.* baros magna gesserunt: vt signis militatibus, & disciplina, armis etiam Romanis assueti, hoc velut præludio, in castris Romanis vires experirentur, quibus mox ipsos appeterent: hi cùm primùm suam ditionem propagare latiùs incœpere, non Germanorum modò, sed etiam Romanorum armis crebrò ac frustra pulsati sunt.

Nam Gallieno Cæſare Celtis operam ſuam præſtitêre: qui cum Principem luxui ac voluptati impensè deditum ferre non poſſent, vt *ſubditi non tam vitia principum quàm Imperia ferre poſſunt*, rebellarunt, ac Poſthumo Galliarum præfecto audaciùs quàm felicius pugnanti adhæsêre. Hinc Romanis ioco fuit Gallienus Triumphum agens, ſimulatis ante currum gentibus Gothis, Sarmatis ac Francis, qui vel inuito Cæſare, Poſthumi vires confirmauerant. Vbi incredibili quadam mentis væcordiâ, ferocior aliquantò factus eſt; quaſi viciſſet qui ecaſerat. Aurelianus etiam imperator Francos in Galliam irruentes arcuit, & apud Moguntiacum afflixit; quæ victoria tumultu magis quàm virtute comparata, tantùm non ardorem extinxit, vt auxerit accenderitque. Nam Probo imperatori grauiſſima bella mouere; & à Conſtantino Magno, territi magis quàm proſtrati, Romana ſigna ſequuti, in Maxentium Liciniumque, ac Iuliano rerum potito in Perſas, egregiè depugnarunt. Conſtat etiam Valentiniani temporibus, cum in Panno-niâ nondum imperator ageret, floruiſſe Francos, eoſque factis illuſtribus inualeſcentes impune vidiſſe & toleraſſe. Per idem fere tempus ſub Conſtantio Conſtantini Moſſio Francorum florebat multitudo imperatori grata; *plerumque enim Principes eos amicos aſciſcunt, in quos pro arbitrio ſæuire nequeunt.* Cæterùm Franci ante conditum in Gallia Regnum Reges ſeu potius

Fl. l. 4. c. 12.
A. C. 270.
Paneg. Conſtantio.
Vopiſc. in Aur.
Soſ. l. 6. hiſt. c. 6.
Am. Marc. l. 15.
A. C. 307.
Eutr. l. 10.
Euſeb. in vita Conſt.
Eumen.

in Paneg. Duces habuere præcipuos Ascaricum & Radagisum, quos à Flauio Constantino, vt *Cedr.* clarum est ex libro superiore, victos, *Greg.* bestiisque barbaro more damnatos, effossis *c.9.l.2.* primùm oculis fuisse tradunt; Mellobaudem, Richomerum, Theodemarum, Marcomirum ac Sunnonem: his Stilico egregiæ quidem virtutis, sed improsperæ tandem fortunæ Dux, bellum intulit, vicitque. Marcomirum Pharamundi patrem in *A. C. 400.* Thusciam captiuum abduxit: Sunno magis ob segnitiem non vindicatæ fratris iniuriæ à suis interemptus est; quam quod se vltorem infamiæ fraternæ polliceretur.

CAPVT SECVNDVM.

Francorum ex casu ortus.

Flo. in Prolog. Boëtius in Consol. Ph. Sen. Epist. 92. VT hominum sic imperiorum infantia quædam est & senectus: nimirum quia *nihil est tam compositæ felicitatis, vt non aliqua ex parte cum status sui qualitate rixetur: nihilque inausum fortunæ; aduersus imperia idem habet ius, quod aduersus imperantes: quæque domesticis steterant bellis; quæ externis regna, nullo impellente inducta velut senectute exhaustis occultè viribus ruunt.* Habuit imperium Francorum sub Pharamundo, & cæteris ad ccc. circiter vsque annos, infantiam & pueritiam. *Aur. Vict.* Adoleuit sub Carolo Magno, cuius stirpem

vltimam, vt *virtutibus principum res attolli facilè vel affligi possunt*, orta ex luxu segnities corripuit: eámque felicibus euectam auspiciis maiestatem, tenui exitu obscurasset, nisi eam Capeti virtus, in virile robur ac decus restaurasset: ac lætissimis rerum successibus auctam, viris ac regibus claris imprimis instructam confirmasset. Afflictum deinde ab Anglo malis frequentibus, penéque confectum bellis ciuilibus ob religionis sensum exortis, in vltimæ senectutis fines peruenerat; cùm ab HENRICO MAGNO cœpit reuirescere. Sub cuius filio LVDOVICO XIII. verè IVSTO, capta RVPELLA, Rebellionis arce prostrata extinctis factionum tædis, ac recisis teterrimæ Hæreseos hydræ capitibus, magis magisque efflorescit. Ita *placuit fato, nullius rei eodem semper loco stare fortunam. Nihil mutationis periculo exceptum: non terra, non cælum, non totus hic rerum omnium contextus, quamuis Deo agente ducatur, non semper tenebit hunc ordinem, certis eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui.* *Sen. Consol. ad Hel.*

CAPVT TERTIVM.

Bellum Gallicum primum.

FRANCI CLX. annis (tot enim ferè à Gallieno, quo imperante primùm Galliarum fines armis infestasse legimus ad

Beat. Rhen. Lupan. Pont. Honorium imperatorem effluxerunt) variis subinde incursionibus Galliam fatigauerant; tandem in eâ Germaniæ parte, toties à Romanis exturbati, sedes posuere, quæ ad Rheni ferè ostia pertinet, in Tenctheris iuxta Chaucos & Chamauços veteres Sicambrorum terras, vsque ad Mœnum & Salam fluuios, Cattorum locis aliquot occupatis, vt faciliùs & commodiùs Gallos finitimos bellis quotidianis lacesserent: hodie Zutphenos, Drentenos, Thuentenos, Frisios qui Sicambri maritimi fuerunt, appellamus. Nobilissimæ prouinciæ aliquando occupandæ auidissimos Francos hæc demum occasio euocauit, iuuitque insigniter. Auitus Galliarum præfectus, Lucij viri Consularis vxorem stuprauerat; is vehementer indignatus probrum, iram animo tegit, ac in vindictam acceptæ ignominiæ, Francis tacitè accersitis Treuerorum vrbem munitissimam quater ab eisdem expugnatam tradit. Inde Romana præsidia facilè expellunt Franci, & victis humanitate magis quàm vi armorum populis, imperare cœpere: quò facilius fuit gentes finitimas mitissimæ dominationis genere allectas imperio suo adiungere. *Inuisum mehercule vel ipsis etiam hostibus omne proditorum genus: hoc scelus execrantur hostes ipsi, nec bonum iis fere quibus bono* quodque vsu euenire solet *etiam iis quos anteponunt inuisi sunt proditores.* Dedit pœnas easque graues conspirationis huius Lucius, etiam ab iis quos vltrò asciuerat. Nam interiectis aliquot

A. C. 407.

Aimon. l.1.c.3. Greg. Tur.l.2 Salnian. Massil.

Tac. 1. ann.

mensibus, diffisi ei qui publicam fidem fefellerat, ne mutatus idem Francis quod nuper suis, machinaretur, eius castra Franci repente inuadunt, ac secutum ab hostibus Lucium semisopitum obtruncant, haud dubiè nihil tale mutuentem aut expectantem: vt credas vltores Deos tantæ fortunæ proditorem, celeriter debita pœnâ persecutos.

CAPVT QVARTVM.

Pharamundi inauguratio.

PHARAMVNDVS Marcomiri filius, ad imperatorem Iouinianum in Pannonia natum, maternum genus referens, imperio certè dignus, & vsu rerum multarum tantæ molis capax, militari scientia & statura corporis, sed institiæ imprimis studio insignis, in Regem hoc modo inauguratus est (nam ante hunc, Duces Francorum sæpius quam Reges reperies:) cùm primum otium gustare licuit, vt *miles fatigatus proximum quemque fructum, finito tandem labore expectat*, Francis iam multo labore fractis, veterani missionem efflagitarunt, iuuenes stipendia, cuncti simul ærumnæ modum. Itaque conuentu habito Treueris in palatio Constantini, placuit primoribus Regem vnum omnium suffragiis cooptari, cui Francici imperij summa, velut perpetuæ dictaturæ potestate defer-

PHARAMVNDVS REX, *Forcat. l. 5.*

Curt. l. 9

retur. Nec diu cunctarum est; nullo non Pharam undum deposcente: cui in honorem virtutis & moderationis opinionem, Regnum vltrò datum. Sic bonis auibus in eo viro Franci Regem accepere: anno Christi circiter CCCCXXI. quo ferè tempore Scotorum in Maiori Britanniâ Regnum pariter institutum est. Tum Valentinianus Tertius, qui Honorio nuper vita functo successerat, cæso Rauennæ Ioanne præfecto prætorio qui imperium inuaserat: Ætium Patritium Rom. virum consilio & manu eximium, Galliis præfecit: nonnulli Castinum ab Honorio ea præfectura donatum putant; vt Francorum vires ac impetus, ne latiùs diffunderentur, virtute coërceret.

A. C. 421. Paul. Diac. l. 14. Zosim. l. 2.

CAPVT QVINTVM.

Leges Salicæ.

Pharamundus Rex.

SVVS *cuique genti ritus, suum cuique ciuitati ius augustum sanctumque est: nihilque vitæ hominum ad felicitatem comparandam vtilius quàm leges, iustitia & pax.* Nam vt armis quæruntur vrbes & ditiones, ita legibus gubernantur. Pharamundus idem Regni author & legum, easque quò magis Francorum animis altiúsque figerentur. Numam secutus ad aliquod numen retulit perfecitque, vt à ciuibus reuerentia ductis & attonitis audirentur ad-

mitterenturque: quasi eas dictante Marte, cuius numen anxiè venerari solebat, excepisset. Hinc forte Salicas appellauit ab eius nimirum Sacerdotibus qui Salij dicebantur? quanquam multi dictas Salicas existiment à Saliis Francorum præcipuis populis, quibus id nominis inditum putem, quod Salam qui Albim intrat, siue Isalam fluuium Franci diu incoluerint. Ferunt etiam Gentem Francorum inclytam, antequam fidei Christianæ sacris imbueretur, ipso imperij nobilissimi exordio, dictasse Salicam legem per proceres gentis ipsius: vt quæ res ad omnes pertineret, omnium velut ore ac sensu firmaretur, ac delecti quidem VVisogastus, Arbogastus, VVindogastus & Salogastus, à quo vltimo dictas Salicas ineptè aliqui suspicantur. Sunt qui à Pharamundo dictas putent, quem Salicum cognominant. Nec desunt qui à sale nuncupatas contendant, quasi fuerit ea lex condimentum vitæ melioris apud Francos, qui ante incompositè viuerent. Ea demùm fuit sententiarum varietas, vt & nonnulli Salicam legem corrupta literula pro Gallicam irrepsisse affirmarent. Vt vt sit, Salicæ leges siue sua vi, siue instituto sanctissimo, & hactenus per mille ac ducentos annos obseruato, magnum Franciæ ornamentum, insignemque præ cæteris orbis imperiis dignitatem pepererunt: vt non mirum sit, si Francorum regnum tam bonis fultum & talibus subnixum fundamentis, tot sæculis floruerit ac durauerit, vt illud nulla

Fort. l. 2. Gag l. 1. A. C. 422. Pont l. 2. c. 8. Autor. præf. Leg. Sal.

Sigeb. in Chron. Otto Frinsing l. 4. Car. Mol. Gag. Seselius.

Pharamundus Rex. externa potestas quantacumque fuerit, quantumuis foret domi seditionibus agitatum, lædere potuerit: quippe quod non dubio aut incerto rectore regeretur. Harũ legum eam esse potissimam accepimus, hoc ferè sensu conceptam: NE QVA FŒMINA REGIBVS SVCCEDAT, SED AD PROXIMVM AGNATVM MASCVLVM SCEPTRVM TRANSEAT. Indignum certè regia maiestate visum fuit, vt pro fuso & colo, fœmina tractaret lanceam. Quæ lex graues nonnunquam mouit controuersias, alioqui æqua; sancta & prospera: sed stetit illud positum æterna ac immortali lege. *Sit procul à sceptro Francorum Fœmina Princeps; cuius non imbecillis & imbellis tantum sexus, sed si licentia adsit, sæuus & ambitiosus.* Prodigio simile est *non nocuisse vlli Fœminam, & fortunam habuisse nocendi.* Contendant Hispani *nulli præclusam esse virtutem; omnes admittere, nec censum, nec sexum legere.* Britanni illi veteres quibus solitum fuit Fœminarum ductu bellare: non Regno modò, sed & bello præficiant Germani, & inesse iis sanctum aliquid ac prouidum putent; per Francos licet, qui natura ipsa iubente, ac lege sua sanciente, id defendunt, *quidquid masculum, natura magis factum ad imperandum fœmineo.*

Agath. l. 1.
Bald. in Paud
Tac. 3. ann.
Ouid. ad Liu.
Tac. in vit. Agr. & de mor. Germ.
Arist. 1. Polit.

CAPVT SEXTVM.

Bellum Gallicum secundum.

FRANCI electo in Regem Pharamundo, bellum in Celtas, (nam Belgarum iam pars maxima imperio inuictæ gentis adhæserat) gerunt. Erat dux Hostium Val. Cauarinus Parisiorum & Senonum Regulus, vt ætate, sic in suos authoritate ac maiorum gloriâ conspicuus: is post inuocatos iniuriarum vltores Deos, quippe Franci cuncta late populantes, ne à sacris quidem abstinebant, suorum animos publica rerum suarum clade perculsos adeo accendit, vt victoriæ securi in aciem prosilirent. Nihil vtrinque prætermissum, quò in magnam rei fortiter gerendæ spem erigerentur; his aræ, foci, fortunæ, liberi, illis gloria præda, & quæ victoris sunt cuncta, occurrebant. Clodioni Pharamundi filio sua virtus hoc bello ostentanda fuit, vt non tam patrio iure ac lege, quàm factis præstantibus regnum adeptus mox diceretur. Iamque vociferatio & cantus & tripudia Gallis assueta prælium prouocabant, cùm dato pugnæ signo; infectis animis concursum est. Galli ex essedis per omnes latè partes prouolantes, terrore equorum, & strepitu rotarum Francos consternabant: mox Equitum turmis immisti, desilientes è carpentis pedites præliabantur. Sed cæso

Pharamundus Rex. *Forcat. l. 5.* *A. C. 42.* *Pharamundus Rex.* *Liu. l. 8.*

iii acie Rhodanico Gallorum ferocissimo; creuit Francorum animus ac victoriæ spes haud dubia. Leui vulnere affectus Clodio, perterritos Ducis sui fortuna ordines adeo turbat, vt dissipati ac palantes facilè cæderentur. Fama est Pharamundum viso Clodione filio, multo sanguine illito & puluere sordidato exclamasse. *Non esse tutum Francis aduersus Gallos decertare, quorum se posteros agnoscerent.* Quare actum de pace, vt Franci à Gallis vltro admitterentur. Hoc pacto pudor victis, victori superbia detrahitur. Iuuit rem fortuna: nam Polyena Cauarini filia Clodioni nupsit: quo coniugio Franci Gallis vtriusque Parentis ac popularium gaudio, quasi ex longinqua peregrinatione reduces iterum coaluere: ac breui Patre soceroque annitentibus, Francico ritu clypeo impositus, vibratusque à Tribunis Præfectisque Rex salutatus Clodio, regnum accepit vtriusque Gentis summo assensu ac plausu.

A. C. 430. Turon Aimon. Sigeb.

CAPVT SEPTIMVM.

Rebellio in Francos.

Clodio Rex. A. C. 431. Gillius

SVBLATO è viuis Pharamundo post decimum circiter Regni annum, quasi cum eo leue adhuc Regni ipso sui initio pondus corruisset, subiugati Germanorum ad Rhenum & Belgarum plerique rebellionem agitarunt: nullis nouis causis, nisi

quod *Mutatus princeps licentiam turbarum, & ex bello spem præmiorum ostendebat.* Horum motus repressit Clodio, quem Crinitum seu Capillatum vocant; celeritate incredibili ac felicitate; succinctus exercitu, quem non multitudo incondita, sed virtus commendabat: neque enim plusquàm xx. armatorum millia fuisse in armis constat. Fama est Schaldim fluuium, Belgarum sanguine rubentem & exundantem visum: quod non Regis aut Francorum crudelitati, sed victæ nuper gentis pertinaciæ adscribendum putem: quæ quamuis victa vinci ac parere indocilis, subinde rebellabat. Initium cladis à Cameraco & Tornaco clarissimis oppidis, quæ militari licentia direpta sunt. Victor Clodio ita demùm perfecit ingenita sibi ac genti Francicæ humanitate, vt omnibus amabilis, in pace comis. in bello strenuus, vtrobique summa moderatione excellens, dignus imperio censeretur: *Quippe qui non metum ex crudelitate, sed amorem ex bonitate ciuium suorum animis instillaret*, comitate & alloquiis officia prouocans, hic sedem Regni sui constituit Dyspargi primùm, quod intra Vazaliam & Dysseldorpium situm oppidum est: sed capto, vt dictum est, Cameraco, auctis Regni finibus ibidem Regiam suam collocauit.

in Clod.
A. C. 132.
Tac. ann. I. & hist. I.
Forcat. l. I.
Herod. l. I.
Aimon.
Ado.
Vienn.

CAPVT OCTAVVM.

Bellum Gallicum tertium.

A. C. 433. Paul. Æmy. FRANCI Clodione Rege Galliam secundo tentarunt: non spe magis prædæ, quam feracissimi soli vbertate illecti. Coactis igitur immensis copiis, iam desidem dudum Romanorum socordiâ Principum, materiem ac fiduciâ barbararum gentium audaciæ subministrante, finitimos agros peruastabant: cùm furentibus, & omnia passim bello populantibus VVandalorum, Burgundionum, aliorumque conflatam ex prosperis rebus inuidiam, Stiliconis, vt volunt quidam vafrum ingenium opposuit. *Nunquam eminentia inuidia carent: insita quippe mortalibus natura recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere, modumque fortunæ à nullis magis exigere quàm quos in æquo viderimus.* Primi belli in tot fœderatos impressione, Regem Godegesilum cæsis xx. hostium millibus profligarunt. Verùm crescente in dies Barbarorum multitudine, his impares Franci, redire suas in sedes coacti sunt. Reddita Stiliconis virtuti parum digna merces! vt *Optima quæque consilia factaque in vitium detorquentur*: inuasit Honorium imperatorem affectati ab eo imperij suspicio haud leuis: itaque eius iussu vna cum Euchrio filio obtruncatur. Stiliconi exitium peperit nimius in eum

Clodio Rex. Serr. Paterc. l. 2. Tac. 2. hist. Oros. l. 7 Sozom. l. 8 Zozim. l. 5.

militum fauor & proxima imperio digni- *A. C.*
tas. *Adeò periculosum est iuxtà principis no-* 434.
men attolli. In eius locum ac præfecturam *A. C.*
Ætius Patritius, (vt iam dictum est) suc- 435.
cesserat. Hic Burgundiones Romanorum *A. C.*
fines infestantes acie vicit; ac Gundica- 438.
rium Regem sua manu occidit, tum pace *Paul.*
supplicibus datâ, Britones, Armoricos, *Diac.*
Gothosque in Galliam Narbonensem *l.14.*
irrumpentes per Litorium Celsum debel- *re Ro.*
lauit: pari felicitate Francos iterum Gal- *Cassiod.*
lias petentes afflixit. Helenes oppido, ac *Clodio*
propinqua Rheno parte receptis: cum *Rex.*
enim Franci nuptiis intenti liberius & osci- *Sidon.*
tantius rem agerent: hos ex improuiso *Apoll.*
Ætius oppressit fugauitque, cum Maiora-
no, eumque impetum repressit, qui po-
steà sub Merouæo Rege reparatus exitum
prosperiorem sortitus est, vt dilata magis
quàm sublata redeundi cupiditas videretur. *A. C.*
Itaque re infecta Clodio exercitum com- 448.
parabat, cùm immaturo fato præuentus, *A. C.*
magno Francorum desiderio hominem 449.
exuit; nullis (vt volunt aliqui) relictis liberis
vigesimo circiter quinto imperij anno.

CAPVT NONVM.

Bellum Gallicum quartum.

THEODOSIO II. & Valentiniano ME-
III. Imperatorib. Diuisum imperium, ROV-
barbarorum vndique incursionibus vexa- ÆVS.

FRANCOR. REX. tum est, intestinis etiam discordiis proscissum, vt nimirum defessi & exangues Romanæ quondam dominationis Principes; Regibus ac nationibus exteris prædæ forent: aliter non orbis terrarum, neque cunctæ gentes mouere aut contendere hoc imperiũ potuissent. Vix credas quàm spissæ nubes, quàm densæ hic tenebræ Historiæ Francicæ monumenta circumfundant! Illa nimirum res, quæ testis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, vitæ magistra, nuntia vetustatis est: fallax, & confusa obscura, fluxa & incerta, titubans, fabulosa, ac, propè est vt dicã, mendax, tot pugnantibus factis, tot fabulis anicularum, tot cõmentis ac deliciis somniantium referta est, vt quanquã fides omnibus non detrahatur, de singulis saltem dubitare possimus. Nam Merouæum Clodionis dũtaxat consanguineum aut necessarium, quidam filium, sed nothum faciunt! Auberanum, Regínaldum & Rencarium Clodionis filios impuberes in Belgas audito Parentis excessu, concessisse: quibus cum bella aliquot, gessisse Merouæum somniant: ac tandem vt Regno potiretur Iugurthinis grassatum artibus & insidiis Merouæum deprehensos oppressisse ferunt. *Natura quippe mortaliũ auida imperij, & præceps ad explendam libidinem*: præterea, suæ ac pupillorum ætatis opportunitas accendebat, quæ etiam mediocres viros transuersos agit: adhæc, studia Francorum in Merouæum accensa: omnibus enim ita charus extitit, vt ab ipso

Crisp. ad Cæs. 5

Greg. Tur. c. 9 c. 2.

Aimon. c. 6. l. 1.

Abbas Vsperg.

Merouæus. Rex. A. C. 450.

Sall. Iug.

ad Carolum Magnum Merouingi in Francia Reges appellari cœperint. Ita domi ingens, in bello fortis præstantibus factis enituit, cuius initio principatus, vt virum bellicosum & pugnæ imprimis auidum Regem fuisse intelligas, Franci felicioribus quàm antea auspiciis ac successibus in Gallias eruperunt. Captis quà vi quà deditione non Belgarum modò, sed interioris Galliæ oppidis, ad agrum vsque Parisiensem munitioribus, Regionem omnem spe & animo inuaserant: Barbaris gentibus in Romanorum prouincias late effusis. Huic comprimendo Ætius (cui nuper abrogatum fuerat imperium *ob metũ maioris alicuius potentiæ, quæ vt plurimum vim principatus resoluit*) à Valentiniano iterum cum ingentibus copiis missus est. Sed vt *momento, rerum motes maximarum plerumque casus aut fortuna vertit*, ex hoste, socius ac fœderatus repente efficitur. Itaque Merouæum amicum non hostem habendum esse ratus, pace cum Francis ac Gothis inita, Auito Galliarum præfecto annitente, communibus copiis opibusque, orbis vniuersi hostem Attilam Hunnorum Regem persequutus, rem Francicam promouit vel maximè: Romanam verò & Gothicam debilitauit. *Habet scilicet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis, ex aduersis secunda nascantur.*

Fore. l. 5. Sido. Paneg. Auiti.

Plin. Panegy. Trai.

CAPVT DECIMVM.

Bellum Hunnicum cum Attila.

Merouæus Rex. Am. Marc. l. 31. Agach. l. 5. Paul. Diac. Misc. l. 15. Iornandes, Forcat. l. 5.

HVNNI (ea gens veterum monumentis leuiter nota, sola morum immanitate, ac orbis vastitate insignis, ab vltimis Mæoticæ paludis, Scythiæue aut Glacialis Oceani partibus profecta, vaga sine sedibus fixis, absque lare vel lege aut ritu ac religione, brutis animantibus per omnia quàm hominibus propior aut similior) cùm antea Valentis imperatoris temporibus Romanorum prouincias euastassent; assumptis secum Barbarorum aliquot Regulis VValamire Ostrogothorum, Andarico Gepidarum; Germaniam omnem, Galliam, Italiam, donec in Pannonia tandem considerent, hoc tempore populantur. Horum Rex Attila cognomento FLAGELLVM DEI, Bleda primum fratre trucidato, eiusque ditione occupata, Dacia, Mysia ac Thracia regionibus subiugatis, ad euertenda Occidentis Regna animum ac vires adiecit. Itaque collecta ex Asiæ finibus ingenti Barbarorũ multitudine (nam quingenta hominum millia in armis habuisse dicitur) vastatis omnibus qua iter ad Rhenum fuerat regionibus, eoque scaphis facilè traiecto, cæsis Burgundionibus eorumque Rege Gundicario, Eburonibus, Tungris, Mediomatricibus ac Remis, aliis-

A. C. 451.

que ciuitatibus solo adæquatis, Galliam omnem in anceps ac præruptum periculum adduxerat. Iamque premebatur obsidione graui Aurelia, & propè erat vt partim ciuium deditione, partim Singibani Alanorũ Regis proditione caperetur: cum Theodorici Gothorum Regis, ac fœderatorum Principum opportuno aduentu, obsidionem soluere coactus est. Fugientem Merouæus cum fœderatis persequitur: præmissisque, vt se dabat res, leuissimis pugnis, tandem vtriusque exercitus viribus in agro Catalaunensi eo in loco qui Mauriacus dicebatur, pugnatum est, magnis animis & copiis, maioribus ducibus, ancipiti diu prælij exitu: donec inclinante confœderatis fortuna, Merouæo potissimùm fortiter depugnante, amissis supra CLXXX. armatorum millibus, pulsus tandem magis quàm victus Attila, euastata Italia, Aquileia excisa penitus, cuius ruinis nobilissima Venetiarum ciuitas creuit, Mediolano, Ticino aliisque oppidis euersis; abacta ingenti præda, in Pannoniam remigrauit, quam ab Hunnis & Auaribus vt volunt permixtis, Hungariam appellauit. Cecidit in acie Theodoricus Gothorum Rex, opportunâ Francis morte; quibus ille Romanis legionibus Ætij coniunctus, haud dubiè nocuisset. Verùm inuadendæ penitus Galliæ validus obex supererat in Ætio. In eo propè vno hærebat Francorum felicitas deprehensa: quo sublato velut effracta ianua, liber erat & facilis ad cætera aditus. Hunc

Sidon. Car. 7. Panegy. de Anito.

Greg. Tur. hist. Fr. l. 2. c. 7.

Cassiod. in Chro. A. C. 452.

Procop. de bel. Vand.

Merouæus Rex.

Procop. ibid.

A. C. 454.

blandiente ac lenocinante vndique Francis Fortuna Valentinianus Cæsar, impetu animi oppressa ratione iussit extemplo interfici. *Quàm male humanis ingeniis natura consulit; quòd plerumque non futura, sed transacta expendimus!* Quippe imperator, posteaquam ira mente decesserat, magnitudinem facinoris serâ æstimatione pœnitentiáque inutili perspexit; egregium bello virum, & nisi erubesceret fateri, seruatorem imperij sui occisum. Nam in huius viri festinata cæde, resectam vt postea obiectum est, sinistræ suæ dexteram; debilitatumque imperij Occidentalis corpus breui sensit Valentinianus. Nec diu inultum facinus: quippe instinctu Maximi Ætij Centuronis, qui imperium ducta in vxorem Eudoxiâ Valentiniani coniuge inuasit, ab Trasilâ interemptus est. Merouæus igitur occasione vsus, occupatis oppidanorum consensu nobilissimis ciuitatibus, ac imprimis Lutetiâ Parisiorum, quam REGNI CAPVT esse voluit, Gallos tanta imperij & otij dulcedine sibi conciliauit, vt ei parere quàm cæteris imperare maluerint. Tum Francia primum appellari cœpit. Fabulosum illud de Merouæo: pugnantem cum Attila instar Romuli euanuisse: vt in cœlo tumulum habuisse crederetur, qui in terris non reperiebatur: hinc vetus Merouæi Epitaphium: EST CŒLVM MEROVEV REX TIBI PRO TVMVLO. Fato functus est anno circiter imperij nono. Iustitiæ ad seueritatem tenax, cui etiam liberos postposuisse dici-

A. C. 455. Curt. l. 8. c. 2.

A. C. 456. Forc. l. 5

A. C. 459.

tur. Nam Galaorem filium contumacem ac rebellem, Armoricorum Reguli cæde reum, supplicio affecit: vt NEROVAEVM non MEROVAEVM, nonnulli vocitarent. Sed ea libenter Amadissicis fabulis ascribimus.

CAPVT VNDECIMVM.

Franci Regem eiiciunt.

CHILDERICVS IIII. Francorum Rex, in locum parentis Merouæi successit: Dignus quidem tanto Patre filius: nî transuersum egissent adolescentem, prauæ malorum consuetudines, bonis artibus studiisque relictis. Hunc aliquandiu cum Patris memoria, tum amicorum reuerentia continuit: dein crescente licentia, maligna quædam atque inuida fortuna, rectum moderatumque eius ingenium subuertit; paulatim, vt ferè fit, irrepentibus nonnullis ex aulico famulitio, qui sibi ad corrumpendam iuuenis Regis indolem nihil facerent reliqui. Præclara igitur Childerici initia: sed vt ficta omnia celeriter tanquam flosculi decidunt: nec simulatum potest quidquam esse diuturnum, cito effictæ virtutes euanuere: *adeo maturè à rectis in vitia; à vitiis in praua: à prauis in præcipitia peruenitur*: vt qui Martis antea filius diceretur: mox Veneris puppus à suis appellaretur: qui multorum ciuium

CHILDERICVS FRANCORVM REX. A. C. 460. *Greg. Tur. l. 2. c. 12. Aim. l. 1. c. 7. Sigeb. Chro. Paterc. l. post.*

vxores ac filias, contra fas & pudorem attrectaret, non ad curas intentus, sed ſtupris & adulteriis principem agens. Itaque Franci vt Medorum illi quondam Principes indignati ei obſequium præſtare, qui ſe mulierem eſſe quàm virum mallet: *Nihil enim interest vtrum mulieres ipſæ imperent, an Reges ipſi à mulieribus gubernentur*: cum Segulinam perditè amaret, eiuſque nutu magni momenti negotia explicaret; Regem Childericum à maiorum ſuorum virtute deſciſcentem exturbant Regno. *Superbiam ægrè Principis ſui populus, Luxuriam ferre nullo modo poteſt*: quorſum enim, Rebelles inquiebant, Regem illum pateremur, qui ſe gentemque ſuam ſingulari infamia ac dedecore aſpergeret? ignari ſcilicet, *ſi habendi ſunt Reges, bonos optandos; ſi non tales ferendos*. Pollui ſanctum Regis nomen, iuſtitiæ militarique gloriæ conſecratum arbitrati; authore ſeditionis Finacro quondam nobili equite, Regem voluptatibus ſeruſentem planéque immerſum, fœdo gentibus exemplo regno feroces eiiciunt. Audax facinus, ſed quod Principis laſciui mores furentibus ſuadebant. Regi rei nouitate perturbato, VVinomandus ſeu Vidomarus amicitiæ, quod rariſſimum eſt in aduerſis, tenax, in aurem inſuſurrat, *fugam breuem eſſe neceſſariam, eam plerumque magnorum malorum eſſe lenimentum*. Abit igitur data priùs amico teſſera pro reditûs ſui ſigno: ſi quando Francorum ferox animus flecteretur.

Inſt. l. 1. *Ariſt. 2. Pol. c. 7.* *A. C. 461.* *Flo. l. 1. c. 7.* *Tac. hiſt. 4.*

CAPVT

CAPVT DVODECIMVM.

Franci pulsum Regem reuocant.

SI immensum imperij corpus stare ac librari sine Rectore posset : dignus erat mehercle Childericus à quo Francia inciperet : quippe qui libidine, & adulteriis apud suos vilis, regiâ maiestate indignus censeretur. Sed *nec Sole mundus, nec Rege Francia carere vllo modo potest. Vno auulso non deficit alter.* Ægidius, aliis, Gillo, Suessionibus agens, Romanorum in Gallia Præfectus ab Auito relictus, in Childerici locum assumitur. Is, quæ vna firmandi imperij ratio est, frequentibus in Primores ac plebem ipsam beneficiis, Regiam aliquandiu maiestatem, quanquam precariò imperans conseruauit, verùm ex humano seuerus, ex seuero crudelis ac sæuus repentè factus, odium pro amore Francicæ gentis breui in se conuertit, adeo verum est, *plerosque Regnantium, suone an seruitij ingenio? dum adipiscuntur dominationes multa charitate esse, & maiore odio, postquam adepti sunt.* Crescenti in dies odio, VVinomandus suggerit Tarquinij consilium ac facinus, potentiorum nempe cædem; ille ignarus *non esse diuturnam possessionem in quam gladio inducimur, ac reddere imperium satius esse quam exercere ciuium sanguine*, in clarissimum quemque grassatus ferro, flagitia

Childericus Rex. A. C. 462.

A. C. 463.

Tac. 12. an.

A. C. 464.

Childericus Rex. & facinora sine modo exercebat: vt seueritatis assiduitate authoritatem amitteret. Vrget iterum VVinomardus, Regemque inuisum magis ac magis ad seueritatem accendit: in hac colluuie morum ac hominum, *habendum metum aut faciendum*: quis enim eum metuat, apud quem conditum imo constrictum est ferrum? qui per segnitiem potius quam clementiam patiatur hebescere aciem suæ authoritatis? nec ad vulgi sermones ac querelas attendendum: *Artem Regni primum esse* docet, *Inuidiam pati, simul ista mundi conditorem posuisse Deum Odium atque Regnum.* His incitatus Ægidius propè fuit vt exclamaret cum Caligula, Vtinam populus Francicus vnam haberet ceruicem! Pertæsi Romani hominis crudelitatem Franci, versis à Childerico in eum ferocibus animis, eadem leuitatis aura incensis, spirante æternum VVinomando, ab exilio Regem suum, & quicumque demùm futurus esset; certè popularem suum, facilè reuocant: vt amissum malis moribus regnum, bonis reciperet regeretque: maiore longè ambitu ac beneuolentia repetentes, quàm nuper ingenti fastidio expulerant, vel tunc *Francis hoc peculiare erat ac proprium, nullos vnquam exteros reges pati.* Præmissa igitur (vt conuenerat ante fugam) in reditus fiduciam numismatis parte, in Franciam è Thuringia Childericus post octauum circiter exilij annum reuertitur. Admissus in regnum postliminio, præteritæ calamitatis haud oblitus,

A.C. 465.
Curt. 8.c.8. & l. 20.
A.C. 466.
Sall. Orat. Lep.
A. C. 467.
Sen. in Herc. fur. & Theb.
A. C. 468.
A. C. 469.
Onuf. l. 4. Imp.
Greg. Tur. c. 18. l. 2.
A.C. 475.
Aim. c. 7. l. 1.

contrariis artibus quàm principatum amiserat, ad vltimum vsque senium felicissimè tenuit. Regni æmulum iustâ acie fugauit, vixque incolumem Suessiones antiquam Præfecturæ Roman. sedem compulit; nec desunt qui Ægidium ad Euaricum VVisigothorum Regem confugisse existiment.

CAPVT DECIMVMTERTIVM.

Bellum Saxonicum primum.

Receptus in Regem Childericus vitia ineuntis adolescentiæ, vt de Themistocle ferunt, magnis emendauit virtutibus, adeo vt pene antoferatur huic nemo, pauci pares putantur; Nam præclara regiæ virtutis testimonia edidit: tantum generositatis specimen præ se ferens, quantum luxuriæ exemplum prius exciterat ac præbuerat; claro mortalibus documento, *fractos, vitiis sanctæ eruditionis mores, vel callo vetustatis inducto, si cruda calamitas accesserit, redire posse.* Hic cùm præteritam luxuriæ ignominiam, nisi rebus strenuè pro se ac republica gestis demi, ac deleri non posse à familiaribus didicisset: eò animum adiecit, vt tam fortis bello dux haberetur, quàm mollis amator olim extiterat. Igitur ne qua occasio probandæ virtutis & idonei ad omnia ingenij elaberetur, quò

Childericus Rex.

Papy. Masson. Forc. L. 5

facilius ac promptius prioris contumeliæ labem abstergeret, totum se dedidit Reipublicæ, diligentius amicis, famæque inseruiens. Sed nulla res æquè Childericum iuuit, quàm ortum his temporibus à Saxonibus, qui Ligeri nobilissimo fluuio in Galliam prouecti Audoagro Rege cuncta populationibus infestabant, bellum. Hic siue maioris potentiæ auidus, siue Francicæ feli-
Paterc. l. 2. citatis inuidus, *assidua enim eminentis fortunæ comes inuidia est, altissimisque adhæret*: si-
A. C. 476. ue Bassinæ Regis Thuringiæ vxoris, quam Childericus secum volentem abduxerat, adulterio, vt qui eam adfinitate contingeret, prouocatus, siue aliquâ denique iniuriâ
Greg. Tur. l. 2. c. 18. lacessitus; neque enim eò, aut casu aut tempestate delatum putem: in Childericum infesta signa attollit. Rex celeritate vsus, hostem occupat: ac totis Regni viribus succinctus proficiscitur. Tum collatis signis in acie fusum ac profligatum adeò obtriuit, vt occidendi finem fuga hostium inopiaque fecerit, ita feliciter Saxones adortus, Aurelia primum, capto Paulo vrbis Præfecto, mox traiecto Ligeri Andegauo potitus est, hoste non licuit: quem tamen certis conditionibus Andegauo præfecit; hic ex hoste, in Francorum obsequium & clientelam transiit. Rex Audoagrius; Childericus Argentr. Ann. Andeg. ac breui post, aliquot
A. C. 477. Batauorum insulas iisdem Saxonibus extorquet, imperioque Francorum annectit. Ita demùm excusso prioris vitæ veterno, boni imperatoris munia fortiter expleuit amicis

suauis, terribilis hostibus, amorem apud populares, metum apud hostes quæsiit; vt eo nihil vnquam inuisum magis habuerint Franci, quandiu spurcis voluptatibus immersus est: nihil charius & iucundius dum emersisset. Huius Regis temporibus, Britannia ab Anglo-Saxonibus Duce Hengisto pulsis Scotis ac Pictis occupata, indeque Anglia nuncupata est. Britanni aliquot exules in Galliam prouecti cum Andegauensem ac Cœnomanensem, Pictonumque agros euastassent, ab Gothis cæsi prostratique sunt apud Biturigas.

Forc. l.5.

A. C. 478.

Lilius Chro.

CAPVT DECIMVM. QVARTVM.

Bellum Gothicum primum.

GOTHORVM ferox gens, & rerum gestarum fama haud ignobilis, ab extrema Oceani versus Septentrionem plaga Scauziam insulam altricem sobolis habuit primum: ex cuius gremio ingens multitudo hominum velut examen apum erupit in omnes Europæ partes. Nam egressi in continentem Gothi, Scythiam penè omnem armis subegere: inde ad Mæotim progressi, vacillante dudum Romanorum imperio, Barbaris vndique velut ad prædam concursantibus aduolarunt, diuisis agminibus & nominibus, sed moribus similes, Orientalem partem VVisigothi, Occidenti pro-

Childericus Rex.

Iornandes.

pinquiorem Ostrogothi insederunt. Narbonensem Galliam à Pyrenæis ad Rhodanum Ligerimque amnes Gothicum regnum complectebatur: Caput gentis Tholosa, ampla vrbs & studiorum celebritate insignis. Victo igitur vt dictum est Saxone, ortum ab Gothis difficile bellum Childerici virtutem ac fortunam exercuit. Etuarix quem alij Euaricum vocant, Visigothorum Rex, rupto ferociter fœdere, imperij sui fines longè ac latè proferebat, Francorum ditione armis euastatâ. Is Arrianæ sectæ Princeps, bello potens, acer animo, annis vigens ac florens, cuncta passim ferro ignique populatus, Arelatem, Auenionem, aliaque Prouinciæ ac Delphinatus oppida occupat. Aruernorum insuper Regionem ingressus, ad primariam gentis ciuitatem castra ponit: oppidanorum singularis virtus enituit: passi prope vltima, semirutis quanquam mœnibus pro nudata muris, patria corpora obiicientes, hostium impetus præsentibus animis sustinuere. Diceres inde cum Pœnis irrumpere Hannibalem, hinc pugnare pro aris & focis Saguntinos. Nec à tuenda vrbe sacris etiam hominibus quies. Quis crederet infulis indutum Sidonium illum Apollinatem Aruernorum antistitem, virum omni existimatione superiorem, voce, monitis, consilio, non minus quam armis oppidanorum, Patriam seruasse? nimirum *Salus singulorum, vniuersorum Prouidentia continetur: nec vbi publica periclitantur, quemquam desidere fas est.* La-

Childericus Rex.

Sido. Ap. Ep. 6. l. 7.
Greg. c. 25. l. 2.
Liuius l. 21.

Tacit.

tius ea pestis grassabatur, fatiscentibus ad hæc grauissima fame populis. Burdegala Vibiscorum Petrocorij, Rutheni, Lemouices, Ausci, Conuenæ, totaque adeò Nouempopulania, Pontifices suos Gothica immanitate trucidatos luxit, non sacris ferro flammaque parcentibus: de pace tandem actum est quam necessitas expressit. Childericus *turpe nihil quod vi aut necessitate fit* arbitratus: Galliarum insuper clade permotus, quamuis belli tractu hostem ferociter exultantem frangere potuisset, decedere tamen de suo iure aliquid, quam fœda cuastatione populari Galliam maluit. Itaque Aruernorum ciuitatem, quę vi Gothica non potuerat expugnari, aliaque magno numero oppida dedi oportuit: quæ mox Clodouæus Alarico Euarigis filio extorqueret. Ferunt etiam Ecdicium Auiti Galliarum imperatoris filium, parua militum manu, ingentes Gothorum copias fregisse: quæ ignominia tantum Barbari animum furoremque non extinxit, vt accenderit. Euarix sedem Regiam Arelate instituit; vbique eodem fere quo Childericus anno ac tempore, fato functus est. Anno CHRISTI CDLXXXIV. Cæterum Childericus ab Merouæi excessu XXVI. imperauit annos. Vaticinium, ac designatam triplici diuersorum animalium Basinæ vxoris visione, futuram Childerici Regis Sobolem, quia somnium delirantium veterum, & anicularum fabulam re putamus, libenter omittimus.

A. C. 484.
Aim. l. 1. *c.* 7.

CAPVT DESIMVM QVINTVM.

Romani imperij casus.

B. et. l. 2. Met. 3. Sen. cons. ad Hel. *Constat, æterna positumque lege est, vt constet genitum nihil: certisque eunt cuncta temporibus: nasci debent, crescere, extingui.* Quippe mortalia sunt opera mortalium, nec vllus tantæ felicitatis hominum fuit, vt suo operi etiam per traduces hæredes, quam quærimus paulò diuturniorem fortunam impertiuerit. Longa quidem Assyriorum & diu inconcussa potentia stetit: sed vix supra millesimum LXX. annos expleuit, quantò breuiora Medorum, Persarum, Græcorum imperia! quibus omnibus destructis, ad Romanos rerum summa peruenit, qui quantò cæteris omnibus magnitudine & rerum gestarum gloria præstitere, tanto maiore deciderunt lapsu: quorum imperium per tot Tyrannos tot passim monstra, in tot diuisum partes fuit: vt vix vllam suæ quondam potentiæ vmbram ac scintillam reliquerit. Nec mirum cuiquam videri debet. *Nihil enim est humanis viribus laboratum, quod non humanis æquè viribus euerti ac destrui possit.* Libet igitur ruentis non gradu, sed præcipui lapsu tantæ molis imperij imaginem velut oculis obiicere: ne prætermissis aut neglectis alienis, nostra tantùm mirari ac consectari,

Lact. l. 7 c. 15.

Tac. an. l. 2.

videamur, Græcorum annalibus, qui sua tantum mirantur, Romanisque haud similes, qui sua extollunt externorum incuriosi. Theodosij Magni excessu, magnum Reipub. vulnus impressum fuisse, nemini dubium: Honorio & Arcadio imperatoribus, per ætatem, & factionem Procerum, tantæ fortunæ ac molis haud sanè capacibus. Nec Theodosius inde, quem Iuniorem vocant, nec Valentinianus III. diuiso quāuis imperio pares fuere. Valentinianum prouecta senectute ægrum. Maximi crudelitas, ante tricesimum imperij annum, Maximum post tertium Tyrannidis mensem Romanorum dignus furor confecit. Marcianum sua dies viuis imperioque eripuit, quo tempore ab Geneserico VVandalorum Rege, quem Maximus ad potentiæ confirmationem euocauerat, fœdè vastata Roma diuturnæ calamitatis curriculum ingressa est. Tum Auitus Auernus delatum sibi vltrò à Romanis imperium accepit: mox abdicato Placentiæ imperio, paucos post menses misero exitu vitam finiit. Inextricabiles inde turbæ sequutæ imperium tanta olim mole fundatum, tandiu per tot & tales viros auctum, tantis opibus confirmatum, debilitarunt; ac Leonis quidem felix, si per eas turbationes licuisset, principatus extitisset: Maioranus quarto imperij anno à coniuratis, Seueri fraude, parique annorum interuallo Ricimeris dolo Seuerus, extincti sunt. Antemium quoque Generi Ricimeris perfidia sustulit. Olybrius Glyce-

A. C. 394.
A. C. 449.
A. C. 454.
A. C. 455.
Procop. l. 2.
A. C. 460.
A. C. 471.
A. C. 475.
Sidon. Ap. l. 8. Ep. 9.

riusque vix annum & medium expleuere in imperio: non Iulius nepos diu in purpura: quippe Orestes à corruptis militibus, quorum is tribunus erat, filium Augustulum imperio admouit. Indignati proditionem nepotis familiares, Odoacrem Erulorum regem nouum ab extremis orbis Glacialis Dei flagellum, in Italiam euocant: is Orestem fudit ceciditque, coactus igitur Augustulus cedere, eodem quo induerat anno purpuram exuit: vt quod ab Augusto imperium ceperat, consentientibus nominum fatis, lacerum toties ac vastatum imperium, quater vno saeculo conculcata à Barbaris domitrice olim omnium gentium Roma, cùm stetisset annos circiter quingentos in Augustulo desineret: retinentibus ægrè imperij insignia Orientalis Zenone & Basilisco. Odoacer XVI. fere annos in Italia rerum potitus, ab Theodorico Amalo Gothorum Rege triplici acie fusus, ac deinde perfidiosè Rauennæ cæsus est. Inde pace cum Anastasio, qui Zenoni successerat initâ: cum Clodouæo etiam Francorum Rege adfinitate Audefledis filiæ contracta: Alarici Visigothorum, Sigismundi Burgundionum in Gallia Regum, qua sita insuper per filias ex concubina susceptas amicitia, omnium vbique Principum fœdere securus, imperium in Italia Gothicum instituit, ac prudentissimè quanquam Arrianus esset administrauit: Seuerini Boëtij & Symmachi soceri Patriciorum & Exconsulum indignissimis cædibus la-

Clodoueus Rex.
Procop. l. 1.
A. C. 493.
Iorn. de reb. Goth.
A. C. 495.
A. C. 526.

befactatum. Fluctuarunt & hoc imperij Romani motu Galliæ, quatuor Principibus, siue, vt vocant, Tetrarchis diuisæ, dominantibus his singulis Gothis, Burgundionibus, Francis ac Romanis: vt non tam bellicus labor, quàm exorta inter tot Reges æmulatio, (*neque enim vnquam satis fida potentia, vbi nimia est*) nobilissimam olim imperij Romani partem concuteret.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bellum Romanum.

CIRCVMFEREBAT pridem naufragij tabulas Romanum imperium, & in Suessionum finibus, tantæ olim dominationis ab Iulio Cæsare in Gallia occupatæ, imaginem aliquam retinebat: hanc penitus deleuit ac sustulit CLODOVAEVS Childerici filius, Francorum Rex V. primo statim ab inito principatu bello. SYAGRIVS Ægidij filius, Suessionum vrbe pro regia sede vtebatur, districto circa mala sua imperio, agitatoque seditionum fluctibus sæuissimis, crebra nimirum & cruenta dominorum mutatione, tanquam è littore naufragium spectans securus, angusto tamen limite à Francis premebatur. Huius pater superatus acie à Childerico, ac multis præterea oppidis spoliatus fuerat. Inquietus filij animus, quantùm de recuperandis

A. C. 485. Greg. l. 2. c. 27. Aim. l. 1. c. 12. P. Æmil. Clodoueus Rex.

rebus suis cogitabat: tantùm de amplificando Francorum imperio Clodouæus angebatur. Vter bellum mouerit prior, dubium. *Euentus belli, velut æquus iudex, unde ius stabat, ei parti victoriam dedit.* Hinc pudor, spes inde stimulabat auidos rei alicuius magnæ Duces. Erupti tandem belli totis vtrinque viribus committẽdi cupido. Itaque collatis signis, Syagrius magnanimus quidem, sed parum felix, nihil quod ad fortissimum Ducem spectaret prętermittens, verùm à suo proditus exercitu, facie sanguine oblitâ ne agnosceretur fugiens, Penates Romanos nunquam reuersuros secum asportauit. Verùm quò tandem fugeret hominum miserrimus dubitabat; quos fugiat multos respicit; ad quem confugeret propè neminem, *Neque enim aut locus aut amicus quisquam teget, quem arma non texerint.* Succurrit in mentem fugitiuo, VVisigothorum Rex Alaricus, fortunæ deterioris imagine forsan mouendus: illic spes suas omnes collocat: illic res perditas optimè restauratum iri sperat. Sed *quis in aduersis confert gratiam? aut quis vllam calamitosis deberi putat? aut quando fortuna non mutat fidem?* ab hoc benignè primum exceptus, mox perfidiosè deceptus, ac Clodouæo reposcenti redditus est: tum securi percussus, lucis huius & regni vsuram amisit, obiurgatus à victore & pusillanimitatis incusatus; eo tandem emolumento, vt amicitiæ ac fœderis Francos inter & VVisigothos pignus ac pretium fieret: in regiâ

Liuius l. 21.

Sal. Cat.

Paterc. l. 2.

calamitate ludibrium orbi; quodque omnium miserrimum est, ipsis Regibus. Sic expulsi & cæsi Romani, in Galliis imperium habere desiêre An. Sal Rep.CDXXCIX. Hoc confecto Bello, Clotildem Chilperici Burgundionis filiam eximiâ & eleganti quidem forma, sed virtutibus longè præstantiorem: quippe quæ Christiana fide ac pietate esset imbuta, vxorem duxit Clodouæus, interiecto circiter triennio: mox breui expeditione Thuringos debellauit: propagatoque ad Oceanum, Neustriam versus imperio, Sequanicos tractus subiugauit: multis deditione, quibusdam vi castellis expugnatis.

Clodouæus Rex.
A. C. 492.
A. C. 497.

CAPVT DECIMVM-SEPTIMVM.

Bellum Allemannicum.

VICTVS Syagrius, eiectumque Galliis imperij Romani cum superbâ dominatione nomen, Francorum res in tam sublime fastigium honoris simul ac terroris euexerant: vt Galli præter assertam libertatem, suam cœlo felicitatem adæquarent. Clodouçus quiete fastidita, siue sponte, siue sociarum gentium nomine ad bellum raptus, expeditionem in Allemannos Gallis certè vbique infensos, quique pridem ab sua Germana adfinitate desciuerant, parat. Hostium Dux extitisse fertur Andochus:

Greg. l. 2. c. 31. Aim. c. 15. l. 1. Auent. l. 3. ann. Bai. 1. P. Æmil. Masson. A. C. 498.

is collecta ingenti Sueuorum, Boiorum, aliorumque Germaniæ populorum multitudine, Francorum fines ingressus ac depopulatus, in Clodouæum aciem instruxit, apud Tolbiacum cis Rhenum in Vbiis pugnatum est. Iamque Franci, equitatu in quo potissimùm Clodouæus victoriæ spem collocauerat, dissipato: Sigeberto etiam Coloniæ Comite fœderato ex graui vulnere saucio, vnde illi mox Claudi cognomen fuit, magna internecione ab hostibus cædebantur: cum Rex frustra obnixè Iouem suum precatus prisco & absurdo gentium more, nec fautorem nec statorem, vt olim Romulus, expertus: nec victis ac spoliatis hostibus haud dubiè Feretrium habiturus, in summas rerum suarum redactus angustias, Clotildis piissimæ & Christianæ vxoris Deo se suosque deuouit in hunc modum, futurus illico, vt voto conceperat, si vinceret, Christianus: CHRISTE BELLORVM POTENS, POLLICEOR ME SACRA TVA, QVAE ADHVC RESPVI, CVM POPVLO MEO SVSCEPTVRVM, TVO SI BENEFICIO VICTORIAM DE HOSTIBVS REPORTAVERO. Protinus inter primos & confertos ordines præuolans, ardoremque animi vultu oculisque præferens, Alemannis propè victoribus victoriam extorquet, Turbat obuios, cædit, fugat, nullumque in tali trepidatione Ducis generosi, ac fortissimi militis officium omittens. *Maior agebat Deus, atque opera ad maiora remittebat*: nec sustinuisse contentus hostes fe-

Zulpich.

Flo. l. 1. c. 1.

Clodoueus Rex.

Gaguin. Forcat. l. 6.

tocissimos, quin perrupta eorum acie, ex insperato victoriam vindicaret. Memorabilis certè triumphus quo Germaniæ Rheno vicinioris accessione creuit res Francorum, sed victoria mox illustriori auctus, cùm Reginæ, Remigiique sanctissimi Remorum Antistitis vocibus ac monitis obtemperans Clodouæus, vexilla vtique secuturus multò auspicatiora, Ex voto, CHRISTO nomen dedit: ac *mitis deponens colla Sicamber, adorauit quod incenderat, incendit quod adorauerat.* Hoc bello, cæso hostium Rege Alemannia vectigalis reddita est.

A. C. 499. Greg. l. 2. c 31. Aim. l. 1. c. 16. Paul. Æm.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Francia Christiana.

COmpositis ad Regis sui exemplum Francis, (*Solent enim plerumque homines principis sui vitam æmulari, nec tam imperio opus est subditis, quàm exemplo:*) Vix credibile est quot millia obsoletæ iam Religionis, verius dicam superstitionis, partes deseruerint, & ad Christianæ pietatis ac fidei castra conuolarint. Passim virorum mulierumque greges, sacro fonte tincti veterem gentilitatis notam exuebant. Et quamuis sponte sequerentur; Regis tamen imprimis exemplum rem Chri-

Herod. l. 1. Plin. Pareg. A. C. 500. Sen. Thy.

ſtianam inſigniter promouit. *Rex velit honeſta, nemo non eadem volet.* Clodouæus ſacro delibutus oleo, non in hoſtes modò foris, ſed & domi contra ſcelera pugnaturus inungitur obfirmaturque. Annuit cœlum vnctioni Regiæ manifeſto miraculo: vt nemini dubium eſſet in poſterum, Francorum Reges diuinitus eſſe conſtitutos. Nam cùm multitudine hominum infinita, omnis ad fontem ſacrum intercluderetur aditus, oleumque ex ſacrario tardiùs proferretur: Ecce, mirum dictu! ex improuiſo columba diſploſis alis aduolat: in phiala odoratum ac cœleſte chriſma rutilanti ore deferens, inter manus S. Antiſtitis reliquit: mox candida ſubuolans, non minori turbæ lætitia quàm admiratione, ſublimis in cœlum abiit. Creditum ea columbæ ſpecie, vt in Seruatoris quondam baptiſmate, ſpiritum illum ſanctiſſimum Regis Chriſtiani luſtricum ſacramentum authoraſſe. Quin & obliteratis ac eraſis antiquis Francorum inſignibus, ſiue illa Bufones, ſiue tria in area candida diademata, ſeu quidpiam aliud fuerint, Lilia inciſa pictáque auro, diuinitus delata effulſerunt, iam panno nimirum ſericeo (Auriflammam vocant) miro fulgore ſplendenti, quo tanquam vexillo Franci Reges contra Chriſtianæ religionis hoſtes in poſterum vterentur. Sic mutata imperii facie, ſæua gentium impietas, in eximiam pietatem: in humanitatem ſingularem, ferox barbaries: ſuperſtitio in veram religionem tranſiit.

Clodoυæus Rex.
Hincmarc. in vit. S. Rem.
Aim. ibid.
Forcat. ibid.
Tritem.
P. Æm.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Burgundicum primum.

GVNDIBALDVS Rex Burgundionum, Gunderici filius, Clotildis Clodouæi vxoris, quam prospera absentia & innocens ætas ætatis crudeliter parentibus sicariorum manibus subduxerant, patruus, fratribus primum munitus ac ferox, multa magni momenti bella susceperat, multa confecerat, felix sanè princeps, si vt in hostes strenuus, sic pius in suos extitisset: nec trucidatis partim, partim exire coactis fratribus, multa cæde comparatum bello decus inquinasset. Fugitiui fratres Godegisillus & Godemarus, Prouinciam ac Delphinatum in partem hæreditatis paternæ postulabant, ac Clodouæo causam & ius tuendum vltrò deferunt: is patria propensione quia *Galli propinquos maximè condolent, quos per iniuriam violatos viderint*, miserorum quidem partes amplexus, quod regiæ maiestatis decus est vel maximum: sed concepta regni potiundi spe, quod vtique commodum erat, tacitè commotus, comparato exercitu, breui Gundebaldum victum, ac ægrè Auenione ex fuga seruatum ac Pacem cum fratribus æquis vt par erat conditionibus ineundam coëgit. Reuerso in Franciam Clodouæo relictis Godegi-

Greg. l.2.c.32. *Aim. l. 1.c.19.* *Æmil.* *Proc.l. 1.de bel. Got.* *Clodoueus Rex.* *Strib 4.* A. C. 501.

ſillo copiis, quas ille fratri opponeret, ſi quid contra pactum moliretur, ſimulata Burgundi pax amicitiaque cum germanis fratribus in maius & atrocius odium citò deflexit: iamque infeſto exercitu ſecurus Francorum metu Viennam aduolat, oppidum proditione captum expilatumque eſt. Godemarus incenſa turri periit. Godengiſillus in Fratris poteſtatem venit: ſed mox liber factus, vnum habet in Clodouæo Rege perfugium, Orat, obſecrat, ſeruet innocentem, tueatur oppreſſum, *Hoc Reges habere magnificum & ingens, nulla quod rapiat dies, prodeſſe miſeris; ſupplices fido lare protegere.* Precibus additæ lachrymæ, Regem ab eo quod cogitabat in Gothos bello, facilè ad ferendam neceſſario ſuo opem auocarunt. Itaque concitatus aliis aliiſque cauſis in Burgundum Clodouæus, vetere odio, perfidia ſingulari, crudelitate in fratres immani ac barbara; ſed tacita imprimis cum Alarico VViſigothorum Rege amicitia & fœdere in Francos, fines Burgundionum ſecundò ingreſſus eſt: cuncta paſſim ferro & flammâ peruaſtantur. Perierat eâ ſtrage Gundebaldus, niſi Clotildis precibus expugnatus victoriis animus, multum de iuſta ſeueritate remiſiſſet. Hæc torrenti omnia diſiicienti ac tranſcendenti obicem ſepoſuit: & quanquam *vix temperari ac reprimi poſſit ſtricti enſis ira*; armis tamen modum pia mulier impoſuit; donec Patrui perfidia bellum recrudeſceret. Gundebaldus igitur quaſi vrgente fato, &

Sen. Med. — A. C. 502. — *Sen. Herc. Fur.* — *Clodoæus, Rex.*

dita tot scelerum conscientia, qua nocens animus assiduè vellicabatur, finem fœdum maturante, reuerso iterum ad sua Clodouæo; Viennam proditione intercipit: A. C.
repertumque, vt ferunt, in sacra æde cum 503.
vrbis Antistite Fratrem sæuus ad aras victi- *Procop.*
marum instar mactat. Eò magnis itineri- *l. 1. de*
bus aduolat Clodouæus, & Gundebaldum *bell.*
territum ac noctu profugum in Italiam ad *Goth.*
Theodoricum Ostrogothorum Regem, quem hoc bello Francis fauisse falsò nonnulli ferunt, nunquam certe rediturum regno spoliat. Iusta haud dubiè pœna in tot vitiorum vindictam: vt qui in suis laribus magnificè ac regiè viuere nō potuerat, miserè ac turpiter in alieno moreretur. Quis victoris moderationem non miretur? iure belli omnia Clodouæi erant, Sigismundo tamen Gundebaldi filio quicquid vltra Ararim ditionis paternæ fuerat. Sabaudiam ac Delphinatum cessit: quasi ante A. C.
hoc bellum contentus nominis sui fama 504.
nihil ex Rege victo præter gloriam sumere statuisset.

CAPVT VIGESIMVM.

A.C.
Bellum Gothicum secundum. 505.
Greg. l.
ALARICVS VVisigothorum Rex Euarigis filius, magnis opibus ac Regulo- 2. c. 35.
rigis filius, magnis opibus ac Regulo- 36. 37.
rum aliquot auxiliis fretus, frustra Theo- *Aim. l.*
dorico Gotho Italiæ Rege & Socero premo- 1. c. 20.

36. 37. nente, ne subitò mollitis & longa iam pace
Aim. fractis suæ gentis animis belli aleam ex-
l.1.c.20. periretur; Clodouæo bellum grauissimum
A. C. mouit: nihil pacis internuncius Theodo-
506. ricus, nihil literarum commercia, ad com-
Cas- ponendos vtriusque Regis animos contu-
siod. l. 3. lere. Clodouæus conceptis Christianorum
Ep.4. ritu votis, quippe qui iam didicerat *nihil ri-*
Forcat. *tè, nihil prouidenter, homines sine Dei immor-*
l.6. *talis ope, consilio, honore auspicari*, vt maiori
Plin. hostium damno bellum committeretur, in
Paneg. Alarici fines exercitum promouet: nec
Paul. segniùs copias ingentes in Francos compa-
Æ. rabat Gothus. Primus belli turbo validissi-
Clodo- mo fragore in Pictonum finibus in campis
uæus. Vocladensibus vulgo *Voüillé* auditus, ad Vi-
A. C. gennam amnem, quem auctum imbribus
507. ceruæ ductu traiecisse Francos ferunt, de-
tonuit: pugnatum est acriter, edita vtrinque
magna strage: incerta diu belli fortunâ,
donec Clodouæus diu distineri victoriam
indignatus, facto in hostem impetu ob-
uium quemque ferro cecidit, agnitumque
Alaricum qui temerè in prælium incubuerat,
adortus, memorabili posteris exemplo, ri-
matus vulneri locum, regia manu per ar-
morum commissuras insinuato gladio per-
emit: tum fugere hostes amisso rege con-
sternati: Galli palantes insequi, equis pro-
A. C. turbare deiectos, & Gothico sanguine
508. agros latè conspergere. Missus inde in
Aquitaniam Theodoricus Clodouæi no-
thus, qui tantâ felicitate rem gessit, vt ad
Pyrenæos vsque montes imperium Franco-

rum propagaret. Aduersa Regis sui fortunâ territæ Regiones ac ciuitates, quà Francorum copiis iter fuit, imperium victoris vltrò accepere: capta diuinitus Inculisma (nã murorum magna pars nullo impetente prociderat) cæteræ vrbes cum Aruernis deditionem faciunt. Gothici naufragij reliquias Almaricus Alarici filius circumtulit aliquandiu, donec ad Burdegalam desperatis rebus de fuga cogitantem, pari cum Parente clade affligeret Clodouæus. Victus in Italiam fugit, vbi gentilium suorum viribus nixus, bellum instauraret. Placuit Clodouæo ad insigne rei gestæ monumentum agrum in quo certatum fuerat ARRIANVM à cæsis nimirum VVisigothis Arrianæ perfidiæ sectatoribus appellari. Clodouæus impositis Tholosæ præsidiis, Parisios victor reuersus Cæsarianum illud in triumphi ferculis detulit, VENI, VIDI, VICI, belli grauissimi celeritate designata. Rerum ita feliciter gestarum fama motus Anastasius imperator, per suos legatos ad Clodouæum multam salutem misit, iis Romani Consulatus Senatoriam Patriciamque dignitatem vnà cum diademate detulit. Fuit vicissim in Anastasium Clodouæi munificentia singularis, *ne qui hostes armis, cunctis virtutibus antistabat donis ac liberalitate ab vllo vinceretur.* Summo Pont. acceptum ab imperatore diadema, quod vulgo REGNVM Romæ dicitur: dedit, quo etiam tempore Britones Armoricos Rege sibi delecto feroces compescuit.

Suet. in Iul. Greg. l. 2. c. 38. Aim. l. 1. c. 22. A. C. 509. Sigeb. chro. Clodouæus Rex.

CAPVT VIGESIMVM. PRIMVM.

Bellum Gothicum tertium.

A. C. 510. Cassiod. Chro. Iorn in. Paul. Diac. Proc. l. 5 Vell. l. 2. Liu. l. 21.

VIctor omnium gentium quas adierat Clodouæus, suoque ac ciuium voto maior, ac per omnia superiorum Regum fortunam egressus, felicem se aucto Burgundionum Gothorumque ruinis imperio reputabat: cùm ecce bellorum flammæ, à Theodorico Ostrogothorum Rege vehementius exarserunt; cuius incendij vires cùm fugere, si cauisset, potuisset; tot victoriis elatus, vt *nemo celerius opprimitur, quàm qui nihil timet: & frequentissimum initium est calamitatis securitas:* more hominum secundis solutior, nimium serò ex illo inconsultæ securitatis torpore ac veterno excussus est, *adeo nimia felicitas plerumque viros decipit, & fascino dementat incautos: & quod fermè fit, res secundæ negligentiam creant.* Theodoricus igitur Almarici nepotis fortunam ægrè ferens; simulque communi Gothorum nomine ac Regum causa calamitatem hospitis sui misertus, honesto armorum obtentu restituendi in Regnum Principis, bellum sane grauissimum intulit. Itaque coactis vndique ex Italia, Sicilia, & Illyrico maximis copiis per Hibbam siue Ilbam ingentis spiritus virũ, Clodouæum adoritur, ipse Ana-

ſtaſium imperatorem fœderatum ab ferendo Fräcis auxilio prohibiturus. Gothi Galliæ fines, vti excuſſum magno impetu fulmen peruadunt. Graſſam, Antipolim, totamque breui Prouinciam imperio facilè ſubmittunt, vltra Rhodanum traiectæ copiæ, veteris principatus nondum oblitas vrbes recipiunt: ad hæc Francici iugi, quod inſolentia huic genti penè innata graue fecerat, haud patientes. Sed *cò victoria facilior fuit, quod nemo eſſe qui repugnaret*, dedentibus ſe ſponte oppidanis. Inculiſma à Francis diu obſeſſa liberatur. Clodouæus eo nuncio turbatus, collecto raptim milite Gothicos impetus fruſtra coercere nititur: Nam acie, vt volunt, fuſus, turpi poſt tot triumphos agmine Pariſios reuertit. Theodoricus ſecurus ab inerti imperatore, cum exercitu Alpes traiecit, & Clodouæi Notum Theodericus apud Arelatem grauiter afflixit; tandemque reſtitutam Almarico, cuius tutelam ſuſceperat, omni ferè ditione, in Italiam remigrauit. Cladem hanc, quia *finis alterius mali gradus eſt futuri*, alia inſuper clades excepit: Nam Burgundiæ pars maxima Gundebaldi liberos, vti legitimos Principes ſalutauit. Clodouæus exacto poſt quinquennio, tantæ cladis memoria aſſiduè cruciatus, fato functus eſt, cùm XXX. annos Regnum adminiſtraſſet. Rex mehercule Maximus, niſi magnis belli ac pacis artibus, crudelitas ex auaritia conflata, turpiſſimam labem intuliſſet, nam in tantùm ſæuum fuiſſe ferunt,

Clodouæus Rex.

Sen. Herc. Fur.

A. C. 514.

vt nec à consanguineorum quidem cædibus abstineret. Sic egregias tanti Regis virtutes vitia sua labefactarunt. Extat eius sepulchrum in Sanctæ Genouefæ æde cum hac Epigraphe. HIC EST ILLVSTRISSIMVS REX LVDOVICVS, QVI ET CLODOVAEVS ANTE BAPTISMVM EST DICTVS, FRANCORVM REX V. SED VERVS CHRISTIANVS, QVI AB ANASTASIO IMP. CONSVL ET AVGVSTVS EST CREATVS: HVNC SANCTVS REMIGIVS BAPTIZAVIT, ET IN BAPTISMATE EIVS ANGELVS AMPVLLAM SACRI CHRISMATIS DETVLIT.

Greg. l. 2. c. 40. Aim. l. 1. c. 23.

Clodouæus Rex.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Imperij Francici Magnitudo ac Diuisio.

A. C. 515. Pontan. l. 5. c. 7. Orig. Franc.

POst illustrem illam circa Tolbiacum victoriam, qua nuper victis & subiugatis Allemannis, Francorum Imperium trans Rhenum longè latéque in Germania constitutum & propagatum est; vicissim frequentibus excursionibus noui è Gallia exercitus Germaniam interiorem fatigarunt, nec verò difficile fuit nouos in Germania limites, nouasque sedes figere, fractis vna acie totius gentis opibus, ad hæc Thuringis etiam subiugatis, auctum insuper Francorum in ipsis Galliis imperium, attritâ vno alteroq; prælio Gothorum potentia, & in Clodouæi victoris leges Romano-

manorum, quæ ſupererant reliquiis vltro concedentibus. Nouis igitur ex rebus aucti Franci, noua Prouinciarum nomina inſtituunt. Hinc Auſtraſiæ, Veſtraſiæque in Galliis, regna enata ſunt. Orientalis apud Germanos Francia, ſuperatis nimirum Thuringis & Alemannis dicta: Occidentalis, quæ Galliam penè totam, id eſt Auſtraſiam & Veſtraſiam continebat. Auſtraſia quæ & Teutonica, quod indigenæ ferè Teutonicè loquerentur, Regni titulo Rhenum, Moſam, Voſagum montem, Carbonariam Syluam, Schaldim & Oceanum ad Sequanam includebat, quo terrarum ſpatio noſtro nunc æuo continentur, Lotharingia, Elſatia, Vormacia, Moguncia, Treuiri, Palatinatus pars, Comitatus Salicienſis, Hannonia, Cameracum, Limburgum, Leodium, Brabantia, Flandria, Cliuia, Iuliacum, Geldria, Hollandia, Zelandia, Traiectum, & Zutphaniæ Comitatus, tota denique vt nunc appellatur, inferior Germania. Vrbs tum Primaria Diuodurum Mediomatricum. Veſtraſia quæ & Neuſtria erat, Romana dicta eſt, quod ibi Romanè ſiue Romano in Gallicam & Germanicam phraſim detorto idiomate loquerentur: quo fit vt nonnulli poſtea Reges, Franciæ Romanæ ſiue etiam Neuſtriæ Reges appellentur.

CAPVT VIGESIMVM. TERTIVM.

Bellum Ciuile fraternum.

Childebertus Rex. Agath. l. 1. A. C. 515. Greg. l. 3. Aimon. l. 2. c. 1.

Ciuilia primum Bella inter Francos, Bellum alioqui aduersus se mutuò mouere nunquam hactenus, licet diuiso inter plures imperio solitos, Fratrum æmulatio, & immensæ dominationis cupiditas inuexere: hæc consanguineos fratres funalibus in exitium Franciæ facibus armarunt. Diuisum in fratres Regnum singulis si totum obtigisset, amplum: omnium auaritiæ cupiditatique vix sufficiebat, dumque singuli imperare cupiunt, imperium propè laceratum perdidere. CHILDEBERTO, natu maximo obtigit Parisiense Regnum, quo Franciæ primum insula, Carnutes, Vnelli qui & Perticenses dicti, Andes, Cænomani, Turones, Aquitani, cum Occitaniæ parte continentur. Clotario Suessionum ditio: quæ Belgij partem siue Picardiam, Veromanduos, Artesiam, Flandriam, & Neustriam nunc Normaniam complectitur. Clodomiro Aurelianũ, cui Solonia, Gastiniensium, Senonũ, Biturigum, Aruernorum tractus, & citra Ararim Burgundia annexa erat: Theodorico denique notho Metense Regnum cessit, quo nomine præter Mediomatricum regionem, Lotharingia, & quidquid vltra Rhenum Francorum erat, ac inde versus Mosam cum parte

Campaniæ haud ignobili concluditur. Agmen fratrum vnitum par omnibus, diuisum vix singulis: toti orbi formidabile, si quod natura nascentibus dederat fraternum nomen, similis affectus (qui omni consanguinitate certior est) communiisset, præclarè quidem ille quondam Numida ad liberos disserebat, *quis amicior quam frater fratri: aut quem alienum fidum inuenies, si tuis hostis fueris?* verùm *quæ tandem fides Regni sociis? quæ potestas patiens consortis?* Digna illa Alexandro vox, *nec mundus duobus solibus regij nec duo summa regna, saluo statu terrarum potest habere*: Parem Pompeius, Superiorem Cæsar ferre non potuit. Principium igitur turbarum à Burgundia cœptum. Hanc imperij cupiditate, quod ei commoda videretur, Clodomirus suo regno annectere statuit, nec difficilis admodum victoria fuit, alienis à suo Rege Burgundorum animis, is Sigismundum Regem cum vxore & liberis captiuum in profundum puteum demerserat, quo genere mortis tanto certè rege indigno, indignum nuper Patre facinus, Sigerico filio crudeliter strangulato expiauit. Burgundi salutato Rege Gundemaro Sigismundi filio, quem alij fratrem vocant, acie fusum captiuumque Clodomirum, spe victoriæ ac prædæ fraudant, desectumque eius caput, & hastæ impositum ad contumeliam Francorum toto exercitu feroces circumferunt, adsunt vltores cladis ac necis fraternæ Reges: Gundemarum quanquam validissi-

Sall. Iug.

Curt. l. 4. & 11.

Chi dlibertus Rex.

Gag. l. 3. ... 5.

Sigeb. Chro. A. C. 520.

Papy. Masson. A. C. 522.

A. C. 523. mis Gothorum auxiliis opibusque fretum, fugant: diuiso mox ex æquo regno: cùm ille in Hispaniam primum, inde in Africam profugisset. Sed breui receptus à suis Gundemarus regnum recuperauit, nihil tam indignum eo tempore visum est, quàm quod Clodomiri liberi (si tamen vllos Clodomiro genitos constet, quem sine vlla prole viuis concessisse quidam disertè affirmant) ab patruis suis Childeberto & Clotario cæsi immaniter fuerint: Clodoaldo, quem mox sua insignis pietas cœlitibus accensuit, impubere detonso, eo scilicet stimulauit flagrantissimus omnium augendæ potentiæ affectus imperij cupiditas, vt in sanguinem sæuirent suum, fas omne, diuina omnia & humana iura abrumpentes: omnia recta & honesta negligerent, dummodò potentiam consequerentur. Dirum scelus, & sæculis retrò omnibus inauditum fraterna discordia excepit. Theodoricus à Thuringis cis Albim fluuium Germaniæ populis malè primùm bello habitus, Clotarium in auxilium vocat: victisque Rebellibus, Hermenfredo qui Bertarium fratrem interfecerat Regnumque inuaserat, è muro deiecto, enatum est ex præda certamen: fauit Theodorico Childebertus: stetitque diu intra minas mutuamque diffidentiam fratrum furor. Sed longè atrocius ciuilium bellorum flammæ, sublato mox è viuis Theodorico, exarsere, is Theodebertum filium reliquerat: in hunc adhuc impuberem eadem quà nuper rabie accensi

Agath. l. 1.

A. C. 525.

Cic. 3. offic.

Childebertus Rex.

A. C. 527.

Greg. l. 3. c. 7.

Patrui insurgunt: conceptumque facinus expleuissent, ni feroces impetus Austrasiana nobilitas fregisset. Puduit cogitati sceleris Childebertum; quoque hanc coniurationis in nepotem suum infamiam elueret, eundem Regni sui hæredem instituit, quæ res grauissimis bellis fores aperuit: nam indignatus tantarum rerum accessionem Theodeberto obtigisse Clotarius, adhuc Suessionum Rex, comparato exercitu in hostes consanguineos fertur, rapitur: quis tunc Clotildis piissimæ mulieris ac matris pro ferocibus liberis sensus? quæ mens? quæ trepidatio, hæc ad celebre D. Martini fanum apud Turonas pacem vel inuitissimis, ab Deo impetrauit, sanctissimis votis precibusque. Nam cùm eductis copiis & infestis hinc inde signis fratres quasi in Barbaros pugnaturi in agro Aurelianensi starent: ecce mira res! derepente è sudo vdus, è sereno tenebrosus aër, coruscantibus etiam fulminibus, nimbos grandine immixtos horridè depluit: fœdum imbribus diem tonitrua & fulgura, & cœlestes minæ vltra solitum turbauerant. Itaque cælestes iras veritus vterque exercitus, conceptum furorem in hostem vertit. Sic plerumque acies quas crebræ inter consanguineos inimicitiæ accendunt, quædam diuini numinis voluntas diremit:

A. C. 530.

Greg. l. 3. c. 19. 12. 16. & seq.

A. C. 540.

Felices Franci quibus officiosa laboras
Tempestas.

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Bellum Gothicum quartum.

Childebertus Rex. NVnc abruptam ob domesticas dissensiones rerum externarum seriem retexamus: decebat enim populi Francici *Greg.l.3.c.10.* intestinos per ea tempora motus, separatos ab externis iustisque bellis, ex ordine *Aim.l.2.* prosequi. Almarico Arriano nupserat Clotildis Childeberti & Clotarij soror *A.C.531.* Christiana, hinc rixæ & domestica odia ex Religionis diuerso cultu: cum *sua cuique optima videretur*, ex hoc fonte bella *Gaguin. Cic.1. de fin.* mox enata sunt; quis credat eò erupisse Arrianorum insolentiam, vt adeuntem ad sacra Reginam, cœno nonnunquam turpissimè inspergerent: sæpius contumeliis & conuiciis velut è plaustro conjectis obruerent, quinetiam petulantissimè saxa vibrarent; *adeò qui est imbutus superstitione, quietus esse non potest!* His initiis ad arma ventum. Ferunt viso cruento sororis sudariolo Fratres in tantum exarsisse cupiditatis vindictæ, vt collectis vndique armatorum copiis nulla belli significatione, quippe dolor iraque animos accenderant, magnis itineribus in Hispaniam ad hostem *A.C.532.* properarent: fuit incredibilis rei gestæ sumptæque ab Hæretico vltionis celeritas. Superato Pyrenæo saltu, Almaricum quòd

malè exceptam fororem vexasset, captum bello apud Toletum in Hispaniæ vmbilico commisso; sæui obtruncant fratres: expilataque regia supellectile, in suam quisque sedem quasi hostium ac Barbarorum victores redeunt: abducta in Franciam sorore, nec verò sine aliqua Francorum clade bellum in Hispania gestum est: quippe montium incolæ in Pyrenæorum angustiis; redeuntes & spoliis onustos ac impeditos aggressi sunt: eóque ventum, vt Childebertus ingenti pecunia reditum pacisceretur. Quo tractu temporum, Gothi in Occitania à Francis magna internecione profligati, ad Theudam VVisigothorum Regem qui Almarico successerat profugere coacti sunt. Sed fratrum haud diuturna quies: nam paucis interiectis annis, sæuus inuasit Childebertum & Clotarium furor; verum annitente iterum Clotilde Matre, adeò non tota Parentum veneratio ex liberorum animis tunc exultabat, in gratiam rediere. Tum in VVisigothos Tarraconensis Hispaniæ Tyrannos arma conuertunt. His facilè profligatis, Cæsaraugustam nobilem ac primariam gentis vrbem obsident, Iamque eò redacta erat vt breui caperetur, cùm Christianorum auditis Hymnis præter spem, Reges Christianissimi vrbem liberam ac incolumem esse voluerunt. Sic Pietati cessit victoria.

A.C. 533.

Childebertus Rex. A.C. 536.

Isidor. Chron. Goth. Procop. l.1. de bell. Goth. A.C. 541.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Bellum Italicum primum.

Aim. l. 2. c. 8. & 9. Procop. l. 1. de bell. Goth. Agath. l. 1. A. C. 533. *Greg. l. 3 c. 30.*

THeodebertus Theodorici Metensis Regis filius, confecto feliciter in Piratas Danos, siue Normanos, qui Clochilaico Rege, quem ille manu peremit, oram Gallicam latrociniis infestabant, bello: Alemannis etiam aliisque finitimis gentibus subactis, famam suam longè láteque propagauerat: cum illum Gothorum & imperatoris Iustiniani diffidia in Italiam euocant. Miserat Cæsar instructum validis copiis Bellisarium ad depellendos Italia omni Gothos, qui capta primùm Neapoli, inde Roma, ferocem gentem & tot triumphis superbam compescuit. Gothi tot continentibus damnis fracti, cum Francis paciscuntur ea lege, vt acceptis xx. aureorum millibus, in singula (vt credere est) stipendia, Bellum in Bellisarium cum Gothis Franci gererent. Theodatus Gothorum Rex author fœderis fuit: sed ob ignauiam Regno & vitâ à suis exuitur. Vitiges eius in locum suffectus, pacta cum Francis ex fide seruat: additâ insuper ea Prouincia, in quâ celebres Coloniæ Massilia Phosensium, Aquæ Sextiæ, & Arelate Romanorum. Roma igitur ab Gothis toto anno obsessa nec capta, fœderatorum impetum fre-

Childebertus Rex.

git, vrbem strenuè Bellisario defensante: *A. C.*
nec prætereunda eo bello Tharsamundi 539.
cuiusdam Massagetæ equitis virtus: is frequentibus ex vrbe eruptionibus Gothos ita aggressus est solus, vt sæpè victor ad suos reuerteretur: donec vltimo impetu, vt *nemo se tutò diu periculis offerre tam crebris potest*, cæderetur magis quàm vinceretur, hostium multitudine obrutus, adeò insignis rerum gestarum elogio, vt Dentatum Romanum, Aristomenem Græcum longè superasse crederetur. Soluta obsidione Ro- *Aim.*
mâ Vitiges Mediolanum profectus, cæsis *l.3 c.32.*
ccc. vt ferunt, hominum millibus, direptisque omnibus vix dolorem ex ignominiâ conceptum expleuit. Francorum copias numerosissimas Theodebertus per maritimas Alpes transportauerat: sed longiori in Italia morâ senescente, vt fere fit, impetu, morboque absumptis pene suis, relictis tamen aliquot, quà opus erat, præsidiis in Galliam reuersus est. Bellisarius discessu Francorum vehementer lætus, Gothorum ingentes copias delet, captaque oppidanorum deditione Rauenna vrbe tum munitissima, Vitigem regno, Patria, ac libertate exutum Constantinopolim abduxit. In summa rerum desperatione Gothi creatis Theodebaldo in annum, Ardaricoque in *A. C.*
alterum regibus ac cæsis, Totilam Regno 540.
præficiunt, is capta Româ fœdéque vasta- *A. C.*
ta euersas propè Gothorum opes erexit, 542.
ac Iustiniano ita se formidabilem reddi- *A. C.*
dit, vt abdicato iterum Belisario quasi re 548.

A. C. male cum Gothis consultò gesta, ad eam-
550. que fortunam redacto, vt in triuiis stipem
cæcus corraderet ea voce, *Date obolum Bel-*
A. C. *lisario, quem inuidia excæcauit.* Narsetem
551. Eunuchum cum copiis ingentibus mitteret
in Italiam, quo fere tempore ancipiti bel-
lorum exitu depugnantes Gothi Romani-
que Francorum amicitiam enixè ambie-
bant, horum concursu læti, vt qui tempo-
Childebertus Rex. ribus insidiari viderentur Franci, re infe-
cta vtriusque gentis legatos dimisere. Stre-
nuè rem gessit Narses: quippe Totila cæso,
A. C. magna Gothorum strage edita, & Franco-
552. rum relictis à Theodeberto præsidiis aut
A. C. cæsis aut pulsis, Iustinianum nuper de vl-
553. timis dimicantem, magnis auxit honoribus
Proc. l. 1. ac titulis: adeò vt Alemannicus, Persicus,
VVandalicus, Gothicus, Alanicus, & Fran-
A. C. cicus diceretur: quasi vltrò Francorum vi-
554. res vt Gothorum cæterorumque attriuis-
set, non verò eorum opes expertus bello,
cum iis fœdus inire quam certare maluis-
set. Theodebertus, vt erat rebus maximis
suscipiendis quàm perficiendis aptior, in
Græciam meditatur: sed Procerum consi-
lio abstinuit: nouo tamen bello imperato-
ris gloriam vel excussurus erat vel auctu-
rus cum inter venandum tauri Syluestris
A. C. vulnere lethaliter ictus intra aliquot ho-
556. ras, vt vitæ finem, sic modum cupiditati im-
posuit, post Regni annum XVII. relicto
Theobaldo filio infirmæ valetudinis: nam
post IV. circiter imperij annum excessit:
ac biennio post Clotildis Clodouæi ma-

gni sanctissima vxor, tot Regum filiorumque parens. Cæterum hoc bello Gothorum in Italia imperium planè extinctum est, LXII. ferè anno quàm Italia à Theodorico rege occupata fuerat, horum reliquiis partim in Tusciam & Liguriam, partim trans Padum circa Venetias sparsis, & quibus assueuerant castellis oppidulisque confidentibus, ac quiescentibus: donec sollicitatis ad arma iterùm Francis bellum mouerent, pari quàm antea successu, rem Gothicam prodente Aligerno Teiæ Regis fratre. *Agath. l. 1.*

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Bellum Saxonicum secundum.

FRANCORVM imperio Saxones, gens alienæ seruitutis impatiens ægrè subiacebant: hinc promptum ad rebellionem ingenium, & in spem suæ libertatis continenter vbi occasio affulgeret, odium. *Nam vt maior fortiorque sis, quàm quisquam, tamen alienigenam dominum pati nemo vult.* Clotarius adhuc Suessionum Rex, ferocem populum armis afflixerat, & victum ferre iugum docuerat. Vita functis fratribus, Childeberto LV. Regni anno sine vlla prole sublato, solus ex Clodouæi Magni liberis superstes, regnum tenuit non diu quietum; nam Thuringia nuper armis domi- CLOTARIVS REX. *Clotarius Rex.* *Curt. l. 7 c. 8.* *Greg. l. 4 c. 14.*

Aim. l. 2. c. 27. Gaguin. P. Æmi. A. C. 557. ta rebellauit; & in belli societatem vicinos Saxonas facilè traxit. Itaque coniunctis vtraque gens copiis quàm potuit maximis ausa Clotario occurrere. Sed iusta acie victa apud Visurgim fluuium, cùm Saxonum Dux Bertoaldus Regis manu percussus cecidisset, erroris culpam deprecatur, summissis armis animisque durum. & inexorabilem Regem flectere ac demulcere non potuit, quare ex periculo ac necessitate, quæ ignauiam quoque acuit, audaciam
Liu. l. 9. sumens, aciem instruit: ac deliberata morte ferocior in vnius spem dexteræ ac virtutis accingitur. *Iustum alioqui bellum quia necessarium, & pia tum demum arma, quibus nulla nisi in armis relinquitur spes*, Clotarius
A. C. 558. igitur rebelles aggreditur: illi fortiter impetum sustinent: nam desperatio animos irritauerat. Cùm diu anceps certamen fuisset: & Saxonibus, quia præter spem resisterent, animi creuissent: Franci quia non vicissent pro victis haberentur: sublato repente clamore, tota vi facto impetu Saxones irruunt, impeditos multitudine ac trepidantes Francos adorti fundunt, cædunt, sternunt; castra diripiunt, ægrè seruato
Fl. l. 2. c. 15. Clotario: cuius præter spem opinionemq; clades, regibus documentum dedit. *Hostem vltrò se dedentem ad extrema quæq; adeunda audendaq; cogi nunquam oportere: maximéque mortiferos esse morsus morientium bestiarum.* Interim occupato contra Thuringos & Saxones Clotario, Childebertus graue bellum mouet, concitato etiam in absentem

partem Chramno siue Grano filio Notho. Maius opinione bellum exarsisset, nisi opportuna Childeberti morte extinctum foret. Reuersus è Saxonia Clotarius, cum moliri in se aliquid Chramnum resciuisset, ac Britanniæ Comitis Conoobrij opibus innixum comparare exercitum: eò aduolat cùm ingentibus copiis, ac fuso prius cæsoque in acie Britone, interceptum in rustici cuiusdam Armorici domo filium cum vxore ac liberis, immissa flamma rebellem succendit, irarum plenus ac ferox parens. Clotarium ferunt Yuetoti Regnum in agro Rothomagensi, ob interfectum ad aras Valterum eius loci dominum, instituisse. Annos fere LI. regnauit. Compendij excessit anno CDLXIV.

Clotarius Rex *Greg. l. 4. c. 20.* *Till. Chro.* *A. C. 563.* *Gaguin.* *Gillius.*

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Bellum Hunnicum secundum.

Rebus inter Cherebertum Parisiorum, Guntranum Aureliæ, Suesslionum Chilpericum, ac Sigibertum Austrasiæ siue Mediomatricum Reges Clotarij filios compositis: Bellum ab Hunnis post tres ab excessu Patris annos exortum est. *Mirum certè quantum doloris adferat ingentis animi populis, acceptæ semel calamitatis infamia! quàm ægrè obliterentur, illatæ Principibus viris iniuria!* Pulsæ cum Attila Hunnorum co-

CHEREBERTVS. REX. *Greg. l. 4. c. 23 & 27.* *Aim. c. 6. l. 3.*

A. C. 567. piæ, in Pannoniâ ad Danubium consederant. Hi siue ignominiam sub Merouæo Rege acceptam armis vindicaturi, siue Clotarij adhuc recenti morte quasi opportunâ referendæ iniuriæ occasione incitati; altercantibus ad hæc pro Regno fratribus, è Pannonia emergunt, Thuringiamque Francicæ ditionis prouinciam ingressi, latè omnia populantur: vltra progressuri haud dubiè, & quòd Attila tentasset, transacturi: ni strenua Francorum virtus, hostium furorem iam prouectum compressisset. Sigebertus Mediomatricum Rex, cuius exitio propior tempestas imminebat; manu fortis & bello strenuus, collecto vndique milite, hostem occupat: traiectoque Rheno, in vltimos Thuringiæ fines inuectus, prælium committit. Ad Albim notissimum Germaniæ amnem pugnatũ est, tantâ partium pertinacia, vt victoriam fortuna diu ancipitem distinuerit: nutauit illa, in quam se partem flecteret, donec eam Francis sua virtus peperisset. Tantò certè memorabilior ea fuit, quòd præter hominum vires, etiam Dæmonum accessissent: ferunt enim magicâ arte, spectris vndequaque occurrentibus, ita Francos exterritos primùm, vt funderentur, captiuo etiam Rege. Sed eo mox liberato, & captatâ sensim fiduciâ, Barbaros grauissimâ clade Franci afflixere. Sigebertus ferocissimæ gentis victor, multis hostium millibus interfectis, vlteriùs contumaces fuisset insequutus, nisi eum Chilperici fratris fraus reuocasset, adeò-

A. C. 568. Paul. Æmil. Papyr. Masson. Till. Chro. A. C. 571. Cherebertus Rex.

nihil apud dominandi cupidos probitatis aut *A. C.*
fidei est: sed libidine habendi feruntur reges *572.*
in præceps; non amicis, non generi indulgent *Gagui-*
suo. Hic absente Sigiberto fratre, Rhemo- *nius.*
rum vrbem, aliaque passim oppida inuasit: sed victore Hunnorum exercitu validus Sigebertus, sua facilè recipit: vicissimque Suessionem Chilperici regiam vi capit, Theodeberto filio Fratris intercepto: ad cumulum tot cladium, quas sibi vltrò fabricauerat, accessit copiarum penè omnium vasta cædes; tantâ victoris gloriâ, quanto victi dedecore: qui ignominiâ conspersus, suo ac ciuium damno expertus est, *nun-* *Till.*
quam ea ritè compleri, quæ præter ius ac fas *Chro.*
susceperis. Hoc velut prælludium maioris belli fuit, quod breui inter eosdem exarsit longè grauissimum; nec nisi alterius cæde finitum. Sed suo omnia loco ac ordine referenda sunt, ne pulcherrimarum rerum seriem dissueret magis ac destrueret oratio desultoria, quàm contexeret. Cherebertus muliere, quauis corruptior: moritur I x. ferè Regni anno.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Bellum Longobardicum primum.

LONGOBARDORVM gens è Scandinauiâ, Oceani Aquilonaris insulâ, orta, in côtinentem Germaniam cum vxoribus pri-

CHILPERICVS REX: *Paul. Diac. l. 3. c. 1. & seqq. Sigon. l. 1. Proc. l. 2. de bel. Goth.*

mum, inde in Pannoniam profecta, cum Hunnorum ope vicinos Gepidas prælio deleuisset, tanta virtutis fama, tanta rerum gestarum gloria enituit; vt obscuro sortus, tenuissimaque initia, armorum nominisque sui claritate illustraret. Horum Rex Alboinus, Andoini filius, rex iam decimus, è Pannonia in Italiam contra Gothos à Narsete accersitus, mox prostrata Gothorum gente cum ingentibus præmiis dimissus est: iterum ad inuadendam Italiã ab eodem Narsete, quem Sophiæ iunioris Iustini imperatoris vxoris contumelia impotenter accenderat, inuitatus est: quippe illa Eunuchi opera ad pensum indigere se rescripserat. Contumelia accensus Narses conuicianti respondit, *eiusmodi telam se orsurum texturumque, quam neque ipsa nec vir eius dum viueret, retexerent*. Igitur ea gens, præ cæteris inculta asperaque moribus, militari etiam consuetudine efferata, à ceruice ad occipitium rasis capillis, reliquis à fronte ad os vtrinque demissis horrida, ad hæc barbis oblongis ac incultis, (hinc illis forsan Longobardorum nomen) trucem speciem præ se ferens, cùm iam sexto ferè & centesimo anno sedes in Insubria ac fertilissimis Galliæ Cisalpinæ locis sibi delegisset, ausa est finitimos Francos bello appetere: factaque in Alpibus ingenti præda, fusis Guntrani copiis, Pœnio Duce in acie cæso, domum reuertit. Rursus maioris lucri desiderio incitata, Cottias Alpes transcendit, excurritque ad oppidum Alpinas

Macropogones A. C. 573. Papy. Mass. A. C. 576. Paul. Æmy.

gentis Ebrodunum, non procul ab eo iugo, vnde Druentia fl. oritur: vbi Amatum Regionis præfectum acie congressum, interemerat. Verùm profligatis partim copiis, cæteri fuga in suas sedes à Mummoleno Guntrani Aurelianorũ Regis Duce compulsi sunt. Quo etiam fere tempore Saxones, qui Longobardis societate belli adhæserant, ab eodem Mummoleno victi prostratiq; sunt. Interiectis aliquot annis illatum sibi vltrò bellum Franci in Longobardos refundunt; qui insperata re perculsi, per Legatos pacem deprecantur, quam acceptis Francorum legibus, impositoque tributo annuo reportarunt. Chramnichis Francorum Dux longiùs progressus Alpes superat Tridentinas, ac Tridentum oppidum vi expugnat: maiora haud dubiè moliturus, ni sors inuida & maligna, tanti viri virtutibus inuidisset. Sic Francis infelici euentu tentatis, Longobardi animum ad res Italicas adiecere. Childebertus interim Sigeberti filius, is qui Mediomatricum Rex fuit, Mauricij imperatoris instinctu, præmissa in Franciam ingenti pecuniæ summa, iterum ac tertiò Italiam ingressus, inquietum nefandæ gentis ingenium coërcere ac reprimere frustra conatus est; quippe vasta clade Franci profligati sunt, moxque Flauio Authari, Longobardorum Rege vita functo, Agilulpho successori pacem iterũ precanti dedit: quæ icto cum eorumdem Rege Grimoaldo fœdere à Dagoberto confirmata est: stetitque donec ab impia gente nefariè violaretur.

A. C. 578. Chilpericus Rex.

Paul. Diac. l. 3. de gest. Long. c. 17.

A. C. 588.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Bellum Saxonicum tertium.

CHILPERICVS REX. *Pap. Masson.*

SAXONES, fuso nuper, vt prædiximus, Clotarij Regis exercitu superbi ac feroces, Francicæ ditionis populos assiduis incursionibus diuexabant. Thuringia eadem belli renouandi causa & gerendi theatrum fuit: vt vbi nuper Hunni cæsi à Francis fuerant, Saxones duobus continenter prælijs cæderentur. Sigebertus huic bello Lupum impigrum hominem, ac rei militaris peritissimum Ducem, præfecit. Is eò celeriter aduolat, vbi hostem adeptâ olim victoriâ elatum compesceret. Nec territi eius aduentu hostes, sed vel honestè bello mori, vel libertatem armis tueri statuentes, haud incruentæ pugnæ se mutuò accingebant. Armis mouendis assueta gens, ad obsequium reuocari, in eoque sine armis contineri non poterat. In ripa Bordahæ sinuosi amnis, manus conseruntur. Franci equitatu longè præualentes, Saxonum ordines facile turbare; illi contra in pedites ruere, sternere, fundere: facturi victoriam difficiliorem, nî insequentium equorum vngulis protererentur. Longius prælium partium pertinacia fecit: multa hostium millia concisa sunt: submersorum, qui amnem traiicere natatu contendebant, nume-

Chilpericus Rex.

rus infinitus. Paucis mensibus interiectis, grauius bellum ab iisdem enatum est, pari tamen fortunâ confectum: nec per legatos, vt antea, sed à Sigeberto Rege agmen ducente gestum: quo maior Francorum virtus & animus præsentior, qui rerum gestarum testem ac præmiatorem principem aduerterent. Neque is imperatoris modò, sed strenui plerumque militis munus expleuit: namque vbi classicum audiri cœptum, in primis ordinibus pedes fortiter dimicans, magnum victoriæ momentum attulit. Memorabilis eo bello Condæ viri fortissimi virtus: is quanquam senex, incredibili ardore pugnam iniit duobus pugnacissimis liberis amissis. Horum casus cum luctu laudem emerito diu patri peperit, pro patriâ hostium cruore asperos cecidisse vehementer lætus, eo insuper honore affectus est, vt in regia sederet mensa. Hoc virtutis præmio donari eum oportuit, qui ad vltimum vitæ terminum se, suos, suaque omnia Regi ac Patriæ impenderat. Dulce & decorum est sic mori.

CAPVT TRICESIMVM.

Bellum Ciuile secundum.

VIx sepulto Clotario primo, Francorum Rege VII. bellum Ciuile secundum inter fratres exarsit, & Galliam prope

Chilpericus Rex. *Greg. Tur. l. 6. c. 14.* omnem fœdiſſimis flammis corripuit: plenum variis cædibus Regnum, atrox præliis, diſcors ſeditionibus, ipſa etiam pace ſæuum: tot bella ciuilia, tot externa, ac plerumque permixta. Ferro interempti principes, domeſtica odia, adulteriaque; nec ſacris etiam parſitum. Motæ quoque prouinciæ ac procerum arma falſi Regis ludibrio.
A. C. 577. *Tac. hiſt. 1.*
Aluit incendium fratrum dominandi cupiditas, ſed ſpirantibus hinc inde mulieribus, Brunechilde & Fredegunde, vti Furiis ad Franciæ perniciem orco emiſſis, longè vehementiſſimum euaſit. Ferunt iis circiter temporibus, in Pariſienſi agro, cœlum ſanguinem depluiſſe; diraque oculis obiecta prodigia, viſas nimirum haſtas atque acies igneas è diuerſo concurrere: manifeſta ciuilium bellorum ſigna, quæ mox erupe-
A. C. 575.
runt, ad cruentiſſimas ſtrages hominum animos ſic paulatim comparabat. Confecto igitur bello Saxonico, Chilperici filius Theodebertus, Turones, Pictauos, & vicinas ciuitates trans Ligerim, vaſtatis agris, inuaſerat. Sigebertus magno copiarum numero, Fratrem eò impulit vt pacem peteret: quæ illico redditis oppidis data eſt. Sed iterum ardeſcente bello in finibus Carnutum pugnatum eſt acriter, cæſo in acie Theodeberto, Chilpericóque Tornacum Neruiorum oppidum profugiente. Victor ab exercitu Pariſiorum Rex vetere Francorum ritu parmæ impoſitus ſalutatur. Sed
A. C. 579.
vt *omni ferè felicitati pediſſequa eſt calamitas*, tam ſecundo rerum ſucceſſui fata

inuidere, vt ostentato magis quam exhibito gaudio ac regno potitus videretur. Nam duo sicarij, Fredegundis, quam ex pellice vxorem fecerat Childericus, auro corrupti, Regem noui regni gloria exultantem, in ipsa turbâ adorti necât. Chilpericus occupata Sigeberti ditione: relegataque Brunechilde. Merouæum filium ad inuadendas etiam Guntrani terras mittit. Verùm is Brunechildis amore irretitus, cùm eam adolescens deperiret, in vxorem duxit, amorem paternæ voluntati preferens. Hinc iratus parens, captum & in custodiam missum; mox elapsum receptumq; suo & Nouercæ odio nimis obtemperans, iuuenis licentiam, quæ amori poterat imputari, nefanda cæde vltus, iussit occidi. Tum Prætextatum Rothomagensem episcopum, quòd nuptiarum sacra perfecisset, exilio priùs multatum Fredegundis curauit obtruncari: quo etiam tempore atrox prælium, ne quid omnino deesset malorum, Chilpericum inter & Guntranum per legatos commissum est. Grassata in Clodouæum alterum Chilperici filium, aliosq; clarissimos viros furiosa mulier, tot cædibus miserum coniugem, atque adeò luctuosam Francorum Rempubl. deformauit: vt mirum esset vnius mulieris artibus ac sceleribus regnum euerti florentissimum. Nec diu inulta Regis Chilperici scelera, quæ suadente illa Megærâ, nimiùm vxorius admiserat. Nam vt *fœmina amissa pudicitia alia flagitia non abnuit*, Fredegundis, cuius impudicitiam

Chilpericus Rex.
A. C. 580.
A. C. 581.
A. C. 582.
A. C. 583.
Greg. c. 40. l. 5.
Tac. 4. hist.
A. C. 587.

Rex fortè per iocum detexerat, dolo, & adulteri Landerici Equitum Magistri consilio cæsus est proditoriè, cum è venatione vesperi reuerteretur: anno Regni XXIV.

Clotarius. Rex. *O egregias regum vices!* Iacuit diù cruentum Regis cadauer, cunctis passim, ipsâque patricidij machinatrice diffugientibus: relictus à Chilperico infans IV. ferè mēsium: is sub Guntrani Aureliæ regis patrui tutelâ ad X. vt nonnulli volunt, annum adoleuit: quo XXX. Regni sui anno naturæ concedente, bellum in matrem infantemque ipsū Regem, à Childeberto Brunechildis instinctu motum est. Huic virili animo prædita Fredegundis, cum infante obuiam progressa pro speratâ victoria, cæsis XXX. armatorum millibus cladem intulit maximam,

A. C. 598. docuitque *nusquam minus quàm in bello euentus respondere*, nouo belli genere certatum est; hos ira, illos miseratio, hos tubarum cantus, illos infantis vagitus accendebant: Fredegunde regiis militibus puerum assiduè ostentante. Vix fuga incolumis Childebertus, respersus ignominia,

Clotarius Rex. breui fato functus est. Fredegundis vsa occasione Parisios intercipit, cæsis iterum Burgundis, sed breui post victoriam extincta

A. C. 600. est. Brunechildis sublata æmula quasi victrix, multa in Clotarium parabat; cùm ab Austrasiis præter spem expellitur, miserrima mulierum. Interim paternas iniurias

A. C. 603. vindicaturi liberi, in Clotarium consilio restitutæ Brunechildis mouent: vincuntur prima belli impressione, mox reparata acie-

vincunt: tum inita cum Clotario pace, victis Vasconibus, composito Saxonum tumultu, ac Longobardis in Francorum amicitiam admissis, post sexennium ad arma odiis inter se dissentientes concitantur, *adeo difficile est pacem inter consanguineos esse diuturnam.* Initium turbarum penes Clotarium fuit, hic Bertaldum Magistrum Equitum & præfectum Prætorio apud Austrasios, rerum gestarum gloria insignem virum, à Theodorico Rege in Neustriam missum, vbi superioris fœderis acta expleret, ingenti exercitu comparato per Merouæum filium admodum iuuenem, & Landericum illum patris percussorem aggressus, profligasset: ni rei haud ignarus Aureliam cum suis diuertisset, eiusque vrbis mœnibus contra Landerici impetus se muniisset. Eò igitur cum copiis aduolat Landericus: cumque acie decertare non posset, singulare certamen hoc tempore vsitatissimum Bertaldus indixit: sed recusante hoste, ab oppido discessũ est. Theodoricus interim cum copiis properauit: Landericumque apud Stempas assequutus, ita profligauit, vt capto Merouæo Regis filio, fugientem Parisios vsque insequeretur. Exceptus à Parisiensibus, Clotariũ facile exuisset regno: ni Theodebertus fraternæ felicitatis inuidus, ac potentiæ maioris haud patiens, obstitisset. Huic victoriæ quantum attulerit adiumentum Bertaldus, in promptu est: is Brunechildis hostis, cũ peti se omnibus artibus ab impotẽti muliere resciuisset, turpi exitio

A. C. 604.

A. C. 610.

Aim. l. 3. c. 5.

Fredeg. c. 47.

Chro. P. Æmil.

honestam mortem præferens: per confertos hostium cuneos irruens, deficit, turbauitque ordines, ac sanguinis sui impendio, insignem cum victoria famam sibi patriæque pepérit. Quo ferè tractu temporum Gondemarus Hispaniæ Regulus tributarium se regnumque suum Francis professus est. Tum Brunechildis fratrum odia & tacitas simultates adeo fouit accenditque, vt frustra ab amicis coerciti, comparatis vtrinque copiis decertarent. Igitur collatis signis primum iuxta Tullum Leucorum, deinde in finibus Vbiorum apud Coloniam Agrippinam ad Rhenum pugnatum est, victo Theodeberto, qui Brunechilde suadente à Theodorico fratre immanissime obtruncatur. Erāt duo superstites liberi: vtrūque sæuissima mulierum eliso ad saxum iuniore Merouæo interfecit. Tertium Sigebertum in Germaniam profugisse, Auctoremque Austriacæ domus extitisse somniant. Nec vltra passus foret tigridem sæuire in sanguinem suum Theodoricus, nisi mox idem sumpto veneno à Brunechilde tolleretur. Tandem tot rea flagitiorum, camelo imposita, & ad deridiculum huc illuc traducta, demum alligata equinæ caudæ, per ardua & aspera loca raptatur ac in diuersa agitatis equis fœdum corpus discerptum est. *Sic miserrima vita, pessima morte finita.* Quis credat in Francia, quo in regno omnium nobilissimo, nullum mulieribus regnandi ius est, tantum licuisse: vt ferro, flamma, cædibus impunè grassarentur;

Clotarius 2. Rex. A. C. 611. *Mariana c. 2. l. 6. de rebus Hisp.* A. C. 612. A. C. 616. A. C. 617. A. C. 618. *Tritem Lazius Munst.*

tur: cùm hæc coniugem & priuignos, illa liberos; vtrobique Reges, per potentiæ, verius dicam, per impotentiæ satellites tolleret: primùm quidem clam & cuniculis tentata res inuicem: instructis & paratis ad omne facinus qui venenum miscerent: sed vbi artes in irritum cessere, manifestè agunt: semel ac iterum Guntranus, moribus vt cognomento bonus, Clotarij secundi Regnique tutor, penè à Fredegundis percussoribus interemptus est: tum illa in aliorum perniciem ac dolos transijt, tantò nocentior, quòd occultè grassaretur. Non tamen adeò aut virtutum sterile sæculum, aut fœcundum sceleribus fuit, vt non etiam bona exempla prodiderit: ab insigni puella Campaniæ Dux, Amallonem vocabant, cùm vim pudori inferre vellet, interfectus est. Data à Guntrano puellæ venia, quæ cum Romano illo milite, *facere periculosè quàm turpiter perpeti maluerat.*

Greg. l. 9. c. 27. A. C. 564.

Clotarius 2. Rex

Cic. pro Mil.

CAPVT TRICESIMVM PRIMVM.

Tumultus per fictitium Regem concitatus.

TVrbato ciuilibus bellis, vt dictum est, Francorum regno, varij insuper motus, licentiùs initio Clotarij secundi, vt erga Principem nouum oriebantur. Supra fidem est mentita origine eò prouexisse fortunam suam plebeium hominem, vt

A. C. 588. Greg. c. 24. l. 6. & seq.

Aim.l. 3 c.61. pro Rege à plerisque regni primoribus haberetur ambireturque, Gundebaldus id nomen impostori ac sycophantæ fuit vltimæ sortis, ausus (quæ hominis impudentia fuit) se regno pro Regis filio intrudere, bello longè difficillimo Clotarium impediuit, ac propè regnum inuasit. Ita *inertidis reip. temporibus parua quæque res, magnis motibus agebantur.* Nec cunctanter ad fictitium Regem ab vrbibus nostris populisque descitum est. Hunc sequuti, quis credat nefas? aliquot regni proceres, ac imprimis Mummolenus ille, qui Longobardos fregerat, Regem Clotarium Guntranúque graui & anxia cura perculere. Scenico Regi non vires tantùm Regiæ, verum etiam generis nobilitas, consensu plurimorum tribuebatur: ille pristinarum sordium oblitus, regio cultu, animo quoque regio regium nomen impleuit, fiduciam impostori dabat tum Clotarij infantia, tum sequacibus impunitas: ad hæc duarum mulierum accensa in exitium regni odia. Nec vrbes modò, sed integræ prouinciæ, scenicum illum Regem sequutæ sunt; sed citò Guntrani opera singularique prudentia, ea vrbium, prouinciarum, ac procerum societas dissoluta est. Iusto tamen exercitu opus fuit, nec nisi armis coactus purpuram deposuit. Lugdunum Conuenarum vrbem natura, situ & hominum arte munitissimam ingressus, regios exercitus Duce Leudegisilo expectabat: ac fretus egregiis ducibus Impetus hostium re-

Iustin. lib. 35. Flor. l. 2. c. 14.

Clotarius Rex.

presiisset, nî proditas à suis tandem caperetur, & scenâ quodammodo peracta, ludibrio cæterorum cæsus daret pœnas: & Franciæ, quam turbauerat, & Regiæ maiestati, cuius mentitus originem fuerat pseudorex, Nec feliciori exitu egregij falsæ potentiæ satellites donati sunt: vt qui regis scenici fortunæ fuerant, essent & calamitatis participes. Sæuitum etiam in vrbem, quæ regem illum imaginariam admiserat: euersa funditus, trucidati ciues promiscue, vt nec sacris hominibus parceretur, vt hoc exemplo discerent ciuitates Regem suum non fictitium salutare. Tot turbas, tot tumultus vnius hominis calliditas, aliquot freta rebellium opibus concitauit: nec vlla maior in Francia, à condito imperio, pro vilissimo mancipio perturbatio memoratur.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Gothicum Hispanicum quintum.

Gvntranus, extincto cum auctoris cæde Gundebaldi tumultu, in Hispaniam contra Gothos validissimas quidem copias, sed Duce destitutas mittit: Hinc malorum omnium sæpe in re militari origo: quippe *militaris sine Duce turba, corpus est sine spiritu.* Causa belli eadem, quæ nuper in Almaricum, Ingundis Guntrani

A. C. 589. Greg. c. 30 l. 8. Curt. l. 10.

Mariana Rex. Hisp. l. 5. c. 13. & seqq.

Clotarius 2. Rex.

neptis, Childeberti soror, ob religionis sensum malè habita exceptaque ab Arrianis Gothis, nam ea pòst Erminigildi sanctissimi iuuenis mariti indignissimam à Leuuigildo parte necem, oppleta squallore & lachrymis in Africa, quò se cum filio paruulo receperat, diem obiit. Prima belli alea si tamen bellum prouinciarum populationem appellare fas est, ad Narbonam, Nemausum, aliasque vrbes recipiendas, nam eas Gothi vti sui in Gallia naufragij reliquias adhuc retinuerant, venere. Sed breui re infecta, eò vnde progressæ fuerãt, copiæ reuersæ sunt. Tum Reccaredus Leuuigildi Hispaniæ Regis filius, exploratâ nostrorum fugâ, in Occitaniam, traiectoque Rhodano Prouinciam, impetum facit. Quis fuerit tandem belli exitus, si exteris credidimus, certè nobis cruentus, luctuosus & pudendus; cæsis aut captis, vt somniant, LX. Francorum millibus: & vt fabulam cudere, non rem gestam credas recensere, à CCC. Hispanis promiscuè ac Gothis tantũ prodiisse miraculum. Propius verò est, aut pari vtriusque gentis fortuna, aut si maiori Frãcorum clade bellum exierit; quæ tandem victoriç adeo celebris merces? Vnde in dãda supplicibus pace, Guntrani paulò obstinacior animus? ita victi Franci, vt patenti Reccaredo pax à Guntrano minimè concederetur, quam tandem eiurata Arrij prauitate, ductaque in vxorem Clodosinda Childeberti Austrasiani Regis altera sorore, Rex virtute, pietate, ac religione impri-

mis præstans, adeptus est; annitente, vt ferunt, Brunechilde Hispana muliere. Ortum inde ab Authari Longobardorum Rege; qui Clodosindam pari ambitu Francorumque affinitatem petebat; sed repentino eius fato, bellum extinctum est. *A. C. 590.*

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Bellum Saxonicum quartum.

DAGOBERTVS, Austrasiæ regno à patre Clotario II. donatus, Pipino Arnulphoq; clarissimis viris, quorum opera, manu, consilioque vteretur, assignatis, cum Saxonibus bellum habuit graue ac difficile; turpiori sane exitu, ni paternæ opes accessissent: nam primo belli impetu, quanquam victor, in summum tamen vitæ periculum adductus est. Vltra Rhenum pugnatum est, vbi Dagoberti virtus & digna principe generositas maximè enituit, is immixtus hostibus, dum virtutis regiæ clarissima suis dat documenta, aduerso capite adeò graui vulnere percussus est, vt effracta casside, auulsaque cum longis crinibus cutis particula, solo deiiceretur: nec ille segnius speciosior sanguine, & ipso periculo angustior terga hostium præcidit. Hanc illico ad Clotarium patrem per expeditum equitem misit, vt magnitudinis animi, sic & periculi testem: nam *vulnera*

A. C. 626. Fredeg. c. 45. & seqq. Clotarius 2. Rex. Aim. l. 4. c. 18. P. Æmyl. Fl. l. 4. c. 12. A. C. 630.

A.C. 630. *quæ quisque excipit ; indicia virtutis sunt: quot cicatrices, totidem corporis decora.* Cognito filij periculo, Rex cum omni propè Francorum nobilitate Rhenum traiicit; ad Visurgim cum filio copias iungit. Nouo exercitu, nouis viribus, nouâ belli mole aucti Austrasiani, repente clamorem tollunt, & secundæ victoriæ spe concepta, Saxones letho vouent. Singularis fuit Bertulphi Saxonum Ducis impudentia: hic cum in altera fluminis ripa staret, ausus est Regem conuitiis scurriliter incessere. *O*

Curt. l. 4. c. 14. *quàm acres habet dolorum aculeos contumelia, quàm imponit inferior!* traiecto siquidem amne, cùm in castra territus Saxo recederet; ab Rege occupatus & in pœnam conuiciorum ab infenso obtruncatus est. Hostium adeo cruenta cædes edita est, vt vix vllus euaderet. Reuersus in Franciam

Naz. Paneg. victor Clotarius, breui fato functus est, anno regni circiter XLV. Rex mehercule Regiis virtutibus tantùm ornatus, quantùm ea dignitas capit. Religionis rebus deditissimus, literis apprimè institutus, liberalis, Guntrano tutori quondam suo moribus simillimus, sed animi magnitudine longè maior. Huius temporibus, anno ferè Sal. repar. DCXXII. orbi Christiano luctuosa &

A. C. 632. exitialis Mahumetis secta exorta est in Arabia; quæ quantum postea creuerit, do-

Const. cumento sunt tot gentes, tot prouinciæ, tot regna imperiaque à Barbaris sectatoribus occupata.

CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Bellum Saxonicum, primum.

DAgobertus Franciæ Rex magnis primum virtutibus eluxit, ac pietate in Deum, in studia literarum affectu, in hostes magnitudine, in suos charitate vix vlli cessisset, nisi libido sola tantis meritis labem maximam inussisset: adeò *in venerem ac libidinem proiectorum inhonesta labes est*. Bella gessit in locis distantibus pari felicitate vbique victor. In Sclauos mouit, partim Religionis causa, partim gentis Barbaræ continuis excursionibus prouocatus. Fuisse feruntur ij olim, qui nunc Bohemi Poloniqué sunt, è Scythia Barbarorum feracissimo seminario profecti. Nonnulli Albim fluuium medio cursu Sclauos à Saxonibus dirimere contendunt. Hi expilatis negotiatoribus Francis, in finitimas Francorum Prouincias irrumpentes, prædas ingétes auehebant. Samoni gentis Regi, quem natione Francum apud Senonas natum, regiam ibi dignitatem, victis eius consilio Hunnis, adeptum fuisse ferũt, missus Franc. fecialis, deposito Francico habitu (nam eo indutus à Regis, qui iam pridem mores cultumque patrium exuerat, conspectu arcebatur) sumptoq; Sclauico, rapta ferociter repetens, atrox bellum indixit. Exercitus

DAGOBERTVS REX. *Senec. de Breui. c. 6.* *Aim. l. 4. c. 23.* *Fredeg. c. 67.* *Chro. A. C. 633.* *Mass.*

ex Alemannis, Thuringis, ac Francis compositus, breui expeditione furorem hostiũ compescuit. Sed cùm nullam excurrendi ac populandi finem facerent, visum est ex vsu Reipubl. Aribertum DAGOBERTI fratrem Austrasia siue Regno Mediomatricum donari, qui hostium impetus præsens coerceret.

CAPVT TRICESIMVM QVINTVM.

Bellum Vasconicum primum.

Dagobertus Rex. Paul. Æmyl.

ARIBERTVS cum Austrasiæ regno Aquitaniam à fratre acceperat: vt materia tumultus improbis ac rerum nouarum cupidis tolleretur. Hic tutoris Brunulphi, quem mox DAGOBERTVS, veritus eius potentiam, interfecti opera consilioque vsus, Vasconiam recuperauit, eius morte & relicti infantis Chilperici paucos dies superstitis, res Francica in vnum coiit:

A. C. 639.

Sed non diu Vascones armis nuper domiti, in fide mansuetè. Chadonius rei militaris peritissimus cum numerosissimo exercitu eò missus, feroces & Hispanica victoria elatos compressit. Primum igitur ingenti clade soli imperium accipiunt: mox orta ex rebus initio lætis nostrorum incuria, quia fermè fit, vt res secundæ negligentiam creent. Arembertum Ducem incautum, & ab exercitu seiunctum adorti ex improuiso oppri-

Mariana c. 4. l. 6. Liu. l. 21.

munt. Tunc iunctis copiis in contumaces itur: iamque ferro & flamma absumendi hostes, ortam ab imperito vulgo, non fraude publica rebellionem causantes, veniam erroris ab Rege irato deprecantur. Sed ex austero vultu, tristique Principis supercilio, nihil boni augurantes, clausæ quippe erant precibus aures obstrepente ira, veriti, quod futurum erat, extrema quæque, ad ædes arasque D. Dionysio sacras confugiunt: salutari reis consilio ac miseris perutili: nam honore Martyris, cuius ædem à fundamentis magnificè erexerat in Maximum Regum Franciæ Mausoleum, data supplicibus venia. Sic Pietatis & Clementiæ illustre exemplum præbuit Dagobertus Rex: quamuis enim aliquot vulnera eo prælio à rebellibus acceperat, & iratus vi deretur, omnibus qui aduersus arma tulerant: tamen, vt de Agesilao ferunt, antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari. *Nefas quippe visum est ab iis pœnas exigere, quos sacer Diuo locus exce erat.* Auxit eam Dagoberti famam Iudicaël Armoricarum ciuitatum Regulus, qui se suosque Francorum Regum arbitrio summisit: sed breui excessit è viuis Dagobertus XVI. regni anno, si duos viuo adhuc patre numeremus, relictis duobus liberis Clodouæo & Sigeberto. Iudæos Francia edicto iussit excedere: Sisenandum nobilem Hispanum, exuto Suinthila, Regem creat; Abundantio & Venezando copiarum. Præfectis eò missis, tantatum Franciçæ gentis gloria.

A. C. 642.

A. C. 643.

Dagobertus Rex.

erat, vt eius arbitrio sceptra regerentur gerenturque.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Bellum Thuringicum.

CLODOVAEVS 2. REX. Fredeg. Chro. Aim. l. 4. c. 35. A. C. 652. Senec. Thyest.

DIVISO in duas partes post Dagobertum imperio, Transrhenanorum plurimi à Francis defecere: Rebellium audaciam iuuante Principum socordiâ. *Frustra quippe reuerentiam expectes, vbi Regnum iustitiæ fama & opinione virtutis florere desiit: imò vbi non est pudor, nec cura iuris, sanctitas, pietas fides; instabile regnum est.* Sigeberto natu minimo Austrasia in ditionem, Clodouæo fratri Francia obuenerat: qui eos lacessere ausi nulli: verùm vbi in Gallia turbatum est, Præfectis Regiæ, quos Palatij magistros appellabant, immortali odio inuicem flagrantibus ac dissidentibus, seséque mutuò extrudentibus; sensim fidem exuere, & *quo quisque à Principe remotior populus, fidentiùs rebellare cœpit.* Rodulphus Thuringiæ Præfectus inito cum VVinidis, vt vocant, aliisque inferioris Germaniæ populis fœdere, Austrasiam omnem, Regemque adeò Sigebertum grauissimo bello implicuit: quod non priùs confectum est, quàm Thuringia excusso seruitutis iugo se in libertatem strenuè âsseret. Vt adiri se hostis priùs videret & pre-

mi, quàm parati copias audiret, Rex non expectari Thuringos, sed occupari oportere ratus, Rhenum succinctus validissimis copiis incredibili celeritate transgressus bellum inferre quàm habere maluit. Læta satis & prospera Francis belli initia affulsere: claro iam orbis experimento *primum Francorum impetum maiorem quàm virorum, at sequentes sensim fatiscere*: igitur vt belli tractu Sigeberti copias frangeret Rodulphus commeatu omni in munitissima castra importato, cum delectâ Thuringorum iuuentute in arce natura & arte hominum firmatâ, sese continebat; à Rege obsessus ac pressus, propè de vltimis dimicabat, cum rei gerendæ occasionem nactus, facta eruptione, tam feliciter Francos adoritur, vt à paucis quidem, sed desperatis, ingentes copiæ funderentur, tùm soluta obsidio est. Sigebertus amissæ Thuringiæ dolore tantum consternatus est, vt breui naturę legibus concederet, relicto Ciuilium turbarum luctuoso argumento: nam Grimoaldi Eq. Magistri Filium Ildebertum adoptauit, qui post patris excessũ Dagobertũ in Scotiam abductũ sacris addixit. Verùm Ildeberto in acie cæso, captoque & in carcerem truso Grimoaldo, Clodouæus Austrasiæ Regno potitus est. Hac tempestate, tanta Galliam fames inuasit, vt aurum argentumque quo D. Dionysij duobus à Lutetia milliaribus ædem Dagobertus Pater magnificè impenséque ornauerat, cæteraque quæ ad subsidium pauperum Ecclesiæ

Clodonæus 2. Rex.

Fl. l. 2. c. 4.

Aim. l. 4. c. 42.
Till. Chro. A. C. 656.

Aim. l. 4. c. 43. A. C. 660.

dicata donataque sunt, Clodouæus filius pereuntium fame necessitati piè distribueret. Hoc Regis factum vt nefarium & indignum nonnulli arguunt, sed quàm rectè illi viderint. Nullam maiorem crediderim Principum felicitatem, quàm publicæ intercessisse inopiæ. *Regium est audire malè,*

Plut. Apoph. *cùm facias bene.* Vtinam sic Reges populum fame, miseriis, totque malis oppressum subleuarent; nec ob alias causas Ecclesiæ census minueretur. *Semper optimè alendis*

Till. *pauperibus, quæ viua Christi templa sunt, erogantur superflua.* Exacto inde biennio vix mentis compos vitam cum morte commutauit Clodouæus, relictis Clotario, Childerico & Theodorico liberis, Regni anno circiter XVII.

CAPVT TRICESIMVM SEPTIMVM.

Regia Merouingorum familiæ Segnities.

CLOTARIVS 3. REX. Auent. l. 3. Aim. l. 4. c. 30. Paul. Æm. in

CVm extincto pridem Dagoberto, simul Regum gloria extincta est: Regibusque socordiæ ac luxuriæ fœdè se mancipantibus, vnà cum illo Principe Maiestas imperij Francorum collapsa corruit. Præfecti prætorio Rempubl. trahere, rapere, lacerare. Sic præclara Clodouæi magni indôles exoleuit; quantumque maiores gloria & finium propagatione ducebantur, tantùm hi remissione curarum, & vo-

luptatum illecebris felicitatem metiebantur: sepulti deliciis ac planè immersi, Regium splendorem ac decus in probrum conuertunt, Kalendis Maij in publicum prodeuntes, quasi Persarum Reges, apud quos persona Regis sub specie maiestatis occulitur, nullo publico aut Regio, nedum virorum, inter scortorum fœdissimos ac spurcissimos greges muniere functi, summam rerum abs se vt grauem molestamque reiiciunt Magistris Equitum siue Palatio Præfectis negotia omnia pacis bellique temporibus, domi, forisque transmittunt: ac dimissa Reip. cura degeneres, cùm nomen Regis penes ipsos, ius autem omnis imperij penes Aulæ magistros esset, in tantum auxerunt exiguam ipsis initiis authoritatem, vt potestate Reges essent: Sic *quæ vna imperandi ratio est, vt non aliter ratio constet, quàm si vni reddatur*, Principum Legationes audire, responsa inconsultis Regibus dare ac reddere, fœdera icere, Pacis, belli, legum, institutorum, verbo omnium arbitri moderatoresq; occipiunt; Regum socordia viam facillimam ad capessendum imperium sternente. Quantò hæc Præfectorum potestas maior, eò potentius ad eam eniti primores Francorum, aliis alios exturbantibus, vt *sunt ingenia Regnantium prona ad formidinem, & suapte natura potentiæ anxij æmuli*: nec plerumque sine cæde, tot turbas vix Regum segnitie vidente; aut si viderent stupore animi parum curantium. Hi ferro grassati in æmu-

Dag. Pap. Masson. Inst. l. 1.

Tac. an. l. 1.

Sall. Iug.

Tac. 4. ann.

los, ferro viciſſim inuidiæque aliorum obnoxij, luctuoſas tragœdias totos ferè centum annos dedêre: donec PIPINVS cognomento Breuis, animo ac manu ſtrenuus, factione potens, gratus omnibus, abdicato Chilperico ſegnium Regum vltimo, Regiam dignitatem in priſtinum ſplendorem ac famam anno Chriſti DCCL. reſtituit. *Si hæc ſola erat ratio quæ tantæ virtutis virum publicæ ſalutis Gubernaculis admoueret; prope eſt vt exclamem, tanti fuiſſe.*

Plin. Panegy.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Præfectorum Prætorio ſub ignauis Regibus diſſidia.

A. C. 667. Childericus 2. Rex.

PRimum tot turbarum, quas illa tot per annos vidit ætas, facinus; vbi primùm CLOTARIVS III. quarto circiter Regni veriùs dicas ſeruitutis, anno è viuis exceſſit, Theodorici Clodouæi II. filij, quem Ebroini, Equitum Magiſtri authoritas, Childerico fratre minorem Regem ſtatuerat, abdicatio memoratur, tum accerſito ab AuſtraſiaChilderico, truſoque in cœnobium Ebroino, deteſtandum ſæculis omnibus, ac Francis erubeſcendum ſcelus perpetratum eſt, Bodilli nobilis aulici coniuratione, quem Rex virgis cædi alligatis ad palum manibus pedibuſque nudum imperat,

uerat. *Quàm malè vim suam potestas aliorum contumeliis experitur!* quippe is ignominiâ accensus & vindictæ facibus ardens, Regem ad Calam Parisiorum vicum dum veneraretur adortus ferro necat. Neque hic furori modus: Reginæ Blitildis vterum fœtu grauem stillanti adhuc ferro scrutatus continuata ferocia interimit carnifex. Quæ tum mens Francorum? quæ consternatio? quæ rerum facies? reuocatus Theodoricus in Regnum postliminiò restituitur: Ebroinus abiecto cucullo ambabus velut manibus faces ad Franciæ incendium præferens, cellam egressus, ingenti sceleratorum manu collecta, Regiâ Gazâ, quod magnum rebus momentum fuit, intercepta, oppressisque incredibili celeritate hostibus, Regis Regnique administrationem facilè inuasit. Is demum velut disiectis obicibus effusus torrente. Franciam propè omnem cædibus compleuit, vi ac dolo in hostes primùm, mox in omnes prout collibuerat promiscuè grassatus, neque verò licentia in mediocres sæuitum: sed excellentissimi quippe eminentissimæ dignitatis viri, variis suppliciorum generibus adfecti sunt. In iis præter Leudesium Equitum Magistrum, & alios complures, Leodegarium Heduorum, Lambertum Traiectensium Episcopos: hunc exilio multauit, illum effossis primùm oculis toto corpore, dilaniatum excarnificatumque, tandem capite detrûcat. Dixisses in sceleribus felicem Ebroinum, fusis secundo in ægro Laudunensi

Plin l. 8. ep. vlti.

A. C. 689.

Theodoricus 2. Rex.

A. C. 685.

Pipini Crassi, & Martini Austrasianorum Ducum legionibus, nisi ab Ermenfredo, audaci quidem, sed tum necessario ac præclaro facinore, in lectulo noctu iugulatus, dignum sceleribus exitum Tyrannus habuisset. Sed nec eo sublato, turbarum finis fuit, nouos identidem tumultus, Procerum inuidia suggerente. Creatus inde Eq. Magister VVarrato, quem breui Magistratu deturbat Gislemarus sceleratus filius perfidia, crudelitate, omni vitiorum colluuie Ebroino par futurus si diutius magistratum gessisset: quo statim velut diuino numine impietatem vlciscente exuitur. Init secundò Magistratum VVarrato, quem illicò vita functum excipit Bertarius, Francis grauis & inuisus, tenuissimo ingenio, ac rebus gerendis ita inepto, vt à Pipino fusus acie fugatusque, à suis altero initæ dignitatis anno necaretur. Tot igitur extinctis potentiæ æmulis Pipinus Præfectus Prætorio siue Magister Equitum dictus, res Francorum vehementer auxit. Interea Theodoricus XIV. ferè imperij anno fato fungitur. Regius titulus penes Clodo-

A. C. 690. CLODOVAEVS 3. REX. uæum III. ius potestasque Pipino cessit. Hic Frisios cum Rabodo eorum Duce superatos celebri victoria Christo submittit, tum Childebertus II. purpuram induit. Pipino vt cœperat rem gerente feliciter,

A. C. 697. CHILDEBERT- nisi adulterio primùm, ac deinde D. Lamberti cæde indignissima per Dodonem pellicis Alpaidis fratrem, fœdaretur. Nec inultum diu flagitium fuit: vt rarò antece-

dentem scelestum deseruit pede pœna claudo, percussor tanti viri intra annum, Grimoaldus Pipini filius Eq. Magister, interiectis aliquot annis, Leodij ad D. Lamberti, à Frisio gregario milite trucidatur: nec ita multò post ex dolore, vt creditum est Pipinus moritur XXVII. gestæ feliciter Reip. anno. Hi tumultus, hæ turbæ, hæc iurgia, rixæ, odia, dissidia, simultates, dedecora, parricidia, adulteria, probra, Franciam miserabili interitu conficiebant dedeformabantque. Interim solluti & pusilli animi Reges, inertes, toti in luxu & venere, stupra duntaxat, comessationes, & fœminarum cœtus, voluebant animo: hæc principatus præmia reputabant, quorum libido ac voluptas penes ipsos esset, dedecus penes omnes, ipsamque Rempublicam, tanta rerum turbatio fuit tam supina Regum segnities, vt iure illud Panegyristæ dixeris: *Plerique Principes cum essent ciuium domini libertorum erant serui, horum consiliis, horum nutu regebantur: per hos audiebant, per hos loquebantur: per hos præturæ etiam & sacerdotia, imò ab his petebantur.*

TVS 2. REX. *Hoc tempore apud Gallias, Franc. Regibus à solita fortitudine degenerantibus, & qui Maiores domus Regalis esse videbantur administrare Regis potentiam, & quidquid agere Regibus mos est, cœperũt. P. Diac. l. 6. de gest. Long.*

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Bellum Ciuile tertium. Procerum.

MIserum ac luctuosum imperium, vbi proceres Principe per segnitiem remisso

DAGOBERTVS 2. REX. *factiones distinguuntur! nec cladibus modus vllus, cum exuto semel obsequio, nimine in commune consulente, suis quisque rebus operam animumque intendit.* Totos fere centum annos fœdis seditionum fluctibus Respublica abripitur. Chilpericus è Cœnobio in sceptrum vocatus à Ramanfredo & Rabodo Pipini hostibus, ab aulæ dissidiis rixaque in aciem prosiliit. Pipini mors & Caroli Martelli eiusdem nothi carcer contrariæ factionis animos exerant, cum eos insperata hostis libertas repressit, is è Plectrudis custodia elapsus velut relictam sibi hæreditate Regiæ curam, vi recuperare conatus, coeuntem sponte iuuentutem armat. Rabodum adortus ab eo profligatus est, nec cessit malo, sed cladem in experimentum virtutis vertens, ex infelici rerum initio sumpta audacia, instaurato celeriter exercitu, incautos hostes & incompositos ita feliciter aggressus est, vt dispersi cupiditate prædæ, & onere sarcinarum graues, velut vincti cederentur. Inde cum altero suæ dignitatis æmulo in ægro Cameracensi pari felicitate congressus, magna strage edita Victor, hostem cũ Chilperico in Austrasiam compulit: mox restituto sibi cum Regia Gaza Chilperico, Ramanfredo præfecturam ademit. Plectrudem belli concitatricem ac facem, à Danubij accolis sibi dedi imperauit: ita rebus in Gallia compositis, iræ Ciuiles in Saxones, assiduos & quasi anniuersarios Francorum hostes, qui rebellionẽ cœptauerant conuersę sunt. Caro-

A. C. 715.

Ado. Vien.

C A. 716.

Chilpericus 2. Rex.

A. C. 717.

A. C. 718.

A. C. 720.

Paul. Diac. l. 6. de gest. Long. Till. Chro.

A C. 722.

lus id animo reputans, *nihil ad victoriam expeditius, quam hostem in suo velut conatu opprimere, dum illum adhuc obiectæ difficultates & iactata suorum consilia destineant:* Rhenum transgressus, adeo exterruit, vt positis vltro armis per expeditos, oratores pacem precarentur. Sic maxima Germaniæ parte facilè recepta, fusis superatisque etiam Sueuis, præda spoliisque diues exercitus in Franciam reuertitur. Tali profectò principe opus fuit ea potissimum tempestate, cùm insurgentibus vndique bellorum tumultibus, Francia discordiis ciuilibus quateretur. Igitur MARTELLVS vt de Augusto fertur, cuncta ciuilibus discordiis fessa, nomine Principis sub imperium accepit.

Fl. l. 1. c. 12.
A. C. 724.
Carolus Martellus.
Tac. 1. ann.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Bellum Sarracenicum.

CArolus Pipini ex Alpaide pellice nothus, à viribus Martiis cognomento Martellus, nascendi infamiam magnis virtutibus, aboleuit. Hoc Equitum siue Aulæ Regiæ magistro, Rege Theoderico, Constantino Copronymo Orientis imperium obtinente, Sarraceni abundanti multitudine cum liberis & coniugibus in Aquitaniam effusi, & ab Eudone, vt ferunt, Martelli hoste ab Hispania, euocati, verius Galliæ fertilitate, vt erat genus hominum

Theodoricus 2. Rex.
Rod. l. 3. c. 21.
Mar. l. 7. c. 4. rer.

Hist. & l. 7. c. 3. Paneg. Diac. l. 6. c. 46. Auent. l. 3. an.

vagum, inuitari, Galliam omnem in anceps periculum adduxere. Orbis terrarum imperium spe complectebantur, domitores Orientis, Africæ domini, Hispaniarum victores, ipso nominis terrore reliquum mortalium genus perculerant, ac propemodum subiugauerant. Pauor vndique & trepidatio Barbarorum arma audiuit, vidit, non sensit Francia. Hic furori modum, hic incursionibus finem posuere. Martellus forti animo consilioque omnia administrans, tota Gallia delectum habuit: omnis nobilitas, in armis, nullo non dante nomen tanti incendij restinguendi studio. Equitatu fretus & restituto in gratiam Eudone, quem bina iam clade semel apud Arelatum, inde ad Garumnam magna vtroque nostrorum strage Mauri profligauerant; simulatæ quæ illi cum Magistro Equitum erat patriæ charitati condonata (vt *est timor externus maximum concordiæ vinculum*) fortior Martellus hosti obuia procedit; Barbari euastata Burdegala, incenso ad Oceanum mare agro, dirutis templis, Vasconiam emensi, Santonum & Petracoriorum oppidis direptis, & in Pictonum fines progressi, regionem vberrimam opulentamque euerterunt. Amplissima Turonum ciuitas S. Martini fano, lætissima cœli agrique facie nobilis, proxima periculo erat, cum Martellus eò aduolans, transmisso Ligeri: qui ex aduerso vrbis ponte iungitur, castrisque ad vrbem positis, oppidanos ingenti cura libera-

Theodoricus 2. Rex. A. C. 728.

uit: atque vt omnem fugæ viã præcluderet, non nisi victoribus laxari ciuitatis portas palam edixit: haud ignarus, *propinqua munimenta aut mœnia, quantò plus spei ad effugium, minorem ad resistendum, animarum dare.* Iamque duces eductis in aciem cohortibus in procinctu pugnæ stabant, cùm Barbarorum composita ad terrorem & feritatem facies penè Francos exterruit, verùm Martelli vultu & oratione confirmatis animis, atrox certamen initum est. Barbari multitudine præualebant; causa, virtute & pugnandi scientia superior Francus. Dato pugnæ signo Eudo, vt erat constitutum, ex improuiso castra hostium adortus, capitis inde à tergo in pugnantes aduolat. Martellus humana specie visum ea die maior, ordines circumuolans, qui fertur fulminis instar omnia peruadentis ac disiicientis rapitur, haud alias tam alacrem viderant Franci; & vultu eius interrito, certam victoriæ spem augurantes, strenuè dimicabant. Nec fefellit omen: quippe post contumacem vtrinque IV. ferè horarum conflictum, cùm anceps diu stetisset victoria, tandem inclinata, Maurorum acie, immanis Barbarorum strages edita, & multitudine militum & splendore Ducum Fama est ad CCCLXXV. millia Barbarorum eo prælio cecidisse. Lætitiam auxit Rex Abderrahmanus inter coaceruatos cadauerum cumulos repertus, suo ac suorum sanguine consperſus; desiderati è Francis vix MC. tantulo Christiani sanguinis impendio, tanta de Barbaris vi-

Tac. l. 3. hist.

A. C. 729.

ctoria constitit. Cognomentum MARTELLO ex victoria inditum ferunt nonnulli; quòd Mallei instar ac Tuditis tantam Sarracenorum multitudinem contudisset.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Bellum Sociale Grassatorium.

Theodoricus 2. Rex. Greg. Tur. Aim. c. 52. An. Fuld. Marian. l.7.c. 4.

FRANCIA tam insigni de Barbaris victoria liberata, peregrinantibus velut vltra Rhenum Francorum armis, Caroloque Frisios cæso Pepone eorum Duce, Saxonesque Rebelles profligante, à Grassatoribus diuersis sui partibus deuastabatur: vt quod Barbari nuper tentauerant, ab impurissima vilissimorum hominum passim collectorum colluuie expleretur, victis tot hostibus liberis tamen, & (nisi intercedat barbaries (ingenuis; quis æquo animo ferat bella grassatorum? Occupatus regno præclaris legibus ordinando Martellus, fœdissimi belli tumultum latrociniumque haud lætus accepit: ac eo quidem iniquius, tulit, quod Hunaldum Vaifarumque, Eudonis qui nuper viuis excesserat) filios paternæ simultatis hæredes, accessisse resciuerat. Collectæ ex Gothis VVandalis, Sarracenis, aliisque eiusmodi ordinis gentibus conflatæ copiæ, in Galliam grassabundæ longè latéque irrumpunt, Rhodanoque transmisso,

A. C. 730.

Delphinatum, Sabaudiamque populantur: non viris, non mulieribus, non pueris, non senibus parcitur. Vienna Allobrogum ægrè defensa est. Parum abfuit ab vltimo exitio Lugdunum. In Burgundiam progressi Matisconem, Cabillonem, Augustodunum, Belnam, Diuionem, Antissiodorum; aliaque oppida vi expugnant expilantque: tandiu grassati impunè Barbari, donec ferox impetus ad Senonas antiquissimam Galliarum vrbem frangeretur: irrita oppugnatio, vanæ irruptiones. Hostem, singulari virtute præditus Antistes cum ciuibus fortissimis, strenuè summouit. Ausus erumpere, latronum agmen adeo opportune adortus est, vt cæsa hostium parte maxima: cæteri diuersis ac festinatis itineribus in suas latebras pecudum, instar pellerentur. Diffugientium Latronum timori, Martelli nunciatus aduentus alas, vt dicitur, addiderat, nunquam alias clariùs intellectum est, quantùm *Ingenua seruilibus ingenia præstarent: malitiaque seruos non sapientia vincere.* *Iust. l. 18.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Theo- dori- *Bellum Sarracenicum secundum.*

cus 2. SArraceni inuitati iterum ab Eudonis li-
Rex. beris Hunaldo & Vaifaro, quos in pœ-
Ma- nam nouæ rebellionis ducatu Aquitaniæ
rian. exuerat Martellus, simulque acceptæ nuper
ibid. cladis memores, vt *tenax est iniuriarum*
Aim. l. *memoria, quod enim offendit nunquam obli-*
4. c. 57. *teratur*, in Galliam non minori quam
Paul. superioribus annis numero Athino, siue
Æm. Anthimo præcipuo Barbarorum Rege eru-
Pap. perunt, VVisigothorum insuper, VVanda-
Mass. lorum, aliorumque reliquiis aucti. Francis:
Gagui. adfuit Luitprandus Rex Longobardorum
A. C. cum validis suæ gentis auxiliis, Lanfredus
731. Alemannorum, & Odillo Bauarorum Du-
Paul. ces, cùm affectu Francici nominis, tum im-
Diac. pietatis odio, egregiam nauarunt operam.
l. 6. Duæ velut arces delectæ à Barbaris, Auenio
A. C. & Narbo, fœda rerum facies erat, & collu-
732. uies malorum miserabilis: verùm res Fran-
Till. cica Martelli virtute stetit. Auenio Caua-
Chro. rum vrbs, quam Rhodanus alluit, imprimis
A. C. ampla & nobilis à Mauricio Massiliæ co-
733. mite prodita, per Childebertum Martelli
A. C. fratrem vi capta, hostium stragem vidit
734. maximam, Athino per Rhodanum secundo
A. C. flumine euadente: nec minor ad Narbonem
375. clades Sarracenos excepit, Amorrheo alio
Barba-

Barbarorum Rege suis popularibus opitulante, cùm egregiè pugnaret, interfecto. Tandem Athimus repetita classe iterum fugiens è Gallia discessit. Cæteri tanta internecione deleti sunt, vt nullus rerum perditarum nuncius domum reuerteretur. Hoc confecto bello rebelles ciuitates Narbonem, Agathem, Nemausum, Biterras, victor Martellus flammis deleuit. Hic accensi cladibus Barbari facilè ab Hispanis, suis terris, quas diu insederant, Sarraceni expulsi sunt; singulari Francorum beneficio, vt cum seruitutis turpissimo iugo, improbæ etiam superstitionis sensum ac cultum, Hispani exuerent. Cæterum his tanta gloria & nominis Francici splendore gestis rebus, *Martellus Clypeus & murus Christianorum, Barbarorum verè malleus*, diem obiit Carisiaci propter Isaram, cùm rexisset Rempubl. annos ferè XXVII. sub ignauis Regibus Childerico II. Clotario III. Theodorico II. pari diligentia pacis ac belli temporibus, domi forisque: vt merito PRINCEPS ET REX FRANCORVM videatur appellatus: per omnia mehercule fœlix & humani fastigij culmen excessisset, si à sacris tum rebus tum viris sibi temperasset. Fabulosum tamen & verè commentum puto, S. Eucherij Aurelianorum Præsulis, quod fingunt de tanto viro & de Repub. Christiana meritissimo, iudicium huius ope, à Leone imperatore, & Thrasimundo Spoletano Duce, summi Pontifices diuersis temporibus defensi sunt.

A. C. 741.

Appen. Greg. Tur.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Bellum Fraternum Ciuile tertium.

Childericus 3. *Rex.* *A. C.* 741. *Aim. l.* 4. *c.* 58. *Till.* *Chro.* *Ado.* *Vien.*

R*Ara est concordia fratrum: maximè cùm cupiditatis fines augent innata fere viris principibus ambitio.* Martello quatuor liberi, Carlomannus, Pipinus, Ægidius, & Griffo; nec desunt qui Bernardum annumerent. Carlomanno Germanicæ Regiones, Pipino Francia, à Patre assignata. Tertius sacris addictum Rothomagensium Antistes fuit. Griffo adolescentia ferox cùm ei nulla paternæ hæreditatis ac potentiæ pars obtigisset, suadente matre Sunahilde Odonis Bauariæ Ducis nepte, nihil non moliebatur, quo Francia Pipini Fratris moderatione quietam turbaret. Viri ad erumpendum promptissimi animos compescuit, aliquandiu impar aduersus fratrem factio.

Childericus 3. *Rex.* *A. C.* 742.

Sed contineri diutiùs inquies animus, natura ad turbandum pronus, non poterat: ferocem inuitabant Germanicum & Saxonicum haud ita leuia bella. Germanis frænum Carlomannus imposuit. Inde Frates traiecto Lico, siue, vt vocant, Leccho fluuio, noctu castra Bauarorum inuadentes hostem incautum oppresserunt: tum in Saxones victor exercitus trásportatus, pari clade rebelles afflixit. Griffo interim intercepto

A. C. 743.

Lauduno in finibus Picardorum, hostem se

fratribus manifestè, fretus eâ arce professus *A. C.*
est: populatisque agris, maiora aggressus *744.*
fuisset, nisi Pipini aduentu oppressus, nouũ
castrum Arduennæ syluæ oppidum custodiendus
missus foret: vnde mox Carlomanni
beneficio post quadrienniũ captiuitatis
elapsus, Saxonum armis se à fratre regebat:
eò magnis itineribus Pipinus aduolat, ac
victum acie eò compulit, vt se maternæ di- *A. C.*
tionis finibus ac terminis contineret. Sed *747.*
nec his velut deterioris Fortunæ expedimentis
doctus conquieuit Griffo, cui in pace
durius seruitiũ erat: quemque dixisses in
id natum, vt neque ipse quiesceret, neque
alios sineret quiescere. Tassillonem Bauariç
Ducem domò pellit, Principatum inuadit:
quo tamen frui diu, nec scelera, nec aduersa
homini turbulento sors tulit. Nam victus
iterum restituto Tassillone, ductus ad fratrem,
Neustriæ parte, Andelyaco (vt volũt)
Ducatu inter Sequanam & Isaram amnes *A C.*
donatus est. Sed *quàm difficilis est ad bona re-* *748.*
uersio vbi semel à virtutis vna deflexeris! vt *Paul.*
Bonorum consuetudo, virtutis exercitatio est, *Æmil.*
sic malorum, exitium. Prauæ consuetudinis
viribus ad res nouas tumultusque excitandos
trahebatur. Ad Vaifarum famillæ suæ
hostem profectus, Aquitaniam omnem in
Pipinum concitat: maiore dolore quàm
periculo fratris ad arma ventum est. Pugnatum
non adeo ingenij clade Aquitanorum,
quippe qui se fuga texêre. Tandem
cum ei neque in Francia, nec in Germania
quidquam prosperè cederet, Italiam

Till. Chro. Childericus 3. Rex.

experiri voluit, malo suo fato: nam in Alpinis regionibus à Burgundo nobili Theodino Transiurano interemptus est. Sic vitam quam honestè vir nobilissimi sanguinis, inter suos traducere potuerat, indecorè finiit. Cæterùm à Dagoberto I. ad Pipinum, qui Regni Regumque munia in se traxit, hi Reges scenam tenuere. CLODOVÆVS II. cum Sigeberto fratre annos XIV. CLOTARIVS III. cum CHILDERICO fratre annos IV. CHILDERICVS II. à Bodillone quodam coniurato cæsus, annos VIII. THEODERICVS I. è claustro in sceptrum ascitus annos XI. CLODOVÆVS III. annos IV. CHILDEBERTVS II. annos XVII. DAGOBERTVS II. annos V. CHILPERICVS II cum diuersæ factionis CLOTARIO IV. annos V. THEODORICVS II. quo Regnante Sarraceni Galliam ingressi sunt annos XXI. CHILDERICVS siue CHILPERICVS III. in cœnobium trusus annos fere VIII. Hi omnes ignaui ferè aut animo stupidi, inter priuatos parietes delituêre: aliique post alios in contemptum populorum prolapsi, tacitéque ex imperio exeuntes, SCENICI REGES NON REMISSO SOLVM, SED SOLVTO ANIMO, VT QVI NON AD CVRAS INTENTI, SED STVPRIS ET DELICIIS PRINCIPES AGERENT; melioribus loco cessere; quorum vigilantia omnium somnos defenderet; labor omnium otium: industria, omnium delicias: omnium vacationem, occupatio. Documento Principum, NEMINEM PRINCIPATVS VNQVAM RESOL-


Tac. 3. hist. Senec. consol. ad Polyb.

VANT, OMNIA AD ALIOS REVOCANDO: SINT SOLI RERVM ARBITRI, IVRE ET NOMIME REGIO. Sic aliorum vtantur ministerio, vt sine authoritatis periculo aut potestatis dispendio vllo, integra; vt par est, cum ciuium obsequio sinctaque Regiæ dignitatis maiestas seruetur. HAEC VNA REGNANDI LEX, HOC IMPERII VINCVLVM, HAEC VIS PRINCIPATVS ESTO.

Tac. 1. ann.
Tac. 2. ann.

Hactenus Regnatum est in Francia sub Primis Regibus à Pharamundo ad Pipinum, per annos circiter CCCXXX.

Finis Libri Primi Flori Francici.




FLORI FRANCICI LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

Pipinus Rex electus abdicato Chilperico.

PIPINVS FRANCORVM REX. A. C. 750.



SARRACENI binâ iam clade à Francis acceptâ tertiùm redibant, cùm eos ad vltimas rerum omnium angustias redactos, trans saltus Pyrenæos summouit PIPINVS cognomento BREVIS: iterque adeò præclusit, vt turbandæ in posterum Galliæ spem omnem Barbari amitterent. Tot igitur rebus præclarè partim pro Religione, partim pro Republica gestis, tanta erat Pipini fama: vt nemo esset qui non cum

Regio fastigio dignum existimaret. Ille primum rectè factorum conscientia gaudere, & tam felici de se omnium iudicio: Deinde vt *animi mortalium proni in spem maximarum rerum sunt*, Regium nomen nec dissimulanter affectare. Iamque Francos pudebat tædebatque ignauiæ Regum suorum, propter inhærens adhuc omnium oculis ac præsens periculum Reipubl. quæ sub Theodorico in Sarracenorum potestatem haud dubiè ventura erat, nisi Carolus Martellus Præfectus Prætorio ea tempestate, hostibus pro imbelli otio vigilantiam, pro luxu fœdo ac turpi segnitie labores curasque suas, vir & manu strenuus & consilio magnus opposuisset. Superesse tanti viri in Pipino per omnia virtutibus Patri simillimo hæredem quantæ iam opes Pipini ac virtutes, tanta Chilperici contemptio, & vt *augetur & crescit, quidquid in honore est: ita deficit & minuitur quidquid in contemptu.* CHILPERICVS mente stupens, inconditis moribus, vita ignauus, vt Clodouæi Magni hæres degener, sic solio indignus ac sceptro. Verum obstabat iurisiurandi religio ac fides: tanta res tamque noui exempli qua fronte tentaretur in Francia præsertim, quæ Regium nomen sanctissimè coleret? Aliis forsan gentibus multa. *Francis ingenita erga suos Reges veneratio, mirumque in modum dedita Regibus suis illa gens, quibus nimirum diuinum quemdam vigorem inesse persuasum habent, nunquamque de iis nisi diuinè aut loquantur, aut*

Pipinus Francorū Rex.

Iamblichus.

Paul. Iou. Liu. l. 2.

cogitent. Sed in magnis audendum fuit fortiter *agendo audendoque imperia crescere, non segnibus consiliis*: & quanquam territaret sæpe nouitas rei, tanta tamen in virtute fiducia erat, vt rationem sui comparatione stupidi Regis haberi posse, Aui Pipini in Rempublicam, Caroli Patris in Religionem, sua vtrobique beneficia & res hactenus gestas, non parum ponderis erga summum Pontificem habitura, Pipinus existimaret. Dabat & famæ; vt vocatus electusque potius à Republica, quàm per ambitum Regno irrepsisse diceretur. Iactabantur & hæ in vulgus voces, quæ vtriusque, & quam diuersa in moribus, vita, rebus omnibus ratio indolesque: vt hinc magnitudo animi incredibilis, inde segnities & mentis stupor singularis hinc ingenij, vis alta ac sublimis, inde stolidus animi languor: hinc viuax rebus gerendis sensus, inde rusticitas: hinc digna imperio virtus, inde vitium, sordidaque & vix hominis propria vitæ ratio: postremo ex hac parte vir, inde mulier depugnabat. Itaque vt tanta rei & hactenus in Francia inauditæ nouitas religione mitigaretur, apud eos potissimum quibus violandæ maiestatis in exuenda fide scrupulum conscientia iniicere posset, non necessitatis aliqua vi aut lege, sed vt vel hac saltem Religionis specie, imbecilliorum mentibus consuleretur; consultus per Burchardum Bituricensem Archiepiscopum Zacharias S. Pontifex vltro consentientibus Franciæ proce-

Pipinus Francorũ Rex.

ribus, ſubditos omnes Sacramento, cuius vinculis illigati tenebantur liberauit, nouoque in Pipini verba adegit. Atque eò facilius & promptiùs mentem aduertit Romanus Epiſcopus, quòd Francorum armis aduerſus Longobardos aſſiduos Religionis hoſtes, tutum ſe fore ac ſecurum ſperabat. Quare detonſo Chilperico, Pipinum recepto pridem more ſublatum clypeo circumferunt. Sic imperium Francorum, ad optimum, vt ferè fit, Principem, à minus bono omnium conſenſu ordinum, (qui delatæ vltro poteſtatis non vi tractæ index eſt) transfertur: clariſſimo orbis exemplo, *ſemper illuſtribus familiis otium & ignauiam exitio fuiſſe* Quoque maior erga Pipinum Regem ciuium eſſet veneratio, nec tam delata quàm iure adepta maieſtas cenſeretur, ſacro delibutus oleo per Bonifacium Moguntinum Archiepiſcopum rite inungitur.

A. C. 751. *A. C. 752.* *Sall. Catil. Polyb. l. 6.*

CAPVT SECVNDVM.

Bellum Longobardicum ſecundum.

DVm Sarraceni aliique Barbari Orientem ſuis infeſtant incurſionibus, Longobardorum res mirum in modum creuit: nec ab ea gente ſummo Pontifici fuiſſet vlla vnquam quies; niſi Franci Religionis hoſtium hoſtes immortales, victricia ar-

Anaſt. Biblioth. Ann. Fuld. Sigon. de Regno Ital.

ma in Italiam transportassent. Belli igitur Longobardici secundi incendium à Luitprando Romanis Pontificibus infesto cœpit; Martelli Religionis acerrimi defensoris authoritate compressum potius & sopitum, quàm extinctum fuit; nam breui multò vehementius quàm anteà exarsit.

Pipinus Francorum Rex A. C. 753.

AISTVLPHVS Longobardorum Rex, capta Rauenna cum Exarchatu omni superbus ac insolens, eiecta cum Eutyche Græcorum imperatorum ex omni Italia dominatione, Stephanum III Summum Pont. adeò vexabat, vt frustra imploratis ab imperatore Constantino Copronymo in certissimum Religionis hostem opibus; vt superioribus annis, contra eosdem pietatis hostes summi Pontifices Gregorius II. ac III. factitauerant, in Franciam afflictæ Religionis iam tunc vindicem, ad Pipinum secederet. Placuit Regi Francisque adeò omnibus, opem tanto ferre supplici: quippe vt honorificum visum est, Pontifices præsidia sibi ab Francis petere, ita non adesse, impium; tantum non turpe foret ac inhumanum. Igitur iis hominibus qui maximi esse solent exceptus est. Nam equo sedentem Pontificem ad frœnum Rex prosecutus in Regiam deduxisse fertur: quo tempore vt Pipini Regis noua potentia fortunaque firmiùs Francorum animis figeretur, maioremque vicissim Pontifex gratiam apud Regem iniret, Childericum nuper detonsum, sacris penitus voto solemni addixit astrinxitque. Huius questibus Franci

vehementer, vt par erat, commoti, frustra Carlomanno qui nuper cœnobio se incluserat, ad dissoluendum cum Pontifice fœdus, misso: contra Christi hostes pugnare soliti, pro Christi Apostolis arma capiunt: bello certe pio, nec dubia aut difficili tantis auspiciis victoria. *Omnia quippe prosperè eueniunt colenti us Deum: quidni defendentibus?* Placuit tamen præmitti legatos, ad explorandum Longobardi animum, ne cupiditate magis, quam Religionis studio bellũ susceptũ videretur; & quia fœdus olim cum ea gente fuerat, non statim ad arma, procurrunt, dum prius more legitimo queri mallent: nihilo tamen secius Pipinus vndique copias comparabat. Sed cùm ambiguo verborum sensu Longobardus falleret, nec Rauennam restitutum iri summo Pontifici appareret: vere incunte Alpes cum ingenti exercitu transcendit Pipinus; ac nullo negotio disiectis quæ montium claustra insederant præsidiis, Ticinum vrbem gentis Regiam, infestis agminibus aduolat. AISTVLPHVS armis Francorum territus, *Vt meticulosa est malorum testis conscientia, ad omnia pauet dum nemini confidit*, omnia Pipino & Pontifici per oratores expeditos pollicetur. Verùm liber ac securus Francorum discessu, præter fidem quà nihil huic genti proiectius est; coacto celeriter exercitu Romam obsidet. Pressus Pontifex iterum in Italiam Pipinum euocauit supplex, compositis ad commiserationem literis, vt lachrymis exaratas & obsignatas singultibus

A. C. 754. Paul. Diac. l. 6. Aim. l. 4. c. 63. Pipinus Francorum Rex Paul. Æm. in Papy. Mass. Sig. A. C. 755.

facilè iudicares. Harum altera nomine Principis Apostolorum scribebatur, quasi penitus tanto Principi ac genti Francorum commendata Religione. His acceptis, reuolat ad summum Pontificem perpetuus Rom. Religionis ac fidei patronus, commissam sibi causam suscipit. Pari celeritate
A. C. 756. ac nuper vsus, superat Alpes, hostem profligat: Romam obsidione soluit; versáque in hostem fortuna, bis victus Rex, bis fugatus, bis castris exutus, & si ea mens Franco fuisset, Regno, vt *sæpe in magistrum scelera redierunt sua*, Ticini mœnibus clauditur, obsidetur, capitur AISTVLPHVS:
Sen. mox redditis Romano Pontifici rebus bello ablatis, auctáque Ecclesiæ ditione quod *proprium est Principum nunus de quamplurimis benefacere*; maxima cum gloria incolumi omnium, quos transduxerat numero, meritis quam spoliis onustior Pipinus in Franciam reuertitur. Huius cùm
Ph. Comin. l. 2.
VIRTVTIS, TVM LIBERALITATIS TESTIS EST TABVLA RAVENNÆ SIC EXARATA: PIPINVS FRANCORVM REX PIVS PRIMVS AMPLIFICANDÆ ECCLESIÆ VIAM APERVIT, ET EXARCHATVM RAVENNÆ CVM AMPLISSIMIS, ô Vetustatem rerum pulcherrimarum consumptricem! imo potius hominum inuidiam: nam, vtram magis accusem plane dubius sum:
A. C. 757. quippe cætera nobis vel vetustate optimarum etiam paulatim exedendo peremptrice, vel æmulorum Francici nominis ac

gloriæ, quod vero similius est, inuidiæ erepta sunt. Nunc quisquis famæ & nominis ad posteros transmittendi plusquá par est studio delectaris; *Vbi vera Principis: vbi sempiterna sit gloria, vbi honores, in quos nihil flammis, nihil senectuti, nihil successoribus liceat? Arcus enim & statuas, aras etiam templaque demolitur & obscurat obliuio, negligit carpitque posteritas.* Cæterùm ea Pipini & Francorum virtutis elogia, in hunc aut fere similem sensum scripta videri possunt: CVM AMPLISSIMIS VRBIBVS, TERRITORIIS AC REDITIBVS, PRINCIPI APOSTOLORVM EIVSQVE DEMVM SVCCESSORIBVS LVBENS AC VOLENS CONCESSIT.

Pipinus Francorũ Rex. Plin. Paneg.

CAPVT TERTIVM.

Bellum Saxonicum quintum.

PAce Italiæ eo quo diximus modo data, Francorum arma trans Rhenum lata sunt: Vbi Saxones Bauarique, conspiratione fæderatæ societatis in Francos armati coniurauerant: quippe quos seruire necessitas cogebat, non obtemperare sua voluntas adigebat, ægrè iugum patiebantur: & quasi violenter ac contumeliosè haberentur, vbi leuissima libertatis vindicandæ spes affulserat rebellibus, imperia detrectabant, vt *nondum assuetæ frænis serui*

Paul. Æmy. Ado. Vienn. Aim. l. 4. c. 64.

Herod. l. 5. *tutis tumidæ Barbarorum ceruices facilè ab*
imposito iugo resiliunt In hos profectum co-
Fl. l. 4. c. ult. mitata sua Pipinum fortuna est, nec mi-
nori gloria confectum est bellum, quam
A. C. 758. nuper initio principatus sopitum à Pipino;
fuerat. Defuit Rebellibus numen cuius
Ann. Fuld. Regin. Chro. partes strenuè modò Francus defenderat.
Victi primùm acie castrisque exuti Saxo-
nes, bellum nouo delectu comparabant,
cùm optimates gentis in castra victoris
venêre: & quæ erat Pipini humanitas, ve-
niam vniuersis ab Rege clementissimo fa-
cile impetrant; ea tamen lege vt quotan-
nis CCC bellatores equos ad Francum Re-
gem adducerent: modico tributo magis in
titulum imperij, quàm in victoriæ præ-
mium imposito. Dux Bauarorum Thassil-
lo Saxonum armis auxiliisque destitutus;
in fidem reuersus, sensit quanto sibi mo-
mento foret, ex regia sorore duxisse ori-
ginem. Itaque comiter ab auunculo ex-
ceptus habitusque, eius beneficio Duca-
tum iure belli ac victoriæ amissum rece-
pit.

CAPVT QVARTVM.

Bellum Aquitanicum primum.

Pipinus Francorum Rex PARI fortunæ euentu Aquitanicum bellum confectum est, quanquam dif-
filius & grauius. Vaifarus Aquitaniæ Dux

sublato nuper è viuis Hunaldo fratre, solus *Paul.*
ex Eudonis (qui nuper in Barbaros cum *Æmyl.*
Martello strenuè depugnauit (liberis su- *Papi.*
perstes, nobilissimo Principatu potitus, *Masson.*
multa impiè in sacros Religionis ministros A. C.
egerat: quorum bona inuaserat: iure cer- 759.
tè ambiguo, quòd non pauca V Visigothi, *Ann.*
multa Sarraceni, bellis superioribus euastas- *Fuld.*
sent; ac dubiis limitibus, incerta iam propè *l. 4.*
vetustatis memoria ac fama perturbassent. *Aim.*
Præmissi ab Pipino qui Vaifarum monerent, ablata restitueret, ne quid in posterum Aquitani de vi quererentur. Sed cùm nec monitis nec minis Regiis moueretur, imo spretis aut elusis legationibus ferocior in dies euaderet: comparato exercitu res A. C.
armis geri cœpta est. Francorum celeritate 760.
incredibili turbatus Vaifarus, facturum vti inter legatos conuenerat pollicetur, quóque grauiùs offenderet, iuramentũ addit; quasi nihil leuius timeret, quam peierare, spesque illi omnis in scelere, atque perfidia sita esset. Sic obrutum videbatur belli incendium, quod postea vehementius resurrexit,
& quidem ab ipsius Vaifari perfidia. Nam is A. C.
Franciam prior ingressus infesto agmine, 761.
initium dedit huic bello, quo breui erat periturus. Vindicaturus insignem perfidiam Pipinus aduolat; inde natum bellum contumax exardescentibus paulatim partium studiis: Duce pro Patria, Pipino pro Religionis dignitate pugnantibus Pictones, Bituriges, Gergouia, oppidaque passim alia multa, cæsis Aruernorum Pictonumque, qui

Pipinus Francorum Rex. Rebellis ac Perfidi hominis partes tuebantur, Consiibus, à Francis capta. CAROLI laudatissimi herois, nondum tamen magni virtus hoc bello clarissime enituit: quo maioribus post prælijs sub haud pœnitendo magistro Parente præluderet: & assuetus à teneris commilitio prudentissimi Ducis Parentis sui, bonum & capax recta discendi ingenium singulari rerum militarium prudentiâ excoleret: vt de Alexandro quondam magno ferunt, qui XVIII. *anno natus* Curt. suppl. l. 1. *virtutis & promptitudinis in rebus agendis manifestißimæ, suo Patris militia, Tyrocinij rudimenta deposuit.* Igitur sequenti anno vere ineunte, in Aquitaniam reducuntur copiæ; A. C. 762. multa oppida, quibus se Rebelles communierant expugnantur, in Pictonum finibus: iterumque progressus in Aquitaniam Pipinus omnia passim in suam redigit potestatem. Quis credat eodem tractu temporis quo hæc gererentur, turbatam ab iisdem hostibus Hispaniam: nec apud exteros quieuisse prius Vascones, quàm initam cum Hispanis affinitate, domi de proprijs dimicarent? A. C. 763. Azenasaro quodam Aquitano, quam Eudonis filium, nonnulli Vaifari fratrem vocant, rem ita strenuè demum aduersus publicos nominis Christiani hostes gerente, vt insigni Arragoniç Regno initium dederit. Ind. Arrag. Reg. Ibant in pessum Vaifari res, ni partim Thassillonis defectione, partim hyeme vrgente sæuissima, seruatus in partem foret: sed vrgente imprimis Hispaniensi contra impios bello, A. C. 764.

pax Vaifaro data est, acceptis obsidibus: sic dilatum magis, quam confectum est bellum, & perfidiæ vindicta ac pœna paulùm resedit. Sed breui compositis cum Sarracenis rebus, in Rebelles reduxit exercitum Pipinus: captisque Inculisma, Agendico, Petracoriorum Augusta, aliisque oppidis, partem Aquitaniç haud ignobilẽ occupat. Ramistanus Vaifari patruus singulari perfidia à suis falsò deficiens, vt occultiùs & fœdiùs Francos euerteret, Francorum partes simulata transitione amplectitur: quo tempore à Pipino Vaifarus inter Ligerim & Garumnam in Santonum tractu profligatur. Tum sequuta prouinciarum vrbiumq; defectio: frustra veniam ab irato & victore postulante Vaifaro. Affectus cruce Ramistanus perfidię pœnas dedit. Bello finem imposuit infelix Vaifari exitus ac cruentus: à suis nimirum clientibus, quòd bellum toties victus in popularium suorum exitium repararet, iuxta Burdegalam interemptus, ac cœno sepultus est. Vltimum fuit illud Pipini operum: qui in æde Dionysiana funeratus est hoc Elogio præfixo, *Pipinus Rex Pater Caroli Magni*, eo scilicet rerum gestarum apice, quòd tantæ virtutis filium Regno ac Religioni genuisset: Nam *liberorum virtus memoriam Parentum immortalem potest efficere.* Elatus est regia pompa & communi omnium Francorum luctu *Patriæ Parens Christianæ Reipublicæ defensor, Regni restaurator.* Regnauit annos XVI. Senatum Parisiensem (Parlamentum vocant) instituit anno 757.

A. C. 765.

Pipinus Francorum Rex.

A. C. 766.

A. C. 767.

A. C. 768.

Herodi in. l. 1. Tillius Chro.

In hæc ferè tempora incidunt Fabulæ Roberti Neustrij, quem Diabolum à perditis moribus appellabant. Hunc tandem resipuisse, & magnis demum virtutibus vitia adolescentiæ emendasse ferunt.

CAPVT QVINTVM.

Bellum Aquitanicum secundum.

CAROLVS MAGNVS FRANCORVM REX.

PIPINVS erepto ignauis Regibus, omnium consensu ordinum, ipsaque annitente Fortunâ cum virtute, principatu; vindicatâ ab improbis oppressoribus religione, eò rem Francicam honoris prouexisse videbatur, quo altiùs promoueri haud potuisse à mortali viro creditum: cùm à CAROLO MAGNO, dignissimâ tanto parente sobole, vt rebus gestis sic imperij magnitudine longè maiori, in tantum felicitatis dignitatisque fastigium perducta est, quò nec vota quidem pertingere potuissent. Hic Religionis splēdor: hic imperij decus: hîc Francici nominis fama coruscauit. Tot res gestæ, pace & bello, domi & foris, illustrem tanti Regis memoriam apud posteros effecerunt: vt laboret annalium fides, & ex magnitudine sua, adeò etiam magna si nimia sunt, veris ffi iunt, penè in fabulas desierint. Sed non verbis ea est exponenda virtus; quæ factis omnium ora, voces, volumina, orbem ipsum terrarum compleuit. Ab Aquitania nuper do-

Carolus Magnus Francorum Rex.

mita paternis auspiciis, initium erit: huc *A. C.*
reliquias belli naufragi, quidam furoris *769.*
æstus expulerat: nec reliquias diceres, sed *Aim.*
prope integrum bellum. Hunaldus igitur *4. c.67.*
Vaifari, vt volunt, filius: superioris belli re- *Ann.*
liquiis, & aliquot sociorum supplementis, *Fuld.*
infidâ inter fratres Carolum & Carloman- *Egin-*
num regni societate, prouocatus, sicque *hart.*
magis discordiæ Franciçæ, quam virtutis
suæ fiduciâ incitatus, bellum mouit secundum Aquitanicum: is Santonibus & Pictonibus frustrà in Francos sollicitatis, ad Lupum Vasconum Ducem se recepit, vt in communi causa, paribus ac communibus consiliis viribusque certarent. Sed fortuna virtuti fauit: metu pœnæ magis delecti hostes, quàm belli societate erecti ac fortes, nutare occipiunt, Carolus castris ad Garumnam positis, per legatos dedi sibi Hunaldum Lupo imperauit: nisi pareret, exitium minitatus. Tanto terrore excepta ea vox vt è vestigio dedendum Carolo Hunaldum, assumpti in consilium Ducis Vascones opinarentur. Adductus itaque summus bello Dux, nec nisi suis prodentibus victus vinctusque in custodiam traditur. Sic recepta omni Aquitaniâ Galliæ quies. Sed motus Italici Carolum breui cum exercitu euocarunt.

CAPVT SEXTVM.

Bellum Longobardicum vltimum.

Eginhart. P. Æmyl. Maßon. Car. Sig. l. 3. de Reg. Ital.

Carolus Magnus Francorum Rex. A. C. 770.

DVm Vormaciæ apud Vangiones annua Comitia ex Pipini instituto haberentur, Carlomannus relictis duobus liberis ex Bertha coniuge, apud Salmoniacum fato functus est, cùm in Carolum fratrem turbida consilia malorum instinctu agitaret: quo tempore bellum à Longobardis ortum est. CAROLVS omnibus quidem virtutibus quæ Regem decent ornatus, sed præcipuè Catholicæ Pietatis ac Religionis studio, quæ maxima Patris Auique laus exstiterat, insignitus; repudiata Longobardorum Regis filia (nonnulli sororem vocant) Theodora, quam inuitus suadente matre dum illa gliscentem inter filios discordiam Saluciis componeret, in vxorem acceperat, Desiderium adeò vehementer accendit, vt comprehensos partium Francicarum viros nobilissimi generis ac dignitatis, partim oculis, partim opibus ac pecunia multaret. Hinc illi prima malorum suorum labes, hoc initium impendentis ruinæ fuit. Creuit furor ministrante materiam odiis iam ardentibus Hunaldo, quem Religionis ac voti simulatione, prætextu Pietatis, vti velo sceleribus obtento, Carolus in Italiam liberum dimiserat. Is quo faciliùs pronũ iam ad turbandum Longobar-

di animum incitaret, Aquitaniæ tumultus ad primum belli rumorem paratos Desiderio pollicetur; interim rem tacitè agendam, ne celeri Francorum aduentu consilia opprimerentur. Bellum multo grauius extitisset, si, quod sperabat, Adrianum S. Pontificem, qui hoc ferè tempore Stephano IV. succefferat, à Caroli societate seiunxisset. Sed suspecta dudum Longobardi fides, spem præcidit omnem, Adriano totum se Francis tradente ac committente. Augebat tamē ea res Desiderij animos, Bertha nimirum cum liberis ex Carlomanno ad se profuga: quibus tanquam belli pignoribus, addam & facibus, nisi fortuna consilium anteuertisset, vteretur. Receptis igitur in fidem Austrasianis ad Schaldim, tótus in bellum intentus Caroli animus, abduci vllis rationibus à suscepto consilio non potuit. Ac multæ quidem capessendi extempio belli causæ supererant: sed ne quid per cupiditatem moliri videretur, manifesta odia iniuriæque expectantur? nihiloque secius in vltimum Galliæ limitem cum exercitu progressus est, quamuis à Saxonibus turbari nuper resciuisset. Omnium honestissima iustissimaque belli mouendi causa est, quæ cum sensu Religionis cohæreret. A Desiderianis Pontifex vexatus iter Caroli festinauit. Legatis cum irrito responso sæpius redeuntibus, tandem Cottias Alpes transmittit: inde pugnatum acriter inter Nouariam Ticinumque tradunt, tanta Longobardorum internecione, vt à prostratis hosti-

A. C. 772.

Carolus Magnus. Francorum Rex. *A. C.* 773.

A. C. 773. Paul. Diac. l. 6. de gest. Long.

bus locus MORTARIAE nomen acceperit. Sed ægrè huic sententiæ assentior: tum enim Desiderius S. Pontifici Adriano ex professo hostis, Romanas ditiones infesto exercitu ingressus vrbem petebat, cùm eius iter à Caroli copiis præter spem præclusum est. Desiderius ab Alpibus amissa supellectile Regia, Ticinum flexit cum expeditis nobilium, ac se validissimis mœnibus cinxit. Francus partito exercitu vtrinque disiectis Desiderianis, Hunaldoque ab interfectorum vxoribus lapidibus obruto, Bernardo patruo suo Ticini obsidionem committit, & cum delecto Equitatu, Veronam alteram Longobardorum Regiam, quò Adelgisius Desiderij filius confugerat, proficiscitur. Sed eo fuga elapso ac in Græciam profugiente, captis cum Bertha matre fratris Carlomanni liberis, ac in Franciam statim cum Regio comitatu remissis, transgressus Apenninum, cuius dorsum Italiam perpetuo iugo diuidit, Romam petit. Exceptus incredibili omnium voluptate, prodeunte Regi obuiam cum palmarum olearumque ramis populo Romano, ac præ gaudio gestiente ac succinente, vt in saluatoris quondam Triumpho, *Benedictus qui venit in nomine domini*, auctis Pipini Patris muneribus, *Liberator seruatorque Italiæ ac Patritius* ab ipso Pontifice salutatus, ad castra perrexit. Semestri tandem obsidione captum cum vxore & liberis Desiderium tristi sane spectaculo, erepto cum libertate regno, Leodium Eburonum ad Mosam

Egin. hart. Anastas. Biblioth.

custodiendam mittit, vbi Regum miserrimus, alienæ potentiæ auidus olim, proprio regno priuatus, in exilio consenuit. *Solet enim numen plerumque fastuosos deprimere* , *Chal.* *& ad humilem fortunam deiicere.* Sic gen- *cond.* tis Romano Pontifici infestæ imperium *l. 3.* plane extinctum est, postquam CCVI. cir- *A. C.* citer annos in Italia floruisset. Desiderius 774. amisso Regno apud posteros fuit illustrior, *Carolus* quàm aut Alboinus adepto, aut Antharis & *Magnus* Agilulphus fundato: tantùm vnius ei Caro- *Franco-* li virtus & amplitudo gratiæ honorisque *rum Rex* conciliauere: vt *cladem authore leuaret*. Frustra deinceps Regnum restaurare conati sunt Adelgisus, Thassillo Bauarus, Grimoaldus Beneuentanus: aliique quos armis deuictos, mox supplices singulari humanitate *Sigon.* Carolus sibi deuinxit. Cæterum Carolus *l. 4.* ordinatis Italiæ rebus, remisso legendi summi Pontificis iure, qua erat ille animi moderatione: adactis in sua verba nouo sacramento ditionis armis subiugatæ Proceribus, strato his modis ad imperium itinere, in Franciam reuertit, anno insequenti contra Saxones profecturus.

CAPVT SETPIMVM.

Bellum Saxonicum sextum.

VEteribus negotiis noua semper accresc- cunt: tot nexibus, tot catenis, maius in dies occupationũ agmen extenditur. Reuersus *Plin. l. 2. Ep. 8.*

Aim. l. 4. c. 70. Ann. Fuld. P. Æmyl. Sigeb. A. C. 775.

in Galliam Carolus Saxonicum bellum biennio, vt præmonuimus, ante Longobardicum susceptum, sed quia leuius videbatur intermissum, repetiit. Eresburgum nobile oppidum & arce potens, expugnatum nuper à Francis ac præsidiis firmatum Saxones circumsederant: egregiè diu defensum, sed sinistra eruptione debilitatum, tandem captum ab hostibus fuit. Carolus diuiso in quatuor partes exercitu, hostium vires distraxit, vt effusiore bello circumfunderentur. Eresburgum statim receptum fusis fugatisque maximo prælio Saxonibus; promotoque vltra Visurgim amnem copiæ. Poterat ea clade frangi hostium impetus: sed altè insitus libertatis amor, genus hominum armis ferox & seruitij planè insolitum, bello iterum implicuit: non meliori quàm nuper fortunæ successu. Carolum vt rerum nouarum cura, sic victoria sequebatur, & quot partes orbis terrarum sunt, totidem faciebat monumenta triumphorum. Penè fraude, interceptus ex supina nostrorum negligentia, magnum vitæ periculum adiit. Nocte iam appetente, Saxones Francis vt commilitones permixti, castraque ingressi, ac sublato ex compacto clamore inermes cædunt sternuntque. Increpitante mox Rege, ac virtutem Francorum semel fraude eludi potuisse, iterum neque falli neque vinci posse inclamitante, acceptam ignominiam hostium cruore detergunt: quippe fortissimi iuuenes contumeliis irritati erant: nihil

A. C. 776.

Carolus Magnus Francorũ Rex.

hil

hil illis ad arma & ſoluendam iniuriã promptius fuit. Incitabat virtutem cùm Regia vox, tum ignominiæ delendæ cupido. Ac ne diuturnior Saxonum lætitia foret; vaſtant, diripiunt, incendũt paſſim omnia: nec cædendi finis vllus fuit, donec demiſſiſſimis precibus lacrymiſque Carolum placauiſſent quàm *bellorum egregij fines, quoties ignoſcendo tranſigitur!* Data ſupplicibus cum pace venia, ea lege, vt abiecto Dæmonum cultu Chriſtianæ Religionis partes amplecterentur. VVeſtphali quoque pugna victi, cum Francorum legibus Religionis ſacra accepere. Ita victi duobus maximis præliis, viciſſe viſi ſunt: quæ ſi fides niſi gentilitio cruore emi non potuit, quis non exclamet tanti fuiſſe vinci? tanta Caroli Regis gloria, vt Saxonum Apoſtolus diceretur.

Tac. ann. 12.

A. C. 777.

CAPVT OCTAVVM.

Bellum Sarracenicum tertium.

Bellum nullum Carolo magis cordi erat, quàm quod pro Religione gerebatur: eò impiger quaſi victoriæ certus ac ſecurus ferebatur. Sarracenicum bellum ab auo ſuſceptum: ab Patre aliqua ex parte geſtum, ſibi conficiendum ſumpſit. Aſtures & Galæci Hiſpaniæ ad Oceanum, populi à Barbaris preſſi: Carolum, cuius virtutis ac Pietatis in Religionem certa monumenta,

Aim. l. 4. c. 72. Eginhart. Ado. Vien. Paul. Æmil.

A. C. 778.

& fama ingens, ex miseratione sollicitant. Auxit belli desiderium Barbarorum discordia, & Cæsar augustanorum Regulus Ibnabala, qui se à suis pulsum Regno mentitus, Regem Barbara fide penè decepit. Pyrenæo igitur saltu pari generositate ac felicitate; quàm inuictis nuper Alpium iugis superatis, ad Pompeiopolim (Pampelonam vocant) castra posuit. Ea vrbs dum Barbarorum vires coirent, & iusto exercitu Francis occurrerent, strenuè defensa oppugnationem distulit. Carolus quò promptiùs oppidum expugnaret, diu noctuque continuari oppugnationem imperat: admotis omnis generis machinis, tanta vi ac pertinacia, vt breui consternatis hostibus, & non intermisso impetu fractis, post tertium oppugnationis mensem Franci oppido potirentur. Præda ingens hominum facta, vrbs direpta: muri in planum summissi, post nongentesimum circiter fundationis annum eo miseræ vrbis solatio, vt quæ à Pompeio magno condita primùm fuerat, à Carolo magno dirueretur. Quo terrore perculsæ ciuitates finitimæ imperium victoris accepêre; restitutus etiam in Regnum Ibnabala, cum antea tributum annuum pactus fuisset. Missæ inde vltra Iberum amnem à Carolo ad Alphonsum cognomento Castum Legionis Regem Francorum copię quibus ille instructus insignes victorias de Barbaris reportauit: vt Francorum beneficio, Hispania penè tota iugum Barbarorum excuteret, nec puderet

Carolus Magnus Francorum Rex

Strab. l. 3. Mariana l. 3. c. 15. Eginhard.

Hiſpanum, tanto ſe Principi *proprium ſuum profi eri.* Fœlix illa expeditio & proſpera, ſi primis vltima reſpondiſſent: nimirum *ſolet eſſe felicitatis pediſſequa calamitas: nihilque tam lætum eſt, vt nihil acerbi habeat admixtum* Ibnabalæ perfidia impedimenta vaſaque omnia Francorum expilata ſunt, Regiæ opes direptæ à Barbaris, notitia latebrarum & viarum compendiis ſe tegentibus, cæſo etiam Rolando Britannici littoris præfecto, ſingulari Regis Francorumque deſiderio. Nec prædones perſequutus Rex: cum Saxonicus tumultus belli molem ad ſe traduxiſſet: quo tamen breui confecto, Ludouicum filium in Barbaros miſit: qui captis tandem Regulis ſuis, iugum Francicum pati didicerunt. Hic viſum Carolo B. Iacobum, viam lacteam, Aigolandi, & Caroli centenis primum equitibus, mox totius exercitus viribus pugnas: Ferracuti, Laruatorum, Marſirij & Belligandi luctam, Ganelonis perfidiam, aliaque id genus deliria ſomniantium anicularum, Turpini vt ferunt commenta, nihil moror: non enim ficta, ſed facta non falſa, ſed vera breuiſſimus libellus inueſtigat, & vt cum Liuio dicam, ego nihil hauſtum ex vano velim, quò nimis inclinant ferme ſcribentium animi.

Carolus Magnus Francorum Rex in. l. 22.

CAPVT NONVM.

Bellum Saxonicum septimum.

Cic. pro Mil. MAxima profectò peccandi illecebra est impunitatis spes. Nimia Caroli erga Saxones sæpe victos Clementia, tot bellorum fiduciam dedit. Seueritate opus est contumacibus, quæ quô grauior est eò tutior. VINDOCINDVS siue VVIDIKINDVS Dux Saxonum, is qui rerum gestarum fama MAGNVS à suis est appellatus, peregrinantibus quasi in Hispania Francorum armis, frustra ad belli societatem ineundam sollicitatis Danorum Proceribus, manu haud spernenda propriæ iuuentutis transgressus Rhenum, Galliæ fines ferro ignique euastabat. Verùm audito Caroli aduentu, de fuga & latebris cogitare Saxones incipiunt. Vindocindo in tutum se recipiente, cæteri à suo duce deserti, palantes ab Regiis copiis cæsi ad vnum, Carolus vt paulatim Saxonum gens extingueretur, grauissimis legibus impositis tributis insuper onerat; honoribus, magistratibus ac præfecturis exclusos, sed nec armis victi, frangi: nec legibus vel iniquis domari pertinaces poterant: qui suscepta pro suis finibus ac libertate in Sclauos arma, immortali in Francos odio flagrantes, prodereut. Nam captata occasione motus Italici iterum turbant, eodem quo nuper Duce Rebel-

A. C. 779. Ann. Fuld. & Engol.

A. C. 780.

A. C. 781. Thucyd. 6. Tac. 1. hist. & 14. an.

lionis Vindocindo: in hos Theodoricus & Geillo Duces à Carolo missi, huic bello præfecti sunt. Sed constitit experimento *plurimum nocere & multitudinem imperantium, & regimen incertum*: quippe æquatos dignitate stimulabat priuati odij pertinacia in publicum exitium, inuicem discordes bonum publicum priuatis odiis ac simultatibus impiedebant. Alter enim æmuli odio, vt suum vnius belli confecti decus faceret integrum, in Saxones temerè irruens cum maxima copiarum parte cæsus occubuit. Reparata mox à Rege clades Victi qui vicerant. MM. & amplius securi percussi, Vindocindo in Daniam profugiente. Cæteros cum VVestphalis, qui Saxonicum ingenium induerant, in Galliam cum liberis ac vxoribus traduxit, vt *qui in suo fidem seruare non possent, saltem in alieno quiescerent*: eaque demum pax fuit, vt *mutati homines; alia terra, cælum ipsum mitius mollíusque solito videretur.* Sic quibus licentia iniquitatis erepta est, vtiliter victi. Vel hoc digni laude, quòd pro libertate breui pugnare, quàm segnes in diuturna & quieta seruitute æuum transigere maluerint: quippe *fortibus viris cum dignitate potiùs cadendum fuit, quàm cum ignominia seruiendum, potiorque visa est periculosa libertas, quieto seruitio*. Confecto feliciter bello, filios prouinciis præfecit, quò sub paterna velut disciplina imperare condiscerent. Carolum Germanis, Pipinum Italiæ Regem instituit, Ludouico Aquitaniam ac bellum

Carolus Magnus Francorum Rex. A. C. 782.

Fl. l. 4. c. vlt.

Phil. Iud. l. 3. Sall. hist. 1. A. C. 783.

Hispaniense committit: quo fere temporum tractu, naturæ legibus concessere Hildegradis & Bertrada, hæc Caroli mater, illa vxor. Cæterùm quamuis tot secundis præliis belli vltra mouendi licentiam ac voluntatem sustulisse videretur, incolarum insuper deportatione; nondum tamen ad pacis stabilitatem profecerat Carolus, cùm scopulus & mora publicæ securitatis superesset Vindocindus ad Danos profugus: is vt prima effulsit occasio, non dubitauit
A. C. 784. erumpere: sed vix sumptis ad rebellandum animis armisque, Caroli celeritate oppressi sunt Saxones eo in Franciam reuerso Carolum filium adoriuntur. Itaque reuersus Rex cæsis ad Lupiam hostibus, Vindocindum tot bellorum fomitem: tot struem incendiorum supplicem habuit, mitisque aduersus victum fuit, decorum sibi arbitratus,
A. C. 785. Tac. 3. ann. si quanta nuper in hostem peruicacia, tanta beneficentia in supplicem vteretur. Itaque Christianorum sacris imbutũ Angariæ Ducatu donauit: victoris humanitate ac liberalitate victis, qui toties armis succubuerãt.

CAPVT DECIMVM.

Bella aduersus gentes exteras.
siue
Bellorum aliquot Reliquiæ.

Carolus Magnus Francorum Rex

DOmitis Saxonibus, recisáque apud inquietam gentem in Vindocindo con-

ſuetæ rebellionis hydra, ne fortiſſimo Regi *Ann. Ful.*
eſſet à bello quies,in diuerſis ac diſtantibus
prouinciis turbæ oriuntur, adeò nullum
extitit bellum, in quo non eum Fortuna
exercuerit. In Auſtralia Hertradus quidam comes, in Aquitania Adelericus turbauit: vtrumque tamen citò in ipſo tumultus ortu pari felicitate compreſſit. Nec difficilior fuit de Britonibus Victoria: quos in obſequium Ardulphus Caroli legatus reduxit: quanquam mox rebellauerint, vt *A. C. 786.*
quæ gens ſuos olim Reges habuerat, ſuis ſine Regulis ſtare ac quieſcere vix poſſet, æquiſſimo licet, ac leuiſſimo imperio regeretur. *Liberis populis ingratum eſt quodcumque ſeruitutis pretium.* Dum hæc proſperè in diuerſis regionibus geruntur; Aragiſus Beneuenti Dux, tot nuper beneficiis à Carolo affectus, de expellendis tota Italia Francis, cum Adelgiſo Deſiderij filio, & Thaſſillone (vt præmonuimus) haud obſcurè agitabat: quibus acceptis, Carolus ne altius Rebellium animis malum adhuc naſcens figeretur, ſuperatis incredibili celeritate Alpibus Romam occupat, improuiſoq; aduentu fœda conſilia opprimit. Ea re perculſi fœderati, ac imprimis Aragiſus dato Grimaldo filio obſide, pacem deprecatur: his peractis, Thaſſilloni toties reo ſua pœna infligenda fuit. Vix credas in vnum Ducem tres exercitus ductatos. Sed iis opus erat, quo celeriùs teneretur, præcluſis vndique ad opem ferendam aditibus: parata etiam fuit ſupplici Principis liberalitas: qua

Aim. l. 4. c. 78. Ado. Vienn. A. C. 787.

Carolus Magnus Francorum Rex. A. C. 788. Sen. Tre.

ille vsus callidè in tempus. Sed elapsus periculo ferocior, ne vitiis suis deesset quin periret, rebellauit. Quis Caroli mansuetudinem non mirabitur? Læsus toties & elusus, cum supplicio afficere potuisset, beneficio deuinxit. In cœnobium trusus est cum Theudone filio. Perierat haud dubiè, si in alium victorem incidisset. Sic Bauaria Regno Franciæ feliciter annexa est. *Profuit tanto victore capi.*

CAPVT VNDECIMVM.

Bellum Hunnicum tertium.

Eginhart. Ann. Fuld. Ado. Vien.

HVnnos Bauaris in Carolum fœderatos, Thassillonis pœna, communi quasi ruina traxit ac sepeliit: ac tantò indignius ac miseratione propius gentis exitium fuit, quòd non vno omnium consensu, sed pertinaci vnius ferocia, ac temeritate bellum, erupisset: vt *vnius sæpe vitio ab omnibus peccatur.* Bipartito exercitu, altero Bauariam, Italiam altero, vbi à Longobardis turbatum esse fama euulgarat, hostes aggrediuntur. Sed Garamandi Audacriique illustrium bello Ducum virtute vtrobique profligati, Caroli fortunam malo suo fato experti sunt, irritauit, non extinxit audaciam rebellium ea clâdes: sed mox decem armatorum millibus concisis détumuit. Nec tamen Hunnos fefellerat, turbandæ rei à Longobardis spes: Adalgi-

ſus enim tempori inſidiatus, claſſe inſtru-
ctus ab Irenâ imperatrice, cum Theodoro
Siciliæ Præfecto delatus in Italiam, omnem
facilè regionem inuaſiſſet, ni à Grimoaldo A. C.
repulſi Græci ab incœpto deſtitiſſent, in 789.
Calabria certatum acie, tanta vtrinque Sigon.
pertinacia, quãta quis aras foco que defen- l. 4.
deret. Victoria penes Francos, capto Adal- de Regno
giso, qui mox Victoris iuſſu capitali ſenten- Ital.
tia plexus eſt. Quo ferè tempore Sclaui la- Carolus
trociniis Francicas ditiones infeſtantes pa- Ma-
ri fortuna compreſſi ſunt, receptoque in fi- gnus.
dem VVıltzano gentis facilè Principe. Ca- Franco-
rolus in ſequentem hyemem in Vangiones rum
reuerſus eſt. Sed vrgebat interim Carolum Rex,
Hunnici belli moles, nec frãcta ſuperiori A. C.
clade ſatis audacia. Diuiſis in duas partes 790.
copiis Rebelles aggreſſus, conceptis publi- Plin.
cè votis, totoque triduo religiosè luſtratis, Paneg.
vt qui ſciret *initium rerum agendarum à pre-
cationibus capiendum*, tantam victoriæ ſpem
fiduciamque Francorum animis impreſſit,
vt ſecuri hoſtem appeterent, adeò certâ
victoria, vt prædam in anteceſſum pactione
diuiderent, ac cæſis plurimis caſtra pene-
trarent. Carolus palantes inſequutus ad
Danubij & Arrabonis confluentes, cùm ſe
illis ſyluis inuiis & inacceſſis locorum aſ-
peritatibus abdidiſſent, *quærendi erant vt
vincerentur*. Horum reliquiæ ne illic hye-
mem transfigeret Carolus, conficiendæ
Henrico Foli-Iulij Duci relictæ ſunt. Cæ- A. C.
terum hoc anno Carolus Magnus Pariſio- 791.
rum Scholam, ſtudiorum altricem, & cu-

iuſcumque eruditionis Parentem. Alcuini præceptoris opera conſilioque vſus inſtituiſſe fertur: *erat enim tam elegans liberalium ſtudiorum omniſque Doctrinæ & author & admirator*; *vt* quod de Scipione Africano dicitur: *præcellentes ingenio viros domi militiæque ſecum haberet.* Eo facto prouidit Carolus impoſterum, vt qui cæteris orbis gentibus bello ſuperiores euaſerant, ingenio non vincerentur: vtrobique verè Magnus, firmato Francicæ gentis imperio non armis modò aduerſus hoſtes, ſed quod maius eſt & auguſtius, bonis Pacis artibus. Sed à Muſis & ſcholis, ad arma & Caſtra ſtylus reuocatur. Iamque profligatis Hunnis, Auaricum Claſſicum increpuit.

Pater. l. 2.
Sall. de Rep.

CAPVT DVODECIMVM.

Bellum Auaricum.

Carolus Magnus Francorum Rex
Anaſtaſ
Paul. Æmil.
A. C. 792.
Curt. l. 6. c. 7.

NOn tam hoſtium ferocia, quàm coniuratorum in Regem numero, ac perfidia, Carolo graue & periculoſum fuit hoc ab Auaribus bellum. *Externa vi non tutus modò, ſed inuictus; inteſtino facinore petebatur: & ab hoſte armato ſecurus Rex, propè fuit, vt domi ſemel, ac iterum parricidio extingueretur.* Auſtraſianæ iuuentutis proceres aliquot Arderico authore, dum incautiùs in ſceleris ſocietatem plures aſciſcunt, delati comprehenſique, abditi carceri

cum facinoris conſciis, mortem digniſſimam cogitato ſcelere obierant. Pipinus filius nothus ſiue in ſpem regni adductus, ſiue odio Faſtradæ Reginæ, cuius impotentiam ferox iuuenis & contumax ferre non poterat; diro exemplo locum necandi optimi Patris ac tempus circumſpiciens, per Fardulphum Longobardum detecta coniuratione agnitus, comam poſuit ſacris addictus. Auares interim Pannoniæ, vt alibi diximus, populi, & Bauari exules à Theodorico Francorum Duce pulſi in Auſtriam copias reparant. Rex vbi hoſtem vicinum habuit, magno ac ſingulari Pietatis inter arma documento, operatus ſacris tantam numinis fiduciam concepit; efferamque gentem & Religionis hoſtẽ exterruit adeò, vt pars ad Hunnos Scythaſque confugeret, alij ſecundo Danubio trepida celeritate vecti, inſequentes Francos effugerent. Mox iterum bello tentati, Pipino Italiæ Rege bellum adminiſtrante; ſed Regè hoſtium Theodoro, qui & Chaganus recepto gentis more dicebatur, Chriſtianorum fidem profitente, ab armis diſceſſum eſt. *Adeo ille felix & incruenta victoria eſt, quàm Pietas præcedit*. Pari fortuna Italiæ tumultus compoſiti. Grimoaldus Beneuenti Dux in Pipinum mouerat: ſed is auctus fratris Ludouici Aquitaniæ Regis copiis rebellem perdomuit. Hoc tempore Danubium Rheno committere cogitauit: perfeciſſetque negotium ſub Neronis olim principatu tentatum; ni frequentibus è cœlo imbribus, aliiſque in-

Sigon. l. 3.

A. C. 793.

Tac. an. 13.

commodis cessisset interruptum & infe-
ctum opus.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Bellum Saxonicum octauum.

Carolus Magnus Francorum Rex A. C. 794. Aim. l. 4. P. Æm. Papy. Mass. A. C. 795.

FVso ex occursu Frisiorum exercitu sub Theodorico Caroli Magni Duce; Saxones, gens pertinax, septies rupto fœdere, cladibusque suis animosior, ingentem libertatis tandem asserendæ spem conceperant: cum peractis more Christiano Fastratæ Coniugi fato nuper functæ iustis, in Rebelles profectus est Carolus: tanta celeritate his motibus occurrit, vt quem venire non senserant, videre se vix crederent. Præmisso trans Rhenum Carolo filio metu proximæ cladis perterriti, missis legatis deditionem fecere Saxones. Sed conuerso exercitu, consuetudinis haud obliti suæ, Rebellionem ferociùs quàm antea occipiunt. VVilzanum Sclauorum Ducem ad Carolum proficiscentem in transitu Albis interficiunt. His vt par erat commotus vehementer Carolus, cum copiis omnibus perfidiam singularem seuerè vindicaturus eò

A. C. 796.

aduolat. Sed ij prouoluti ad genua ac supplices veniam pacemque deprecantur: quibus auditis, & grauiter increpitis, bellum rex humanissimus remisit. Sed quiescere gens inquieta non potuit; elidi & frangi

vno impetu pridem oportebat, ne toties insurgeret, capta ex nimia Regis humanitate fiducia audaciáque. Nam Principis *A. C.* Actores iuri dicendo per conuentus more *797.* prisco incumbentes, & agendo censui intentos ferociter trucidant Godeschalchum Caroli ad Danos legatum (quod genus ho- *A. C.* minum sanctum est apud Barbaros, nomen *798.* inuiolandum) crudeliter interficiunt. Nec inultum facinus: misso namque cum exercitu iterum Carolo filio, quidquid terrarum Visurgim inter Albimque iacet, ferro ignique euastatum est. Nec cruori modus *Carolus* factus, dum esset qui cæderetur. Haud ita *Magnus* dissimili exitu, circa ea tempora Hunni ab *Francorum Rex* Pipino Italiæ Rege Caroli filio profligati, Pannoniaque exacti sunt: quæ Regio- *A. C.* nis pars à Barbaris colebatur, mutatione *799.* incolarum aliud nomen sortita est, vt Austria quasi Orientalis Pannonia diceretur. Fuit & Ludouici Aquitaniæ Regis felix in Hispaniam expeditio. Ita diuersæ orbis terrarum Partes Caroli M. auspiciis lustratæ ac peragratæ, Victoriis etiam ac triumphis illustrabantur. Tantò maiori Parentis inuictissimi gloria & gaudio, quòd & suis & liberorum suorum manibus eæ palmæ legerentur.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Imperij Orientalis tumultus,

IN Auguſtulo nuper Auguſtam olim & quodammodò ſanctam Romani imperij maieſtatem, fatali quadam imbellis imperatoris voce, deſiiſſe planè in Occidente præmonuimus; ac ſerie breuiſſimi operis Gothorum in Italia res, inde Longobardorum potentiam floruiſſe oſtendimus: nunc eas quibus Orientalis imperij maieſtas agitata eſt turbas, paucis explicare, haud reor ab inſtituto alienum: nam eò ſtylum orationis promouebimus, donec Romanæ Aquilæ, rebus Orientis velut peſſundatis ac proiectis, quòd ſeruari à naufragio vix poſſent, Liliis feliciſſimè inſederunt, Theodori, Eutharici, Athalarici, Theodati, Vitigis, Tottilæ, Gothorum in Italia Regum res geſtas, quà Francos contingebant perſtrinximus: Alboini, Fl. Autharis, Agilulphi, Grimoaldi, Luitprandi, Aiſtulphi ac Deſiderij præcipuorum Longobardiæ Regum potentiam non omiſimus, vnius ferè imperij ad Græcos velut exulantis damnata memoria. Itaque proponenda eius aliqua velut in tabella facies, vno quaſi intuitu ſpectanda.

Carolus Magnus Anaſtaſius igitur Clodouæum Regem Francorum V. tanti ſcilicet Principis fama

motus, magnis affecit honoribus. Hic Arrianæ impietatis sectator, cùm annos fere XXVII. profuisset in imperio, fatum fugiens suum, fatum inuenit (nam periturum se igne acceperat) ictus fulmine occubuit. Iustinus inde Thrax cognomento Armentarius Fortunæ indulgentia ex Armentario, militaribus gradibus ascendens, tandem in imperij sublime fastigium euectus est. Christiana pietas tantùm eo imperante floruit, quantum decessoris impietate elanguerat: vix imperij nouennium expleuit. Hunc excepit Iustinianus, legũ & iuris author, quem leuissima de Francis, vt dictum est, victoria elatum ac superbum Francicum se nominasse monuimus. Sed longè clarissimus tanti viri Principatus, Gothorum clade vltima per Narsetem eximium Eunuchum fuit Verùm Iustini iunioris tantæ molis haud capacis pusillanimitas, Sophiæque impotentissimæ mulieris superbia, Italiæ pacem diuturnam habere non potuerunt: Narsete ob contumeliam accenso, & Longobardorum ferocem gentem in Romani imperij, atque adeo Religionis, si per Francos licuisset, perniciem interitumque euocante: talemque, vt idem professus fuerat conuicianti Sophiæ, ordiente telam; quàm neque ipsa, neque maritus eius, dum viuerent, retexere potuerunt: Hic annos circiter XIII imperauit. Non longa deinde Tiberij dominatio: nam eum statim Mauricius gener excepit: is Francorum armis amicitiaque fretus, Italiam recuperare frustra co-

Francorum Rex. A. C. 518.

A. C. 527.

A. C. 578.

A. C. 582.

natus est:altas enim dudum radices egerat
Longobardorum potentia, nec nisi à Fran-
cis euertenda. Hunc Phocas vigesimo im-
A. C. perij anno interfecit. Tum ille exacto Ty-
602. rannidis septennio ab Heraclio sublatus
A. C. est. Heraclium insignes victoriæ, sed rece-
609. pta imprimis de Persis Crux dominica cele-
A. C. brauit. Constantinum infirma valetudo ci-
640. tò imperio viuisque abstulit. Constans fi-
A. C. lius in Italiam contra Longobardos profe-
667. ctus, ab iisdem pulsus est: spoliata Roma ho-
stili plusquam auaritia, à Mezentio cæsus.
Carolus Magnus Francorum Rex. Inde Constantinus Pogonatus dictus, quòd
Constantinopoli soluens tenera adhuc la-
nugine, promissam Barbam è Sicilia retu-
lisset: hic ad annum fere DCLXXXIV. impe-
rauit. Huic successit Iustinianus filius, ac
decennio imperauit, donec à Leontio im-
peratoria purpura, ignominiosè truncato
naso, & lingua (vt ferunt nonnulli præcisâ)
A. C. exitus, in Pontum relegaretur. Leontius
684. post Triennium in imperio exactum pari
pœna ab Absimaro Tiberio affectus, in
Dalmatiam relegatur. Tanta vel mobilitas
militum, vel fortunæ varietas, vel vicissim
Reges, nunc Exules, nunc Reges videren-
A. C. tur. Absimarus septennium, Iustinianus ite-
697. rùm octennium, Philippicus biennium in
imperio expleuere Anthemius inde qui &
Anastasius II. est appellatus biennium;
Theodosius IV. pari fere temporis spatio
imperarunt. Leo inde Isauricus, Iconocla-
A. C. sta, cuius temporibus Martellus Francorum
717. Dux sub ignauis Regibus floruit, annos fere

xxiv. in imperio posuit. Constantinum fœdo cognomento Copronymum erroris, & in Roman. Pont. odij hæredem imperio reliquit. His temporibus magnæ Francorum in Italia gestæ res à Pipino & Carolo Magno: qui proiectum à Græcis imperatoribus imperium Francicæ genti compararunt, hunc ferunt per quietem à Deo monitum, vt Carolum Regem Francorum adiutorem in Barbaros assumeret. Constantino contra Bulgaros pugnanti diuinitus percusso fœdâ plagâ, successit Leo multò dissimillimus Parenti filius: qui post imperij annum quartum fato immaturo concessit. Tandem Constantini Porphyrogeniti & Irenes matris domestica etiam dissensione laceratum imperium; cũ hanc ille primum; mox illum Irene orbatum oculis, vita imperioque impia mater exuisset. Tandem frustra tentatis cum Carolo Magno nuptiis, Nicephoro in Lesbum insulam deportata est: imperiumque Romanum in Occidente feliciter ad Francos peruẽnit, vt sequenti capite demonstrabimus.

A. C. 740.
A. C. 775. Vinc. l. 24 spec.
A. C. 779. Zon. tom. 3.
A. C. 789.
A. C. 797.
A. C. 800.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Imperium Romanum à Græcis ad Carolum Magnum, & Francos translatum.

Carolus Magnus Francorum Rex

OMnibus ad occasum, aut pacatis, aut domitis gentibus, ad Septentrionem

Carolus Magnus Francorum Rex

quoque intra Rhenum, atque Danubium: ad Orientem Italia à Barbaris liberatâ; reliqui immunes etiam Francici imperij sentiebant tamen magnitudinem, & victorias clarissimæ gentis; populi reuerebantur, ita omnium aures Caroli fama peruaserat: vt in omnium animos lumen suum immitteret tanti Regis virtus: & qui non senserant, aliorum tamen sermonibus audirent, viderentque. Tot igitur bellis pro Religione feliciter gestis confectisque, cùm ad summum honoris fastigium gentem Francorum euexisset, Leonem III. summum Pontificem sede deiectum, contumeliosè habitum, & vrbe pulsum primæ ac pristinæ dignitati restituisset, Reip. Christianæ pacem & tranquillitatem, quam violentus ad Adriani S. P. (qui nuper è viuis excesserat) consanguineis, ac necessariis turbo excusserat, reddidisset: ipse vicissim à Rom. Pont. cuius contra inuidos & maledicos integritatem vitæque innocentiam defenderat, publica gentium voce, in publica iam tum orbis patria, ad dignitatis imperatoriæ culmen promotus, primus obliteratum penè in Italia Romanum imperium resumpsit, & post Augustulum apud Romanos imperauit. Quò multæ quidem causæ summum Pontificem facilè impulerunt: neglecta ac plerumque vexata à Constantinopolitanis imperatoribus religio, Francicæ gentis & Caroli potissimum Patris Pipini, ac Martelli aui, in sedem Pontificiam amplissima merita;

Zon. tom. 3. A. C. 801. Paul. Diac. l. 23. Aim. c. 90. l. 4. Anast. Ado. Vien. Eginhart. Sig. l. 4. Tac. 4. ann.

vt, *nihil est tam excelsum quod non virtus mereatur*: Caroli denique imperio digna virtus, quæque cæteris longè præfulgebat Regibus maiestas. Tum diuersi ad eum legati Persarum, Sarracenorum, Hispanorum, amicitiam ambientes, IMPERATOREM AVGVSTVM, VICTOREM, MAGNVM salutarunt. Hæc tempora publicæ orbis lætitiæ destinata, quis credat nefas? in mediis Italiæ visceribus, aliquot belli tumultibus turbabantur: mox tamen Grimoaldo turbarum concitatore intercepto, quies fuit. Ludouicus etiam Aquitaniæ Rex profligatis in Hispania Sarracenis, Barcinonem nobilissimam vrbem bienni obsidione circumsessam insigniter capit. His præclarè gestis Franticas opes virtus cum Fortuna altissimè euexit. Auxit eam Caroli gloriam Nicephorus Orientis Imperator, qui (Irena Augustâ vt prædiximus, in Lesbum insulam deportata, ne nuptiis suis, quas cum Carolo tacitè sollicitabat, Orientis imperium Francis submitteret) cum eo fœdus iniit. Conuenit vt Orientis alter, alter Occidentis Augustus diceretur, ac medius inter duo imperia velut limes, Venetiarum Respublica vtriusque maiestatem obseruaret: libera, immunis, & ab vtroque secura. Cæterum imperator ascitus ac salutatus est Carolus cum Francorum Regnum XXXIII. circiter annos administrasset: CCCCLXX. ferè anno quam insignia imperatorum Romanor. ab Constantino in Thraciam delata fuerant;

Carolus Magnus Francorum Rex. A. C. 802.

populo Rom. vniuerso, ter voce clarissima acclamante CAROLO AVGVSTO A DEO CORONATO, MAGNO ET PIISSIMO IMPERATORI ROMANORVM, VITA ET VICTORIA.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bellum Bohemicum, siue Sclauicum secundum.

Carolus Magnus Francorũ Rex. P. Æmyl. Sig. l. 4. A. C. 805. Curt. l. 10.

HVnni nuper ingenti prælio deuicti ac prostrati, assiduis Sclauorum incursionibus premebantur. Horum Princeps natio, Bohemi; quibus à Carolo Magni filio bellum pro Hunnis in Francorum amicitiam receptis gestum est, ancipiti dimicatione; cùm duæ victrices Hunnorum gentes concurrerent, contenderentque vtra alteri imperaret. Dux hostium Baccho, popularium suorum quàm potuit maximum numerum collegerat, nullo milite externo vsus: siquidem *domesticis militibus obsequium & patientia imperij longè præstantior, quam exteris*, tantò exercitus fortior, quod paribus inter se animis, pro communi patria, vita fortunisque decertarent. Nec facilis ex tanto hoste victoria, nec vno alterove prælio parta foret, si vt in clade fortem animum ostenderat, si Ducem saluum ex acie recepisset, namque is non imperatoris modò, sed etiam militis officio functus,

dum ſtudio certaminis finem virtutis nullum facit, vitæ finem inueniens cæſus occubuit. Cuius caſu cecidit vis omnis Bohemica, amiſſis nempe cum ſuo Duce iuuentutis ſuæ Proceribus. Breui tamen interiecto tempore, iterum cum Sclauis acie congreſſi Franci, Ducem Miledoctium ſiue Miliduochum profligarunt: tum duæ arces ad Albim Salamque amnes conditæ, quibus Barbarorum incurſiones ſiſterentur. Miſſi interim à Bohemis legati ad Carolum, deditione gentis facta, Francicum imperium inuictum ſanctumque accepere, redacta in Prouinciæ formam Pannoniâ. Saxones tandem his temporibus victi, coactique ſacra Chriſtianorum recepere; ſicque impoſitus difficillimo & continenti propè bello finis, profligati etiam magna clade iterum per Ludouicum Caroli filium Sarraceni.

A. C. 606.

A. C. 607.

A. C. 608.

CAPVT DECIMVM. SEPTIMVM.

Bellum Sarracenicum quartum Nauale.

ENituerat Francorum virtus terreſtribus copiis, ac prælíis; totque de Barbaris victoriæ, inſignem gentem populis commendabant. Vacuum triumphis mare, ac ferè tunc Francis poſt inſeſſas tandem Gallias intactum, inuidia terrarum, eorum arma prouocauit. Oram Italiæ, inſulaſque

Carolus Magnus Imperator Francorum.

Francorũ Rer. A. C. 809 P. Æmyl. Sigon. l. 4.

finitimas, Sarracenorum infesta classis euastabat: sed breui fugata, maioris mox pugnæ materiam dedit. Barbari non tam accepta clade fracti, quàm Audemaro Comite Genuensi partium nostrarum Duce cæso feroces, in Sardiniam Corsicamque exscendunt, dirisque populationibus sæui infestant. Inde pulsi à Sardis, cum Burchardo Equitum Magistro Nauali pugna confligunt. Illi quidem nauium multitudine, celeritate, vsu, superiores: sed virtus Francorum multitudini, haud cessit. Francos Mediterraneum hominum genus, maritimarumque rerum insolens, nouo bellandi more territum iri, hostes sperauerant, stulta ferocia superbi: quasi Neptunus virtutem eorum auxisset, qui toties terra succubuerant. Sed ille rudis veréque terrestris populus (vt de Romanis quondam aduersus Carthaginienses mari certantibus ferunt) ostendit *nihil interesse virtutis, equis an nauibus, terra an mari dimicaretur.* Profuit Francis callidum Ducis sui consilium, vt iniectis manibus ferreis, machinísque aliis, quanquam ante certamen multum in hoste deriderentur, cominus quasi in solido decernerent, aciemque maritimam similem terrestri instruerent. Ac eò quidem atrocior quàm terra, magni pugna commissa est, quòd erepta fuga aut vincendum, aut moriendum vtrisque superesset. Ingens certaminis gloria Burchardo magni nominis Duci parta est: quippe multæ Barbarorum naues interceptæ multæ depressæ.

Fl. l. 2. c. 2.

ſunt, exiguo ac propè nullo Francorum diſpendio, nullâ deſideratâ. Sic terrarum & maris firmata poſſeſſio Francis ſtetit: donec iidem Barbari, direptâ iterum Sardinia Corſicaque Valeriâ ſiue Aleriâ clariſſima inſulæ vrbe funditus deleta, in Hiſpaniam redeuntes, ad Baleares inſulas penitus deleti ſunt. A. C. 809.

CAPVT DECIMVM. OCTAVVM.

Bellum Veneticum primum.

MVltorum iam annorum erat Reſpublica Venetorum, Franciæ Regnô prope æqualis xxxv. ferè annis, ab initio Francorum diſiuncta, ruinis & ipſa Romanorum aucta, cum Francorum vires tùm vel maxime florentes auſa eſt experiri, media (vt dictum eſt) vtrumque imperium obſeruare ac colere iuſſa: Sed Nicephoro Orientis Auguſto pronior, Pipini Italiæ Regis à Carolo Magno inſtituti inimicitias in ſe conuertit: *Adeo difficile eſt cum finitimis ac potentibus prætereàque æmulis pacem tueri, qui nec vincere, nec vinci, ſine finitimorum periculo poſſunt* Duces Venetorum Obellerius & Beatus fratres. Græcorum Claſſe ſub Paulo Patricio primum freti, ſed eò propter occultas cum Venetis ſimultates diſcedente penè fracti: rem tamen ſtrenuè geſſerunt. Sed Francus ſuperior tandem

Carolus Magnus Imp. Rex. Francorum. A.C. 810. *Sall. epiſt. Mihr.* *Sigo. l. 4. de Reg. Ital.*

euasit, quamuis fœdè discerptam Pipini Classem Itali scriptores insinuent. Occupatis aliquot nobilissimis locis, ac tentata Venetiorum clarissima insula, Rauennam iter intendit, mox Mediolanum se recepit Pipinus: vbi intra paucos dies fato functus est. Vir mehercule si diutius vita suppeditasset, virtutis magnitudine, patriam auitamque gloriam facile adæquaturus. Inita deinde cum Venetis pacis fœdera: omissoque cum nobilissima gente bello, Græcis petentibus, Nicetæ ac Paulo Nicephori Ducibus data pax: ab eis etiam stare Venetos ob locorum opportunitatem & mercaturæ vsum, concessum est, satis sua magnitudine tuta ac secura Francorum potentia. In hoc summi certe viri, & singulari laude digni Veneti: qui Francorum bellum cæteris formidabile, aut inuicti sustinuerunt, aut victi in bonum suum verterunt.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Danicum.

Carolus Magnus Imp. Rex.

VLtimum hoc Caroli Magni bellorum pari fortuna cum cæteris perfectum est. In hoc viro Principe (quod rarissimum Fortunæ beneficium est) in tantum concordi virtute: vt ineuntis adolescentiæ illustres victorias, mediæ ætatis ac potentiæ triumphos innumerabiles, vltima felicitas

citas clauderet. Sed instabat iam Carolo senectus; liberis duobus: *Non enim Classes, non legiones perinde firma imperij munimenta sunt, quàm numerus liberorum*, magnæ spei Principibus amissis æger: authoritatis apud feroces gentes non nihil amiserat. Itaque Dani Septentrionales populi, in orbis velut angulum à natura relegati, ad Cimbricam Chersonesum: quibus nimirum ætas Caroli grauior valetudoque imbecillior irrisui erant, finibus suis contineri non poterant. Bellum igitur mouent, tanta spe victoriæ, tanta fiducia suæ virtutis ac fortunæ, vt Germaniæ totius imperium sibi superba gens destinaret, ac promitteret. Gottofredus, Rex Barbarorum, magnis elatus animis, congressus cum Carolo, terra primùm, mox victus mari, posita audacia supplex pacem exorauit. ductáque Esesfellum nobilissimum oppidum, imposito quasi genti ferocissimæ fræno, colonia, in gratiam ab Augusto receptus est. Hoc firmum, hoc solidum munimentum est, in feroces & recens subiectos, seruitutis sedes.

P. Æm. Aim. l. 4. Ann. Fuld. Tac. l. 4. hist.

Tac. in vit. an.

CAPVT VIGESIMVM.

Caroli Magni Imperatoris excessus.

PRofligatis Frisiis ac nuper Danis, quietæ Francorum res florebant. Tùm pax iterum à Carolo Magno cum Nicephoro

Carolus Magnus Imp. Rex

Francorum. Eginhart. Gest. Lud. Pij. Ado. Vienn. A. C. 812. A. C. 813. Orientis imperatore, mox cum Michaele genero, qui in eius locum successerat cum Sarracenis, Danis, Grimoaldo Beneuenti Duce; aliisque inita est. Ludouicus in imperatorem inunctus & inauguratus est, cùm multa prius & præclara optimæ dominationis præcepta à Carolo Parente accepisset. Coactis aliquot in locis Moguntij, Rhemis, Turonibus, Cabillone, Arelate, Conciliis: quam imperio nuper, Religioni pacem, & tranquillitatem dedit; vt tot bellis fatigatus diu, quietior ex imperatoriâ purpura, atque adeò vitâ hac mortali exiret. CAROLVS igitur imperio Francorum longè latéque propagato: post redditа Europæ iura, Africæ incussam formidinem, Asiæ initam societatem, redditam terris pacem, securitatem Gentibus, sanctitatem templis, summæ sedi Pontificem, cooptato publicè in Augustum Ludouico filio, adactis in eius verba Proceribus, florente disciplinis Parisiorum Schola, qua Authore Alcuino Bedæ discipulo conductis annua mercede omnis doctrinæ professoribus, ad omnium gentium vtilitatem instituerat, de Religione, literis, Francorum gente, orbe vniuerso bene meritus, Aquisgrani in Germania supremum diem agens, cœlestem animam vir cœlestis, cœlo reddidit. Tenet fama, paucis ante eius excessum horis, tactam fuisse de cœlo vrbis ædem primariam, corrasis ac deletis ex affixa fornici Epigraphe, his vocibus PRINCEPS CAROLVS vt qui mox

Carolus Magnus vir bello paceque summus: Iustitiæ literarumque cultor eximius, atque omnium imperatorum post Constantinum Magnũ, quem vi

cœlo insigni de cœlo consecratione raperetur. Fuit Carolus virtutibus imperatore dignis præditus, rerum gestarum gloria felicissimus: quam vehemens turbo ereptis duobus liberis fortunæ in quam alebantur capacissimis, extremo vitæ cardine paululum excussit ac violauit. Non belli magis quàm pacis artibus instructus, domi forisque idem Maximus, consilio prouidus, manu strenuus, amicis suauis, formidabilis hostibus, quem tamen nimia sæpe in victos humanitas fefellit, innocentia eximius, sanctitate præcipuus, literarum amantissimus, forma excellens, animo super humanam & naturam & fidem euectus; magnitudine cogitationum, celeritate bellandi, patientia periculorum, Magno illi Alexandro, sed sobrio nec iracundo simillimus: Dux bello peritissimus, amicitiarum tenax, in offensis exorabilis, Pietate in Deum, affectu in suos, in Religionem cultu, obseruantia in summum Pontificem nulli postponendus: vt Augusti Traiani, Constantini, Theodosij, Alexandri ac Cæsaris virtutes, vnus expleuerit CAROLVS MAGNVS. Pene omnium Votorum compos, si (quod Metello Macedonico contigisse ferunt) (præter excellentissimos triumphos, & principale in hoc orbe terrarum fastigium, extentumque vitæ spatium, acres pro Religione contentiones, tres filios omnes reliquisset superstites, & honoratissimos; eiusque demortui lectum sustu-

cognomine sic virtute æquauit sine controuersia maximus, præcipuus Italiæ restitutor, & Catholicæ Eccl. assertor habendus. Sig. l. 4. de Reg. Ital. Pater. l. 2.

lissent: hoc nimirum magis feliciter de vita migrare quam mori fuisset. *Sed ea est hominum felicitas, vt numquam vel tota, vel perpetua obueniat: & Purpuræ plerumque illudens, tantùm optatis priuet, quantùm illa altè supra cæterorum sortem attollitur: hæc eius vis: hi Triumphi:* hoc Epitaphio conditus est. HIC IACET CAROLVS MAGNVS CATHOLICVS IMPERATOR, CHRISTIANISSIMVS, DEFENSOR ECCLESIÆ PIISSIMVS, ORTHODOXVS, QVI FRANCORVM REGNVM PROPAGAVIT INSIGNITER, AC FELICITER XLIV. ANNOS ADMINISTRAVIT.

CAPVT VIGESIMVM. PRIMVM.

Tumultus aliquot diuersarum gentium compositi.

LVDOVICVS PIVS IMP. FRANCORVM REX *Ann. Fuld. vit. Lud.*

PErducta eò quo altiùs euchi non poterat Francia, graui casu cum Carolo Augusto corruere visa est. *Adeo constans est vt constet genitum nihil.* Post redditum cœlo patrem, & corpus eius humanis honoribus curatum: primum Ludouici operum fuit, ordinatio domus liberorumque. Lothario Italiam, Pipino Aquitaniam assignauit; Ludouicum Noricis Regem impositum natu minimum secum habuit. Saxones nuper à Parente patria summotos, bonis ac

terris auitis liberaliter restituit. Sic firma- Pij
tâ Pace apud exteros Ciuili maius bellum Sigon.
ab improbis natis in optimũ Patrem exor- Tillius
tum est, quod immatura regnandi libido Chro.
conflauit. Sed longo tempore opus fuit, Aim. l.
quo naturæ obliti liberi in parentem assur- 5. c. 10.
gerent. Igitur exorta & composita initio
Principatus bella primum recensenda. Ma-
ius à Septentrionali plaga periculum nouo
Principi imminente videbatur: sed distri-
ctæ mutuis seditionibus barbaræ gentes
facilem victoriam peperere: recepto in fi-
dem Heriholdo Danorum Principe, Sar-
dorum precibus admissis. Sclaui ab iugo
recedentes, per Saxonum Francorumque
exercitus debellati: hæsit tamen in vna re-
bellium Ciuitate belli moles: quâ vi captâ,
cæteræ ad obsequium reuerterunt. Inde
duplici acie victi in Aquitania Visconeſ,
Procerum temeritate incusata veniam de- A. C.
precantur: quo tempore á S. Pont. Ste- 816.
phano Rhemis imperatorium diadema Lu- Leo.
douicus accepit: tum ille Pietate Parenti Ostien.
simillimus Maiorum suorum dona, & sa- A. C.
cris addictos Italiæ Principatus tantùm non 817.
confirmauit, vt auxerit. Sollicitati ab Ludoui-
Guihormaco quodam Britones Armorici, cus Pius
quos nuper Conano Duce profligato, do- Imp. Rex
mitos à Carolo Magno monuimus, in Lu- Franco-
douicum signa attollunt. Imperator tantâ rum
celeritate motus Armoricos instructo pa- A. C.
ratoque exercitu oppressit, vt quem venire 818.
non audiuerant, videre se & adesse vix cre- A. C.
derent. Comitiis apud Venetos maritimam 819.

Francorum. gentis vrbem habitis, cæso à suis Rebellionis authore Vinomarcho, Neomenio Ducatum concessit. Nec dum Vascones ferociam tot aduersis fracti deposuerant, rati
A. C. 818. distractis Francorum viribus facilem esse
A. C. 819. ac promptam recuperandæ libertati viam, Lupo Centullio Duce turbant. Sed a Berengario Tholosano comite primum victi ac prostrati, deinde à Pipino Aquitaniæ Rege penitus oppressi quieuerunt. Rebus ita feliciter ad Occidentem gestis, in Pannonia bellum, haud ita leue ortum est. Missus eò per Italiam exercitus, orta grauissima lue penè totus interiit, quæ res Lindeuiti (is hostium Dux erat) animos tantum erexit; vt cum imperatore nisi æquo iure, non pacisceretur, Itaque ineunte vere, cum numerosissimis copiis Baudryo quodam Duce itum est in Rebelles, hos vno alteróue
A. C. 820. prælio apud Drauum Carinthiæ amnem adeò cecidit; vt quamuis numero militum inferior hostibus, Lindeuitum tamen superatum tota Pannonia exigeret. Sed reparatis viribus maiori animo quam felicitate adortus Cæsarianos, triplici acie fusus, ac spoliatus omnibus, apud Dalmatas quod sperauerat perfugium, hominũ miserrimus non reperit: nam Lindeulphi Dalmatiæ Principis iussu obtruncatus, dignissimum pertinacia finem sortitus est. Hoc etiam tractu temporum Flandriæ, Neustriæ, Armoricæ, Aquitaniæque oram maritimam continuis incursionibus Normani immaniter infestabant.

CAPVT VIGESIMVM. SECVNDVM.

Coniuratio in Ludouicum Pium.

LVDOVICVS, Lotharium & Pipinum filios summis honoribus mature nimis extulerat; inde apud feroces enata est in optimum parentem primũ insolentia, deinde contemptus, tum vincula. *Nemo repente fit malus, sed quasi gradibus, à leuioribus ad grauiora scelera progreditur:* quoque exitium suum festinaret imperator, hunc imperio, alterum Regno præfecit, quasi OMNI REGNO PVLCHRIVS, REGVM ESSE PATREM duceret. Lotharius à Paschali S. Pontifice imperator Augustus, magno apparatu ac plausu Romanorum inauguratur, Pipinus in Britones missus cum exercitu, vt imperandi vsu vterque imperio maturius quàm oportuisset, assuesceret. Inde in Aquitaniam aduersus Aisonem Vasconem Sarracenorum armis fretum perrexit: remque adeò gessit negligenter, vt qui vincere hostem poterat, prope vinceretur: quæ nasciturae mox coniurationis præsagia extitere: vt qui suo non alieno, quamquam parentis auspicio pugnare vellet. Neque id latuit Ludouicũ. Adpetitus clam à liberis, pace cum Danis composita, grauem in se conflatam à suis coniurationem cœlestibus primum

Ludouicus Pius Imp. Rex Francorum. Aim. l. 5. Ado. Vien. Ann. Fuld. Nitard. l. 1. A. C. 822. *Iust. l. 16.* A. C. 824. A. C. 825. A. C. 827.

prodigiis, (nam insolito motu Regia domus tota intremuit) mox nonnullorum confessione perduellium didicit. His initiis erupit misera & luctuosa Francico nomini coniuratio, quæ nimiâ Parentis indulgentiâ, liberorum ferociâ, ac regnandi cupiditate exortâ, plusquam ciuilibus bellis rem Francicam ita afflixit, vt minùs iam sanctum Francorum nomen ab exteris haberetur. Bernardus Italiæ Rex Pipino Ludouici fratregenitus, à Patruo primus authore Vallio quodam Rectore suo defecit, ausus insuper se Franciæ Regem, quasi ex maiore natu fratre ortum, appellare; idque armis vendicare. Sed captus oculorum visu priuatur, mox dolore contabuit. Verùm natus ex Iudita nouerca Carolus, quem breui Caluum appellabimus, fratrum animos turbauit: ac longè illi magis exarsere, cùm à Patre adhuc infans Rex Franciæ institutus est. Hæc vna bellis & fœdæ liberorum in parentem coniurationi materies validior. Lotharius natu maior collatis in Ludouicum Patrem signis dimicasset, nisi vltro citroque commeante Gregorio summo Pontifice, res tota ad futurum Lugduni concilium fuisset delata. Cuius sententia, vel potius Comitiorum, quæ Compendij habita sunt, decreto; Ludouico Augusto imperium abrogatum est, sed mox coacto liberiore Patrum concilio, priore decreto inducto restitutum ferunt. Pudet huius temporis fœda flagitia, & ausus impios hîc adscribere: quid tam sanctum, aut natura,

Ludouicus Pius Imp. Rex Francorum.
A. C. 828.
A. C. 833.

aut Deus esse voluit, quod sacrilegum non inueniat? Conseruandis Regibus nullum firmius præsidium quàm Pietas esse potest; in huius tamen virtutis tam firmas munitiones, irrupit filiorum aduersus Pium & liberalem Patrem impietas, & sæua dominandi libido. Verum noua & priore maior orta coniuratio redeuntibus vltrò ad prius cogitatum facinus fratribus, Ludouicum imperio iterum spoliasset; ni concursu ingenti Francorum facto, communibus votis Regni insignia recepisset. Sed nec probata sæpius Parentis humanitate Lotharius modum furori imposuit: audita quippe Eudonis in Neustria clade (is strenuè imperatoris maiestatem in Rebelles filios tuebatur) expilatis aliquot vrbibus ac imprimis Cabillone, nec sacris parcente milite, quibus flamma pepercerat; in Parentem tertium inuehitur: Tentata primùm via humanior, quò ferox natus ad obsequium flecteretur: sed augescente ferocia, Lotharius vincula iterum & claustra Patri minitatur. Is aliquot procerũ societate innixus montes sibi aureos pollicebatur: verùm vbi dilabi sensim à partibus ferocissimos quosq; quorum fidem occultè Ludouicus pecunia expugnauerat, intellexit; ad hæc ratus humanitate paterna ea condonari posse, quæ toties peccauerat, annitentibus etiam viris illustribus, eiurata demum coniuratione ad mitissimum Parentem reducitur. Ludouicus inde optimis ac salutaribus decretis Rempublicam ordinauit. Festinantis se-

A. C. 834.

A. C. 835.

Ludouicus Pius Imperator Rex Francorum.

A. C. 836. nectutis incommodo pressus, promouente Caroli fortunam insigniter Iudita Matre, inde Fratrum dolor ingens mox erupturus, diuisis æqua (vt moris erat) lance principatibus ac Regnis, liberis suis sua cuique distribuit. Ludouicus Bauariam, Pipinus Aquitaniam dudum sortiti fuerant: quicquid terrarum supererat Lothario & Carolo cessit, à Mosa ad vltimos Germaniæ fines Lotharius imperabat: cætera in Caroli ditionem concessere. Pipinus Aquitania haud contentus turbasset: nisi fato accedente, inquies animus è statione mortali euolasset: cæteros continuit imperatoris maiestas. Tandem multis confectus huius vitæ laboribus XXVII. fere Principatus anno excessit, Pietatis amantissimus, Mansuetudinis penè nimiæ, Liberalitate in pauperes & sacra profusissimus: tam subditis charus, quàm hostibus ex mitiori ingenio despicabilis. Ad summum Rex quàm pater felicior.

A. C. 837.

A. C. 838.

A. C. 839.

A. C. 840.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Bellum Ciuile fratenum quartum.

CAROLVS CALVVS FRANCORVM REX.

QVi parte viuo ac bis victo se ferro accinxerant fratres, eo tandem è viuis sublato, vix bene conditum ensem strinxerunt. Lotharius Augustus designatus,

ferox anteà Patri, multò ferocior in fratres erat, quo enim modo fraterna is moliretur, qui Parenti optimo exitium machinatus, iura omnia diuina pariter & humana violauerat? Præcipuus in CAROLVM CALVVM Franciæ Regem furor. Sed vnius pernicies cæterorum fortunam pari ruina inuoluebat: is antequam Alpes ab Italia transgrederetur, per suæ potentiæ asseclas, Francos sibi conatur adiungere, priscum illud obtendens in quo vis tota principatus staret, vnum fuisse hactenus rei Francicæ corpus, atque vnius animo regendum: nec diuidi paterentur quæ separari nequirent, aut si diuiderentur, infirma imbecillaque futura. Id insuper (quæ vna omnium ratio expugnandis hominum volontatibus idonea maximè ac potens) per literas pollicitus, quantò quis obsequio promptior, opibus & honoribus iri promotum. Hic acceptis, vt *facilè hominum mentes spe melioris fortunæ inflectuntur*, ruere in Lotharium multi, nonnullos minis, cæteros ingentibus promissis ad suas partes pertraxit. Itaque validis succinctus copiis, voti propè compos videbatur, cùm eius cupiditatem incredibilem, communi animo consilioque Ludouicus & Carolus iunctis copiis præter spem represserúnt. Tum ille ad dolos conuersus, quò incautos deciperet: simulatione fœde is penè fefellit: sed prudenti fratrum consilio detecta fraus in irritũ cessit. Indicta tamẽ vtrinque trimestris pax, donec omniũ voto & bono,

Eginhart. Paul. Æmi. Papi. Masson.

Carolus Caluus Francorum Rex.

Tac. l. 1. ann.

A. C. 841. Till. Chor.

fratrum dissidia componerentur. Verùm quietis impatiens Lotharius. Carolum cui implacabilius irascebatur: ad depugnandum acie compulit. Itaque auctus vterque fœderatorum copiis: hic Pipini, ille Ludouici fratris, ad pugnam prosilit. Agebatur sacer Resurrectioni Dominicæ dies, cum infestis armis animisque fratres concurrerunt. Non diei sanctitas, non Religio, non sanguis, odia fraterna extinxere. Nihil prætermissum à Carolo, quò ad ineundam honestæ Pacis rationem furiosus fratris animus flecteretur, nihil receptum à Lothario: missis legatis ferociter respondente, sibi in animo esse, ingenti prælio discordiam tollere, & de re tota vno tandem conflictu decernere In finibus Altissiodorensium ad Fonteniacum vicum ignobilem antea, sed Francorum clade insignem pugnatum est. Cædes miserabilis & funesta: eò atrocior quod Francorum manibus Franci caderent. Nec sine horrore mentis, animi dolore, oculorum luctu, pudore Gentis Francicæ: cæsorum numerum recenseas, centum millia desiderata; flos inuictæ ab extetis nobilitatis, hoc velut turbine excussus est. Grauissimum mehercule vulnus Francicæ Reipublicæ impressum est, & Barbaris mox in Franciam erupturis commodum. Victus Lotharius Vienaam se recepit. Pipinus Patrui partes sequutus, in Aquiniam. Hunc insecuturus erat Carolus, cùm Lotharius contracto ex Saxonibus, Austrasiis, aliisque gentibus exercitu consilium interru-

Carolus Caluus Francorum. Rex. A. C. 842. Till. ibid. Auent. l. 4.

pit. Sequana repente aquis auctus, excurrendi in Parisiensem agrum facultatem Lothario ademit, quem magnis itineribus cum Ludouico fratre ad Rheni ripas aggressus circa Argentoratum, iterum profligauit. Pulsus insperata clade Lotharius, nec quieuit quidem, sed castris ad Matisconem A. C. Burgundiæ vrbem locatis, bellum tertiò 843. reparabat, cùm Fratrum aduentu territus, pacem deprecatur ab iis, quos vltro lacessiuerat. Ac ea tandem his legibus data est à victoribus, vt Francia Occidentalis ab orâ Britannica Armorica ad Mosam amnem: Carolo cederet: Ludouico Orientalis vltra Rhenum, cum aliquot citra oppidis. Lotharius imperatoris nomen retineret; præter Italiam omnem, Prouinciam; vicinas Rheno inter eundem & Schaldim Regiones, quæ à Lothario, iam inde ad hæc vsque tempora Lotharingiæ nomine (quanquam leuissima nunc huius tractus particula sit) continentur. Pipinus Aquitaniam sortitus est. Sic sparsæ discretæque Francorum vires, quasi dissolutis membrorum neruis, languidum imperij nuper Augustissimi corpus effecere: ac breui, tantæ A. C. 844. olim dominationis contextu in multas partes dissiliente, immani Barbarorum eluuioni patuit; adeò certum est, maxima ac florentissima imperia, si distrahantur, dilabi ac diffluere.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Bellum Aquitanicum tertium.

Carolus Caluus Francorum Rex Diuisis,eo quo dictum est modo,Francorum opibus inter fratres, quies indicta vtrisque videbatur; cùm rebellione Vasconum & Aquitanorum omnium turbatum est. Illi Pipino authore(cui scilicet Fratrum pax ingrata & intuta erat) grauissimos tumultus concitarunt, tantùm Rebellium conatus fortuna promouente, vt Caroli Regis validissimas copias,ad sedandos tumultus præmissas funderent. Quo ferè tempore Lotharij imperatoris otium turbauit rapta per Gisalbertum Aquitaniæ Rectorem abductaque filia, huius iniuriæ authorem & suasorem Carolum insimulabat,sed profugiente in Germaniam ad Ludouicum Germanicum raptore, purgatoque Carolo, positis inimicitiis, belli apparatus maximi dissoluuntur.Tùm interiectis aliquot annis, fœdæ diu in Patrem coniurationis assidua recordatione stimulatus Lotharius effusi per imperij cupiditatem Francici sanguinis dolore cruciatus, quem scilicet superbiæ, auaritiæ, vitiorum penè omnium pœniteret, erepta sibi Hermengrade optima eademque modestissima Coniuge, Promense Monasterium ingressus,post vnum vitæ Religiosæ annum è vi-

Ann. Fuld. Regin. Chro.

A. C. 846.

A. C. 851.

uis cœlo raptus est diuiso prius liberis imperio; Ludouico Italia, hic mox à Sergio S. P. imperator inunctus est; Lothario Lotharingia: Carolo Prouinca relictis. Erat illi ferox à natura & nusquam tractabile ingenium: sed tot cladibus subitò mutatus, documento fuit posteris: *homines cum se Fortunæ permisere, eius telo appetitos, etiam naturam dediscere.* Interim tumultus Aquitanicus Carolum Barbarorum incursionibus coercendis impedimentum satis euocauit. Nec finis vna alterave acie foret impositus, ni Fortunæ blandissima facies affulsisset: quippe Pipinus nupera victoria vltra omnem modum ferox, à suis in quos crudeliter sæuiebat comprehensus, & ad Carolum adductus, in Monasterium includitur: vnde eductus moxque receptus, durissimæ captiuitatis supplicio affectus est in Castro syluanectensi. Pertæsi dominationis Francicæ Aquitani, ab iugo resiliunt: Ludouicum Germaniæ Regem in Carolum accersunt. Is diuerso cogitationum æstu abreptus est, nequid in fratrem diu amicum temerè moliretur: sed inde faces admouente superbia ac tandem euincente, Ludouicum filium cum exercitu eò mittit. Sed iam Aquitanorum furor detumuerat. Itaque re infecta eò vnde profectus erat, reuertit. Carolus Aquitaniæ Rex Lemouicis inungitur: firmatisque præsidio militari arcibus in Franciam cum Normanis pugnaturus remigrauit.

Curt. l. 3. c. 2.

Carolus Caluus Francorum Rex. A. C. 853.

A. C. 854.

A. C. 855.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Prodigia malorum prænuncia.

A C. 857. *An. Fuld. Ado. Vien.* Dira his temporibus sæuaque prodigia, malorum, quæ mox Franciam ex Barbarorum fœda colluie obruerunt, prænuncia oculis obiecta sunt? quæ ingentem instare mortalium stragem, & cruentam sanguinis effusionem haud obscurè denunciabant. Solito ardentiores Cometæ, dirum crinem cœlo latè à Septemtrionis partibus exerunt, frequens solis ac lunæ deliquium, fulminum inaudita vis, ardentes, & concurrentes cœlo ignitæ acies, nubes cruorem toto triduo passim depluentes. Visi etiam; quis credat nefas, dæmones. Fames, Pestis, aliaque id genus mala, vno quasi impetu ac tempore, Europæ incubuerunt. Initium tot turbarum, quibus Francia iactata est; ab Ludouico Germaniæ Rege: quem Franci aliquot Rebelles, Carolo infensi, cum Normanis Barbaris occupato, ad regnum capessendum euocauerant, ac ille voti compos fuisset haud dubiè, si fugientem Carolum insequi, vt terrere, potuisset. Tum annitentibus hinc inde Francorum Proceribus in gratiam Reges reuersi sunt, omnium vltro citroque acceptarum iniuriarum & cladium damnatâ memoriâ.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Bellum Armoricum siue Britannicum primum.

ARmorici, quos vulgo Britones appellamus, eam Galliæ partem incolunt, quæ à Ligeri nobilissimo Franciæ amne, Neustriam versus in mare Britannicum longè protenditur. Hi Duce Neomeno siue Neomenoio ingentis animi Principe, Carolum Caluum bello lacessere ausi sunt, quo tempore Principum factionibus semper inquieta Francia, & Ciuilium bellorum tempestatibus iactaretur, incumbente etiam à Normanis sæuissimo turbine: initium belli & causa penes eundem Ducem, qui Regium titulum, quem ea gens magno ambitu suis semper Principibus affinxerat, Franciçq; dominationis haud patiens, inuito ac prohibente Franco sibi vendicabat: ad hæc Lambertum quemdam Caroli hostem ac Rebellem (is regionis inter Ligerim & Sequanam positæ præfectus erat) velut in gremium ac tutelam suam admiserat. Non pro finibus bellum, aut libertate gentis, sed pro nominis duntaxat gloria gestum est: tanta Britonum felicitate, vt vno atque altero prælio victos Francos strenua gens afflixerit. Nec demisit animum Carolus: sed maiori comparato

Carolus Caluus Francorum Rex. A. C. 859. Till. Chro. P. Æmyl. Argen. l. 1. Ann. Fuld. Regin.

exercitu ferocem prima victoria hostem compescuit; & in ordinem redactum, *pacem cum potentiore colendam, non mouendum*
A. C. 860. *bellum ac æmulatione potentiæ validiores haud irritandos edocuit.* Neomenoius Bri-
A. C. 861. tonum Regulus victoris mansuetudinem expertus est; nam Principatum iure victoriæ amissum, filius Herispeus in Regis verba sacramento adactus, facilè recepit: tantâ tunc modestiâ vincebatur. Nec verò
Carolus Caluus Francorum Rex sepulta in posteris hæredibus tanti beneficij memoria fuit. Regulus enim gentis Salomon, quem inter diuos Armorici numerum Francis Normanos hostes qui Andegauum aliaque oppida occupauerant, obsidentibus, copias misit auxiliares: tantò faciliùs ac promptiùs, quòd recens adhuc esset accepta ab iisdem Barbaris iniuria. Ferunt Britonem iteratâ de Francis victoria elatum, cùm Andegauensem agrum igni ferroque euastaret, nec à sacris etiam
A. C. 874. ædibus temperaret, percussum, simul ac à Maurillio tum vrbis Episcopo, cùm moueret, vt à Sacrorum direptione abstineret, repente corruisse, intercluloque spiritu miserabilem in modum expirasse. Nimirum *acerrimæ sacrilegos pœnæ manent, tametsi ad breue tempus prosperè rem gerere videantur.*

Regin. Chro. hist. Brit. Agat. c. 2.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Bellum Normanicum primum.

BEllum atrox & diuturnum cum Normanis: nec finitum priùs quàm Francica velut ciuitate & iure donati, Neustriam opulentissimam certè Franciæ partem incolendam à Regibus acciperent, & Normaniam à se appellarent. Hi Danici Nortuegiique (quæ (vt nomen ipsum declarat & vox sonat Germanica) Septentrionalis generis sunt Cimbricæ Chersonesi vicini: inter continua Reip. vulnera, & ciuiles tumultus repentè quasi captato tempore (nam *per ciuiles discordias externi tollunt animos*) ab vltima Aquilonis specula, subiti instar turbinis, in Francorum fines classe aducti eruperunt; vitæ sustentandæ necessitate, an potius nocendi studio piraticam facerent, incertum: nam, & illi inopia, illuuie, squallore deformes: & feri ac Barbari, atque Christi sacris nondum susceptis, impij. Ac primùm oram Frisiæ maritimam populati: inde à Lothario imperatore, in Carolum Caluum Fratrem Franciæ Regem velut stipendio acciti, Galliam infinita multitudine ingressi sũt. Inde Burdegalam & Santones confixere, Frãcis immani strage profligatis, vix fuga saluo Carolo, primus ille Barbarorũ furor. Multa præda & longa

Aim. l. 5. Paul. Æmyl.

Liu. l. 3. Fl. l. 3. c. 5.

Carolus Caluus Francorum Rex

A. C. 842. po; u'atione dites in Patriam reuerterunt: vt tam felici rerum successu illecti inuitatique populares sui, ad tam opimam Galliarum prædam læti accingerentur. Nec multis interiectis annis, alia efferæ quidem, si priscos mores spectes nationis, verum armis strenue, si virtutem bellicam expendas, colonia, ad nouas velut sedes iterũ quærendas in Galliam nauigauit. Quà subit Oceanum Sequana, Lutetiam vsque Parisiorum delati, cuncta passim diripiunt incenduntq; Barbari; quippe prædæ vbertate sollicitati, multo ferociores quam primùm venerant, redierant. Furorem Normanicum aliquandiu Eudonis singularis virtus, ne vniuersam Galliam instar diluuij obrueret, continuit, pulsi ab eo totâ Galliâ. Sed pullulante in dies gentis multitudine, vt *iniussa plerumque gramina reuirescunt*, Ligeris ostium ingressi prouectique, Nannetum, Andium, Turonum, vlterius etiam progressi, Tricassium & Tullensium fines, quò se Barbari torrentis instar effuderant, nobilissimâ Trecarum vrbe incendio deformata, immaniter vexant, Hastingo Campano ad impios transfuga fideique desertore, agmen ferocissimum ductante. Quæ rerum facies? direptis ferociter nobilissimis ciuitatibus, Vindex Religionis populus, ab hostibus Regionis, quasi iam mutatâ felicitatis vice, deuastatur. Roberto Andium Comite, Rodulpho Aquitaniæ Duce, aliisque probatissimis Ducibus infelici pugna cæsis, Carolum necessitas orto, ab Germanis

(margin notes: A. C. 846. Till. Chro. — A. C. 866. Papy. Mass.)

bello eò adegit, vt fœdus Francorum nomine, & fama indignissimum cum prædonibus iniret. Sed cùm nullum depopulationibus modum finemque imponerent, coërcere statuit: non iustâ quidem acie, sed tuendis finibus, muniendis armandisque oppidis, & quà opportunum erat, præsidiis impositis. Versus inde in Ludouicum Germaniæ Regem Normanorum impetus: tantâ ferocissimæ gentis fiducia, vt vltrò illudentes, pacem offerrent, si emere vellet. Sed indignatus Rex, contumeliaque accensus, Barbaros grauissima strage afflixit. Normanicum furorem Hispania per eadem fere tempora experta est. Hanc omni iniuriam belli vexarunt. Galæciæ oram vniuersam populati sunt: inde ad Brigantinum portum appulsi, quanquam nauali prælio à Ramiro Rege victi, Nerio tamen promontorio superato, ad Tagi ostium inuecti, Vlyssiponem clarissimam Hispaniæ vrbem ditionis tum Mauricæ, infestarunt: tum classe & viribus aucti obsessa Hispali, Gaditanis agris & Assidoniæ finibus euastatis, factâque ingenti, & hominum & pecorum præda, cæsis ter acie Mauris, magna parta gloria, spoliisque onusti, tandem vltrò soli sterilitate & gentis inopiâ, vt credere est post tot victorias; cogente, ex Hispania in vberiores terræ plagas concesserunt.

Carolus Caluus Imp. Rex. Francorum.
A. C. 873.
Mariana. l. 7. c. 14. rer. Hisp.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Bellum Germanicum secundum.

A.C. 875. *Ann. Fuld. Sigo 5. de Reg. Ital.* A. C. 876.

AVdito Ludouici Imperatoris in Germania excessu, tantæ tamque Augustæ dignitatis, maiorumque potentiæ auidus Carolus Caluus, diuersis partibus, vt par erat, imperio se accingit. Ludouicum filium cum exercitu in Austrasiam mittit: ipse incredibili celeritate transgressus Alpes, Italiam inuasit, cumque Germanicus exercitus Carlomanno Ludouici filio Duce, sistere impetum non potuisset, à Ioanne VIII. summo Pont. Augustus appellatus, & salutatus est. Ea res Ludouicum Ludouici imperatoris filium alterum, ita accendit: vt collecto raptim Saxonum Thuringorumque veterum Franciæ hostium exercitu, Carolum armis aggrederetur, in eum Carolus haud minoribus copiis succinctus promouit aciem, ad citeriorem Rheni ripam castra ponit, cùm vlterior à Germanis latè prætexeretur. Cunctatum est diu vtrinque, mutuaque virtutis admiratione suspensæ. ac defixæ acies hæserunt Iamque ad pacem vterque inclinabat exercitus: cum Caroli dolo prælium Francis iniquissimum exortum est; quasi is desperasset armis, ad fraudes conuersus est. Nam primis se intendentibus tenebris, traiecta sine vllo strepitu

Carolus Caluus Imp. Rex Francorum.

exercitus parte, occultis insidiis Germanos conatur intercipere. Detecta fraude (neque enim ea geri tam occultè poterant, vt non detegerentur) Ludouicus suos admonet, vt hostium perfidiam ac dolum impigrè vlciscantur. Itaque hostium insidias insidiis vindicaturus Germanus, diuersus ab itinere quo Carolum venturum resciuerat, in edito colle consistit. Francumque militem nocturnis imbribus & difficili itinere fatigatum, ex improuiso, è superiori loco velut nimbus tanta vi excepit, vt missis vndique telis hostem obruerit. Sic miserabili clade deletus exercitus, in fugam versus Carolus vix insequentium manus effugit. Castra direpta, vasa expilata, ingens virorum illustriũ numerus desideratus. Reliqui diuersi à suis signis: quò quemque rapuerat fuga, vagi ac palantes à rusticis cæsi partim, partim spoliati, addita etiam tantæ cladi ignominia; quippe dimissi nudi eò rerum redacti Franci, vt ex herbarum toris, ac fœni arentis manipulis tegumenta sibi miseri consuerent. Hoc excepti ludibrio Franci, nec indigno: quippe qui victoriam dolo mercari voluerant, quam salua fide & dignitate integra parare potuissent. *In his enim ta ibus, scelera semper & victum premunt ac dedecorant, & victorem omni honore afficiunt.* Nec diu superfuit tantæ cladi Carolus, nam paucis post mensibus, Nantuæ in finibus Allobrogum XXXVII. Regni, Imperij ferè altero anno: veneno, vt creditũ fuit, sublatus est, cum in

Otto Frising. Sigib.

Gaguinus.

A. C. 877.

Sarracenos moueret. Deinceps à Pipini & Caroli Magni virtutibus maximè desciscentes Francorum Reges, imperio primùm, mox Regno exuentur, *adeo firma est, & fida Maiestatis custos virtus.*

CAPVT VICESIMVM NONVM.

Bellum Normanicum secundum.

LVDOVICVS BALBVS IMP. REX. FRANCORVM. *Paul. Æmil.* *Aim. l. 5.* *Regin. Ann. Fuld. Till.* A. C. 878. A. C. 880. A. C. 881.

LVDOVICVS à Linguæ impedimento BALBVS appellatus, Calui filius maximis per breuissimum principatum turbationibus iactatus fuit. Huic infensi patrueles Germaniæ Reges, paternarum iniuriarum haud immemores, eadem in Balbum quæ in Caluum nuper Francorum indignatio. Armorici iugum nuper impositum excutere auidi: assiduæ Normanorum incursiones. Richildis insuper & Bossonis, quem Caluum nuper Prouinciæ Regulum fecerat, non obscuræ coniurationes, imbecillam Regis mentem haud leuiter fatigabant. Vnus prope in Ludouici partibus Ioannes VIII. summus Pontifex, cuius ignauiam præter illam, quæ tanti fastigij tantæque dignitatis virum minimè decebat ætatem, Ioannem Papissæ fabulæ causam impiis dedisse ferunt. Ab hoc Trecis coronatus, & imperio auguratus est Balbus. Pacis appetentissimus, quam flagrantissimè optauerat cum Ludouico iuniore German æ

Rege

Rege composuit: mox post alterum circiter Regni annum Compendij obiit, cum magnam de se spem, ac futuræ mox rerum felicitatis opinionem extinctis bellorum fomitibus concitasset. Sed hoc è viuis sublato, male obrutum belli incendium resurrexit: Ludouico Germanico cum ingenti suorum manu in Franciam properante, quò illum sceleratorum Ciuium rabies ac furor euocabant. Hoc tumultu, ea Lotharingiæ pars quæ Caluæ obtigerat ex Procerum consensu Germanico cessit, sic ab Armis secundo discessũ est. Bossone etiam Tyrannidem per huius æui spatium affectanse. Interim Normani Saxoniam populati, post insignem de Germanis victoriam, in Galliam latè terrorem circumferentes, transmisso Rheno effunduntur. Ludouicus & Carlomannus Balbo nati, recta in obliquã nascendi sorte authores vtroque trahunt, initio sui Principatus, feliciter satis aduersus Barbaros rem gessere, ac duplici prælio, altero apud Vigennam in Pictonum Turonumque finibus, altero iuxta Schaldim ingentem hostium stragem edidêre. Sed domesticis bellis impliciti Reges, erũpentes vndique effusi torrentis instar Barbaros sistere non poterant, quin latè grassarentur: hisque è viuis intra paucos dies ereptis, maior fiducia diripiendæ Franciæ Normanos incessit. Quos cùm armis, aut viribus arcere non possent Franci, (quanquam sit *indignissimum bella non perfici, sed redimi; hostem pretio, non armis summoueri*)

Ludouicus 3. & Carlomannus Reges Frãcorum A. C. 882.

Aim. ibid.

Auent. l. 4.

Sigon. l. 5.

Iust. l. 6.

data tamen vltrò ingens auri vis, vt se tandem Neustriæ finibus continerent. Verùm quæ Barbarorum fides? datam aliquandiu crederes, vt opportuniùs postea incautos Francos deciperent. Illi namque adiunctis secum Danis, Morinorum ac Menapiorum fines populati, Gotthofredo, & Sigifredo Regibus, Leodium, Traiectum, Coloniam, Treueros, aliaque clarissima oppida diripuerunt: ac cæde factâ truces incenderunt. Latiùs grassantibus in Mediomatricum finibus CAROLVS cognomento CRASSVS, ob teneram Simplicis ætatem in Regem à Francis ascitus, qui nuper insignia imperij acceperat, occurrit; ac primò interceptos, cæsis ferè decem Barbarorum millibus afflixit: sed resumptis animis, ac viribus, tanto impetu in fugientes irruunt, vt inferior armis Crassus discederet. Visum operæ pretium amicitia vinci, qui armis toties vicerant. Data in matrimonium Gotthofredo Regi Ægidia Lotharij filia cum dotali Frisia, vt affinitate pax firmaretur. Sed occiso per insidias Gotthofredo, Normani Louanio profecti, Lutetiam secundo oppugnant; tanta Ciuium consternatione, vt in publicis publicationibus, A FVRORE NORMANORVM liberari se imprimis precarentur. Henricum Ducem cum ingenti exercitu ab Imperatore missum, vt Parisiensi obsidioni inhærentes Normanos extorqueret, authorem cædis Gotthofredi Regis obtruncant. Furorem impetumque suum haud dubiè in

Carolus Crassus Imperator Rex. Francorum.

A. C. 884.

A. C. 885.

A. C. 886.

Carolum verterent, nisi pace composita Neustriam, (vt quorundam opinio est) quæ nunc Normania est, incolendam concessisset. Quæ res priuato Regis consilio arbitrioque, non ex publicis Regni Comitijs recepto gentis more facta, tantam Regi inuidiam conflauit: vt Franci Germanique proceres, hi Regem alium, Eudonem Comitem; illi imperatorem Arnulphum Carlomanni nothum, quæsierint fecerintque. Nec verò Crassus imbecillis, vt erat obeso corpore, animi ac parum firmæ valetudinis, tantum imperij Regnique pondus sustinere poterat. Prô Regnorum indignissimas vices! quis Fortunæ mutationes, quis dubios rerum humanarum casus, satis mirari queat? quis non diuersa præsentibus, contrariaque expectatis, aut speret, aut timeat? Carolus, quem nuper tanto ambitu Italia, Francia, Germania: Regem, Imperatorem, tot gentium, tot populorum Principem orbis salutauerat, Carolo Magno ortum, momento temporis, Imperio, Regnis, Principatibus, subditis, seruis, honoribus, tecto, pane, cubili spoliatus, vix relicto spiritu quem ægrè duceret, Regiæ infelicitatis exemplum fuit. Nimirum ita est, *solet Fortuna quos plurimis beneficiis ornauit, ad duriorem casum reseruare.* Hunc tandem ferunt, ne non tota obuenisse misero mortalium calamitas videretur, strangulatum fuisse. Sed quis homini miserrimo, sortem hanc vltimam cum luce inuidisset? nisi beneficij ingentis

Carolus Crassus Rex. Francorum.

A. C. 887.

Vell. l. 2.

Cæs. 3. bel. Ciuil.

A. C. 888.

Sall. Catil. Sen. Troad.

loco esse censeas, miseros suis ita calamitatibus,& vita exuere: quippe *in luctu & miseriis, mors ærumnarum requies, non cruciatus est, quamque misericors sæpe pro vità dabit.* Placet hic tanti quondam imperatoris Epitaphium attexere; quo præter eius facta ac primam felicitatem, iocantis Fortunæ malignitas præclarè depingitur. CAROLVS CRASSVS REX SVEVIÆ, PRONEPOS CAROLI MAGNI, ITALIAM POTENTER INTRAVIT, EAMQVE DEVICIT; IMPERIVMQVE ROMANVM, VBI CÆSAR CORONATVS, OBTINVIT, AC MORTVO FRATRE LVDOVICO, VNIVERSAM GERMANIAM ET GALLIAM, IVRE HÆREDITARIO ACQVISIVIT. DEMVM ANIMO, MENTE ET CORPORE DEFICIENS, AB IMPERIO SANE MAGNO, CVM FORTVNÆ LVDIBRIO DEIECTVS, A SVIS OMNIBVS POSTPOSITVS, HVMILI HOC IN LOCO SEPVLTVS IACET. OBIIT ANNO DOM. DCCCLXXXVIII. IDIB. IAN. Sed iam Normanici belli filum quodammodo abruptum retexamus. EVDO animi virtutibus, & quæ fortunæ conueniebat Regiæ, corporis præstantiâ insignis, ex Comite Parisiensi in Franciæ Regem publicè communibus votis ascitus, Normanos felicibus aliquot præliis, vt præmonuimus fudit; Lutetiam à Barbaris obsessam liberauit. Inde apud Meldenses profligati,

EVDO REX FRANCORVM

Regino Abbo. Otto. Frising. A. C. 890.

tentatâ tertiò Parisiorum Ciuitate in Neustriam reuertuntur. Euastatis igitur Constantinatum agris populabundi Armorica ingrediuntur: sed à Britonibus pulsi, reparatis viribus ex nouis suorum Coloniis, ad Mosam & Rhenum Germanos vincunt. Arnulphus imperator superiori victoriâ elatos, tanto impetu aggressus est, vt x c. Barbarorum millia cæderentur. Itaque ea clade irritati, non fracti, expugnatis aliquot arcibus expilatisque ædibus sacris, præda facta nauibus in patriam reuersi sunt.

A. C. 891.

A. C. 892.

CAPVT TRIGESIMVM.

Bellum Ciuile V. inter Proceres.

LIberatâ ad tempus Normanorum continuis incursionibus Eudonis virtute Francia, per factiones Principum quiescere non poterat. *Certè virtutem inuidia premit, eorumque fortunam, quos emergere videmus, ægris fere animis aspicimus.* Omnis in Eudonem Procerum æmulatio, qui Regnum exuto Crasso inuaserat, omnium propè indignatio, in tanta viri potentia & turbidis occupata temporibus maiestate, gentis Francicæ leges, iura, institutaque euerti clamitantium: vnum esse verum ac legitimum Regni hæredem ac Francicis moribus legibusque agnoscendum, Carolum nempe illum Ludouici Balbi filium, quem à simplici indole, & morum clemen-

Carolus Simplex Rex Francorum.

A. C. 893.

tia veriùs, quàm ſtupore mentis SIMPLICEM appellabant. Itaque Rhemis more maiorum Carolus annum agens ætatis XII. inungitur. Eudo, armis defenſum à Barbaris Regnum, armis tueri ſtatuit: Comparatis copiis celeritate incredibili, Carolum occupat, eumque in Germaniam ad Arnulphum Auguſtum compellit: cuius ille opibus fretus primùm, reditûs ſui ad Regnum ſpem aliquam animo conceperat: ſed ſparſis huc illuc ad tuenda recens adeptæ nec dum confirmatæ maieſtatis iura imperij viribus, fruſtra cum Eudone de Regno contendit. Berengario enim Italiam inuadente Arnulphus, ne dum aliena tueri vellet, ſuis ſpoliaretur: copias eò mittit, Itaque deſtitutus omni ope Carolus, ſeceſſit in Burgundiam. Interim miſerabilem Franciæ ſtatum lacrymis deflere, ne verbis quidem exprimere quiſquam poteſt. Viri prouinciarum Principes, ludente inter duos Fortuna, Reges ſuis quiſque locis agitabant: inde cædes, latrocinia, expilationes, & Tyrannorum impune factæ graſſationes. Exacto inter has turbationes, qui minimum pluri numque numerant, quinquennio, lethali morbo affectus. Eudo, regno ſe penitus exuit. Sic feliciter ex hac vita nouo Tyrannorum exemplo Syllam quaſi imitatus abdicato principatu diſceſſit: tum omnes ad Carolum vltrò conceſsêre. Inde aliqua per ſexennium quies quam Germanici tumultus inter Ludouicum Arnulphi filium & Zundibolchum Lotharingiæ Principem

A. C. 894.

foucbant: vt pax Francorum tuta esse nisi ex finitimorum turbis non posset.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Bellum Normanicum tertium.

PAx igitur, eo quo dictum est modo, composita non diuturna fuit, redeuntibus cum ingenti suæ gentis multitudine ad solitas populationes Normanis. Illi diuisis agminibus Belgium, & Neustriam ferociter aggressi, capto expilatoque Rothomago nobilissima ad Sequanam ciuitate, Parisios vsque prouecti sunt. Frustraque ad Vrbem Regiam, & totius primariam gentis admoto exercitu, in Burgundiam populabundi progrediuntur. Inde per Regionum ac vrbium continuas vastitates reuersi, apud Carnutum, virginis (quæ ibidem summa veneraione colitur) auxilio præsidioque seruatum, prostrati sunt. Tandem vt aliquis tot Barbarorum incursionibus finis imponeretur: à Carolo Simplice renouatum cum Normanis fœdus; data in pacis pignus Ducatus nomine ea pars, quam nunc ab incolis Normaniam appellamus: quóque strictius inter se vtraque gens iungeretur, adfinitatis etiam accessit vinculum. Ea insuper Normanis imposita lex, vt eiecto idolorum cultu, Christi fidem susciperent: quod ita breui, ac tanta omnium alacritate

Caluus Simplex Rex Francorum.
A. C. 906.
A. C. 907.
A. C. 908.
Aim. l. 5. c. 43.
Guillel. Gemiticus. l. 2. Duc. Norm.
A. C. 909.
A. C. 910.

peractum est, Rollone Duce aquis lustricis more Christianorum tincto, vt mirum esset, eam gentem ad Religionis exitium initio (vt creditum est) natam; tam citò cum Barbarie gentilitios errores exuisse.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Sarracenicum V. Hispanicum.

Carolus Simplex Rex Francorum. A. C. 912. Mariana l. 8. c. 1. Rer. Hisp. Roder. Sanc. Hist. Hisp. part. 1. c. 12.

HIs ita se in Francia habentibus, Maurorum res in Hispania, quæ Caroli Magni imperatoris, & Azenarij Vasconis Eudonis Aquitaniæ Ducis filij virtute pessum ierant; eiusdem excessu primum recreatæ, mox nostris continenter bellis velut adiutæ & confirmatæ, creuerant adeò, vt totam latè regionem nefaria gens, aut occuparet, aut terreret. Itaque pace cum Normanis eo quo dictum est Reip. Christianæ incremento composita, fatales Barbaris Francorum copiæ, Eneco Sanctio Bigerrionum in Aquitaniæ parte Regulo Duce, cum expedita Vasconum manu, Pyrenæos iterum montes transgressæ, ruentem ad interitum, ac propè desperatam his in locis Religionem erexerunt. Tanti fuit Francos habere vicinos & amicos. Horum concursu, quanta Christianorum mentes lætitia insedit ac recreauit; tanta Maurorum animos inuasit turbauitque consternatio; ac eo quidem vtrobique maior, quò

alacrior Francus, superatis iam (vt erat) montium angustiis, adesse nunciaretur. Passim oppida vrbesque, qua voluntaria Ciuium deditione, qua vi armorum à Vasconibus receptæ sunt. Cæsi etiã passim vasta strage Barbari: ac puncto temporis, Francorum armis Iberus notissimus Hispaniæ fluuius penetratur. Nec verò is victoriarum terminus fuit. Vltrà progressi densos Sarracenorum ordines, tanta confertos multitudine offendunt, vt latè agri omnes quà lõgè patebat prospectus armatis complerentur. Enecus, vt & terrorem suis, & fiduciam hostibus, indomitæ gentis obiecta speciè minueret, quanquam alioqui ad primum nefandæ gentis aspectum, velut ad prædam subitò exardescere, & inuolare consueuerat, (hinc illi forte Aristæ cognomen à volocitate fuit) moratus aliquantulum suorum aciem, præfatusque nihil trepidatione opus. Vna vice opprimi posse „ quæ subinde si disiungerentur sese obiice- „ rent, Barbarorum copias, vno, sed eo acri „ ac generoso impetu, vna omnium sinistre- „ nui essent impressione, deleri significat: „ fore impedimento, & oneri magis quàm *Carolus* præsidio tantam vim hominum, *Non nu-* *Simplex* *mero, sed virtute nisi victoriam*: darent mo- *Rex* dò operam, ne se hinc inde ab hoste cir- *Francorum.* cumueniri paterentur: non defore etiam suis Numina, quorum pro aris ac templis fortiter dimicarent. His incensi Franci, vultu, oculis, ferro, animisque terrorem præferentes, in pugnam prosiliunt. Nec diu

Barbari tulere impetum, profligantur vndique. Cúmque ab effusâ fugâ montium prærupta, quodque obiectum à tergo erat flumen, arcerent; alij arma fœdè iactantes hinc in præceps, inde in aquam cæci ruunt; alij dum aceruis suorum partim stratis ferro partim numero obtritis sistuntur, velut vincti trucidantur. Non alia ante Barbarorum (si Turonensem excipias) atrocior pugna & clades fuit. Tenet fama in procinctu pugnæ visam ab Eneco coruscantem inter nubes, ac miro candore radiantem crucem: quæ vt pugnæ incitamentum maximum & victoriæ omen fuerat, ità deinceps Hispanicæ gentis Regium insigne fuit. Prostratis in hunc modum Barbaris, ne Francorũ discessu, vt antea, Christianorum opes in Hispaniâ minuerentur, Maurorum rediret viresque resumeret audacia, visum est operæ pretium, illic lares sedesque in posterum figere: vt è propinquo Mauri tantæ virtutis metu, continerentur. Nec Hispani illum statum rerum, immani seruitutis Barbaricæ iugo liberati abnuebant. Sed vt strictiùs inuicem vtraque gens cohæreret; nec illa occupatis ferocior, neque hæc amissis terris inferior censeretur: vtriusque populi consensu decretum est, vt creato primum Rege omnium Eneco, extincto veteri Suprarbiensi Regno, Magistratus Regem inter Regnique incolas institueretur medius, qui Tribunitiæ potestatis adinstar IVSTITIA diceretur. Quæ sanè res Hispanicum imperium posteris mirificè

Franc. Tara. ann. 912. Ind. Rer. Hisp.

stabiliuit, & Regiam diu potestatem, ne nimia efferretur certis finibus inclusam tenuit, donec à Philippo II. Hispaniarum Rege superioribus annis penitùs tolleretur. Cæterum ab Eneco, quæ Francicæ gentis laus est non exigua, NAVARRAE, ARNAGONIAE ET CASTELLAE Regnorum initia profecta sunt: Sic moderante Fortuna, vt à quibus libertatem Hispani, ab his & Reges acciperent. Sed iam relictis in Hispania Vasconibus, quò se deflexit, ad propria stylus referatur.

Mariana ibid. Reg. Arrag. series. Alph. à Carth. rer. Hisp. 191.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Imperium à Francis ad Germanos translatum.

SVblato è viuis Ludouico Germaniæ Rege, Conradus Franconiæ Dux, deferente vltro Othone Saxonum Rege quanquam hoste, vt qui intelligeret *maius esse Regnum fastidire, quàm accipere*, in eius locum suffectus est. At Lotharingi Carolo Simplici à Carolo Magno orto principatum tradunt. Viuebat, quippe adhuc hominum mentibus impressa tanti Principis fama: is succinctus magno exercitu eò delatus regionem omnem facilè Regno annectit. Sed diuturnum fuit Conrado, in Henricum Bauariæ Regem bellum: nec finitum ante, quam Conradus, sine liberis ex-

Carolus Simplex Rex Francorum. Paul. Æmil. Otho. Frisin. Cuon. l. 4. c. 1. Auent. l. 4.

Ann. cedens, vt erat generoso animo, ac libera-
Bo. li præditus, Henrico Aucupi Othonis filio
Till. quasi vicem beneficio patris rependens, *vt*
Chro. *Beneficiorum gratia sempiterna est*, Imperium
A. C. assignaret. Hoc primùm initio, à Francis
912. ad Germanos imperium transmissum est,
Curt. euecta ad tantæ dignitatis fastigium Sa-
A. C. xonica Domo; dum frequentibus inter se
918. turbis Franci tumultuarentur: nec per Re-
gum nostrorum segnitiem, aut stuporem,
orta inter proceres dissidia componeren-
tur. Dum enim suam quisque tueri, &
A. C. augere dignitatem omni contentione vi-
919. rium nititur, publica deperiit. Nec verò
A. C. difficile fuisset Carolo Italiam Germa-
920. niamque iterum Francico imperio subii-
cere, ni suorum perfidia, ac procerum im-
primis inuidia obstitisset. Auxit Regis con-
temptum vehemens, & nimius in Agano-
nem Laudunensem aulicum fauor: quem
obscuræ originis virum, in eam fortunam
euexerat, vt eius arbitrio, grauissima quæ-
A. C. que negotia gererentur. His initiis tacita
921. fluxit in Regem coniuratio, quæ Regem
Regnumque, aliis atque aliis subinde tem-
pestatibus iactatum breui obruit mersit-
que.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Bellum Ciuile sextum.

PAX cum Normanis quieta, & fida fuit: sed CAROLI SIMPLICIS iunctus ignauiæ stupor, spem non mediocrem Proceribus dabat, stirpis Regiæ breui immutandæ, cùm is externis magis quàm suis se crederet committeretque, Germanorum sibi maximè gentem conciliabat, vt peregrinis quoque opibus tutior esset inter ciues: nam Henrico Germaniæ Regi se suaque omnia subiicere velle, fama publica euulgauit. Adeò vniuersa Francorum nobilitas id ægrè tulit, quanquam sparsum à perduellibus: vt Robertum Eudonis fratrem Andium Ducem & Magistrum Equitum in Regem ascitum, ac Remis (quæ tum licentia rebellium fuit) publicè inauguratum, salutaret. Primum noui Principatus facinus, cum Germanorum Rege Henrico in Caroli perniciem, societas fuit. Tum expugnato facilè Lauduno, expilata etiam regia supellectile; famam liberalitatis Regiæ, apud conscios & potentiæ satellites facilè concitauit. Carolus interim delectu habito, cùm Gallicæ iuuentutis exiguas copias conflasset, exterorum frequenti concursu (tantum peregrina virtus eminebat) adiutus, obuiam hosti progreditur, Maio-

Carolus Simplex Rex Francorum. *Aim. l. 5. c. 43.* *Flodoard.* *Abbas Vrsperg.* A. C. 922.

Carolus Simplex Rex Francorum.

icſtate haud parum ſecurus. Roberto delata dignitas armis aſſerenda fuit, vt virtute adeptus regnum, non ambitu popularium ſuorum irrepſiſſe imperio diceretur. Pro SIMPLICE Flandri, Lothatingi, Germanique depugnabant: nouum Regem pars Francorum maxima ſequebatur. Hinc ardens bello Dux, & recenti dignitate erectior: inde ſegnis cum exercitu alterius imperium expectante: hæreres, ſi liberum foret, vtrum ſequerêris, retinentem Regnum, an exigentem: niſi quod *melior erat cauſa ſuum non tradentis, quàm poſcentis alienum.*

Curt. l. 7. c. 1. A. C. 923.

Nec verò forò, ſed ferro tanta inter duos lis dirimitur. In Sueſſionum finibus concurſum. Vbi initum certamen eſt, omnia in altera parte fuêre præter fortunam, virtus, Dux, milites: in altera nihil præter milites. Vtrique imperatori; ne victo inſultaret victor potentiæ ſuæ terminus fuit illa pugna: huic fato, illi captiuitate erepta eſt. Robertus dum acerrimè ante ſigna pugnat, circumuentus hoſtium multitudine occiditur. Fama eſt Regis manu interfectum fuiſſe, impacta in os lancea: quæ victoria ſtrenuum magis Ducem, quam ignauum Principem arguit. Ceciderunt ea acie vtrinque Francorum millia circiter XVIII. quantò quæſo honeſtiùs ſi pro patria, non inuidiæ, ac prauæ cupiditatis ſtimulis incitati ciues, gladiatorio pluſquam more decertaſſent? Quis iam putet, à nullo periculo Fortunam Principum longius abeſſe, quàm ab humilitate? Simplex victor, victoria vti non

Plin. Paneg.

potuit. Omni quidem genere vitæ Simplex: sed in eo potissimum, quòd Victor in morem victi se gesserit, missis ad hostes oratoribus prope supplicibus. Itaque per spem rei Francicæ componendæ, ab Heriberto Veromanduorum Comite perfidiosè comprehensus, in Castro primùm Theodorici ad Matronam fluuium, non Peronæ in custodiam traditur. Vbi Procerum voluntati, vt erat demisso animo, obtemperans, in RODVLPHVM Richardi Burgundiæ Ducis filium Regni ius imperiumque transmisit. Audito Regis infortunio Edgina Coniux, in Angliam cum Ludouico filio (hinc illi postea Transmarino cognomen) ad fratrem Adelstanum Regem se recepit. Cæterùm exacto captiuitatis VI. anno. Regni fere XXV post innumeras miserias quibus Regum infelicissimus cum Fortuna luctatus est, Carolus Simplex ex hoc mortali tandem carcere euolauit, An. Christi DCCCCXXIX.

Paul. Æmil. Till. Chor. Glaber. l.1.c.2. Lilius. Chro.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Bellum Normanicum quartum.

Sic recepto in Regem Procerum factione RODVLPHO, frequentibus inter se præliis Franci Normanique conflixere, nec priùs cessatum est, quam pacta ingenti mercede, Nannetensis ager finitimæque in Armorica regiones Normanis victoribus

Rodulphus Fr a r um A. C. 924.

Aim. traderentur. Sed cum vix dum exutâ bar-
ibid. barie à direptionibus non temperarent;
Flod. excessu VVilelmi Aquitaniæ Ducis cogno-
Chro. mento DEVOTI, incitati in spem prædæ,
Norm. eam in prouinciam populabundi inuolant.
A. C. Hos Rodulphus Rex ita feliciter incautos
927. adortus est, vt totâ Regione summoueret.
A. C. Horum imperio Curiosopitenses Armorici
930. populi ægrè subiacebant. Nouum impe-
A. C. rium, nondum belli cladibus satis domiti,
931. aspernabantur. Itaque tacitâ coniuratione
inuisæ gentis iugum excutere meditantur:
nec diu morati, dicto tempore ex compa-
cto Normanos ad vnũ trucidant. Sed breui
Armcoriorũ sanguine expiata Rebellio, ir-
A. C. ruente in Armoricos Icone Normanorum
932. Principe, & grauissimâ clade acceptam in-
A. C. iuriam compensante. Quo ferè tempore
933. tota Armoricę ora, VVilelmo Rollonis filio
Normanorum Duci à Rodulpho concessa
est, quò sibi Normanum eo beneficio de-
uinciret; eoque in coniuratos vteretur.
Nam grauissimis tum bellis ab Heriberto
Veromanduorum duce aliisque, quorum
operâ Regnum inuaserat, mutatis volunta-
Tac. tibus petebatur. Vix credas *quam sit malus*
Agr. *imperij custos metus: quam infirmum chari-*
Vit. *tatis vinculum terror: quem vbi remoueris,*
Rodul- *qui timere desierint, odisse incipient!* nam il-
phus lum timere raptorem vicissim oportebat,
Rex. qui sceptrum alienum rapuerat: quo tamen
Franco- contra inimicorum potentiam Rodulphus
rum. Normanicis opibus innixus potitus est.

CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

Bellum Ciuile VII. inter Proceres.

HEribertus Ioannis X. Summi Pont. authoritate motus, nec non Rodulpho (quem non mediocriter ad consequendum regnum adiuuerat) ob Comitatum Laudunensem filio suo Eudoni denegatum male affectus, Carolum in libertatem restituit. Hunc Rodulphus Heriberto hosti odium concitaturus, quasi eius vnius perfidiâ missus in carcerem fuisset, cum longo satellitum suorum Comitatu, vt moliri aliquid tacitè satis intelligeretur, adit apud Atiniacum in finibus Rhemorum. Sed citò ea Regum societas dissoluta: nam Carolus iterum ab Heriberto in vincula Peronæ coniectus, cùm miserabile iocantis fortunæ ludibrium diu perfidis exercitisset, fato tandem functus est, indignissimo Regia maiestate excessu. Eo sublato æmulorum odia quibus ambitio faces admouebat, in maius incendium exarserunt. Rodulphus dignitatem tueri, Heribertus augere suam cupiebat. Nec extinctæ priùs inimicitiæ, quam Heribertus factione & opibus longè inferior hoste, ad Henricum Germaniæ Regem discederet. In eius ditiones magnis instructus copiis Rodulphus cum Hugone Magno non tam alienæ potentiæ,

Aim. l. 5. Flodoard. Till. in Paribus

A.C. 928.

A. C. 929.

A. C. 930.

A. C. 931.

A. C. 932.

quam suæ occultè augendæ ac stabiliendæ cupido, irrumpit. Facilis fuit de absente victoria, nemine resistente. Multa opida partim vi, partim voluntate ciuium expugnantur. Neque hîc stetissent ciuilia dissidia, nisi Hunnis in Europam ferociter se effundentibus, ex communis, vt fere fit, periculi metu pacem hostes iniissent. Hunni ea re cognita in Italiam profecti sunt: ac breui pôst phthisi siue vt volunt pediculorum fœdissimo morbo, putrescentibus passim membris Rodulphus extinctus est. Tum Hugo in spem maximam regni occupandi adductus est. Nec ille difficulter potitus Regno foret, si tam promptus animus, quàm facultas fluctuantem hominem adiuuisset.

A. C. 934.

A. C. 935.

A. C. 936.

Recepto interim magno Francorum concursu, velut ab exilio ex Anglia LVDOVICO SIMPLICIS filio, quem à superiori in eam insulam fuga TRANSMARITIMVM appellamus, exorta Hugonis factio, Franciam ciuilibus discordiis turbasset: ni irrumpentibus iterum barbaris, compositis in tempus rebus: bellum externum concordiam apud ciues peperisset. Sed diffluentibus more suo Barbaris, magis magisque discordiæ faces accensæ sunt: quanquam rixæ intra priuatas inimicitias, & tacitas partium simultates latuerint. Quo tempore Lotharingia diuersis etiam distracta Principum affectibus ac studiis, Othonem I. Imperatorem cognomento Magnum, Ludouicumque Franciæ Regem salutauit, ea foret grauissimi belli materies, in Othonis

LVDOVICVS TRANS MAR. REX FRANCORVM

sorore Gerberga Ludouico in vxorem data, quæsita affinitas tumultus composuisset. Crescebat interim Hugonis Magni, Heriberti aliorumque in Regem factio: quóque facilius bello graui Regem obruerent, ad partes suas Normaniæ Ducem VVilelmum pertrahunt. Verum ea Rebellium in Regem societas, annitente imprimis Stephano VIII. summo Pont. dirempta est, redeuntibus ad Regem Proceribus, quos iuncta inuidiæ ambitio disiunxerat: quanquam sublato mox Heriberto obruta male Hugonis factio breui resurrexit.

A. C. 938.
A. C. 939.
A. C. 940.
A. C. 941.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Bellum Normanicum quintum.

SOllicitati iterum ab Hugone summæ authoritatis Principe Normani, comparato exercitu Rhemos, Laudunum, aliaque munitissima oppida inuadunt: sed Regis virtute defensa eò fœderatos coëgerunt, vt ab oppugnatione desisterent. Quo tempore Arnulphus Flandriæ Comes, cæso per insidias VVilelmo Normanorum Duce ad Pinciniacum in Somonæ fluuij insula, magnorum in Francia tumultuum fores aperuit: florebat tunc temporis Normanis viris, opibus, armis, classe, auro, nouisque Coloniis: nam Aigroldus Danorum Rex, Patria Regnoque pulsus à Fi-

Ludouicus Transmar. Francorum Rex
A. C. 942.
Flodoard. Gemetic. l. 3.

A. C. lio, cum LX. nauium rostratarum classe eò
943. appulerat. Ducem Richardum eximium
Paul. iuuenem salutant Rothomagenses, præsen-
Æmyl. te Rege Francorum Ludouico: qui auditâ
A. C. Ducis VVilelmi cæde, in spem maximam
944. recuperandæ prouinciæ erectus, eò profe-
A. C. ctus fuerat. Hunc clusis Rothomagensibus
945. secum abduxit Rex, captiuumque specie
honoris habuit, contumeliis & conuiciis
nonnunquam Arnulphi instinctu inces-
sens. Sed Osmundi Rectoris solertia liber,
ac Bernardi imprimis Dani singulari operâ
adiutus Richardus, Regem Hugonemque,
qui ad Normani perniciem consenserant,
frustratus est: mox commissa pugna cum
Arnulpho, partâque victoria, Herluinus
percussorem Ducis sui inter captiuos reper-
tum interficit: ac desectas Sicarij manus
caputque ad populares suos mittit, priua-
tas iniurias in communi hoste vltus percu-
pidè. Nam ab Arnulpho Monstroliensi
Hero- castro spoliatus fuerat: quod tamen VVi-
dian.l.2 lelmi operâ recuperauerat. Itaque referen-
A. C. dæ iniuriæ occasionem nactus, in odio pu-
946. blico priuatum security expleuit: quippe
Ludoui- ita fert hominum natura, *qui suis exuitur*
cus *bonis nunquam iniurarium obliuisci.* Captus
Trans- interim ab Aigroldo Ludouicus, rixam in-
mar. ter colloquium de industria cientibus Nor-
Franco- manis; mox celeri fugâ Rothomagum di-
rumRex lapsus, ab eiusdem factionis hominibus da-
tur in custodiam; dimissus datis minore fi-
lio Carolo aliisque nobilibus obsidibus, ab
Hugone totius in Regem coniurationis

Principe, tertiò custodiendus Theobaldo Carnutum Comiti committitur. *Sic Purpuræ nonnunquam illudit fortuna, quoque oppressis insultet petulantiùs, Regum sceptra, eorum plerumque manibus quorum illi fidem opemque expectassent, aut infringit, aut fœdat.* Hugo Edmundi Anglorum Regis oratione minisque permotus, tradito sibi ab Regina Gerberga Othonis imperatoris sorore Lauduno, libertatem Regiumque honorem Ludouico restituit. Ferunt eo tractu temporis Othonem imperatorem ac Ludouicum Regem, impetum in Normanos fecisse: sed male excepti; multis suorum desideratis, in suas quisque sedes se recipere coacti sunt. Redeuntibus vltro in turbas partibus. Hugone in Regem, ac Rege vicissim in Hugonem veteres inimicitias renouantibus, Francia tanquam à Barbaris fœdè vexata, Francorum manibus diripiebatur: cùm apud Matronam fluuium pax inita est ab armatis: viguitque donec post VII. circiter tranquillitatis annum; Ludouicus equo in lupum forte obuium liberius admisso deiectus & lapsu obtritus Rhemis post XVIII. imperij annum moreretur, ac biennio pòst Hugo idem Magnus è vita excederet. Aliud insuper bellum Normanos inter, & Theobaldum Carnuti Comitem cognomento Fallacem exortum est: sed victo Comite statim compressum, vexandæque in posterum Franciæ finem fecit. Pax cum Normanis à Lothario Rege inita anno Christi DCCCCLXVII.

A. C. 947.

A. C. 954.

A. C. 962.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Regiæ Carolouingorum familiæ casus.

Lotharius Francorum Rex *Guill. Gemetic l. 5. Meyer. Flodoard. Curt. l. 4.*

LOTHARII, Transmaritimi filij, initiis, post vnum alterumve Principatus annum, nihil felicius contingere poterat, quàm vt Hugonis Magni excessu è viuis stabilirentur: quippe qui si vel leuiter enixus foret aut voluisset, Dominationem tot malis dudum afflictam conuulsamque, & quasi se vltro tradentem inuadere nullo negotio potuisset: facta nimirum, à suis ipsâque occasione potestate. Sed ita affectus animo fuit, vt omnium iudicio dignus imperio habitus, *Maius esse crederet Regnum fastidire quàm accipere.* Strauit tamen posteritati viam, neque ita in lõgum tempus: siue Regni ipsius naturá hoc tulerit, siue fortunæ arbitrium, quæ diuturnam imperiorum faciem esse non sustinet: aut denique fati ipsius lex, cui placet nullius rei eodem semper loco stare fortunam. Sublato igitur è viuis Hugone per quadriennium quies fuit. Extinctis potentiæ æmulis, Lotharius interceptum à Roberto Campano Diuionem facile recipit. Nec Regni magis quàm odij in Normanum hæres; Richardum Ducem Suessione in Comitiis publicis pari quàm ille nuper parentem pœna affecisset: nisi tacitè fraudem subodoratus, à

A. C. 956. Sen. Cons. *A. C. 960.* *A. C. 961.* *A. C. 965.* *A. C. 966.*

congressu abstinuisset. Interiectis aliquot annis occupata Flandria Atrebatum, Teroannam, aliaque Morinorum oppida ditioni suæ adiecit: ducta mox in vxorem Emina Lotharij Italiæ Regis filia. Ex hac Ludouicus V. is qui breui regno potiturus est,& transeunte ad Germanos Carolo Lotharij fratre, Carolouingorum (vt vocant) in Francia Regum scenam claudet, Regias partes Hugoni Capeto Magni, filio relicturus: hoc altero Regiæ vicissitudinis exemplo apud Francos, orbi constitit, *quemadmodum vrbium imperiorumque, ita & gentium ac familiarum nunc florescere fortunam, & nunc senescere, nunc interire.* *Pater. l. 2.*

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Bellum Germanicum tertium.

Ascito in Regni consortem à Parente Lvdovico filio, Carolus Lotharij Regis frater præfracti animi vir, & vltra sortem se efferentis, quasi proiecta Francici sceptri spe, ab Othone II. imperatore in Germaniam euocatus, ac Lotharingis Dux constitutus (vt *animus prauitate vetus morbo impeditus dilectum boni non habet*) à fratre Francisque omnibus alienum animum gessit, planéque in Germanum hominem desciuit: diuisis illis gentibus quibus *Lotharius Francorum Rex. A. C. 976. P. Æmyl. Aim. l. 5.*

Till. nihil antea fuerat coniunctius. Diceres id
Vignie- egisse de industriâ Carolum, vt periret:
rus mentemque homini ademisse superâ illam
Glaber. mentem, *quæ cuiuscumque fortunam mutare*
A.C. *constituit, corrumpit.* Sic plerumque manum
977. iniicientibus fatis, hebetari sensus homi-
Vell. num, & obtundi videmus. Othonis factum
l. 2. Lothario ita displicuit, vt insequenti an-
A. C. no, Lotharingiam ingressus Cæsarem penè
978. oppresserit. Quam ignominiam vt elueret
A. C. Cæsar, delectu habito, Rhemorum, Lau-
980. dunensium, & Parisiensium agros vicissim
A. C. euastauit, auersa tamen in reditu fortunâ:
982. Rege enim insequente ac nouissimum ag-
A. C. men carpente, dum Axoniam imbribus
983. fortè auctam temerè traiiceret, partem im-
A. C. pedimentorum amisit: multique Germa-
984. norum aquis hausti sepultique sunt. Ali-
A. C. quantò post ad colloquium congressi ad
985. Charum fl. Rex & Cæsar ab armis discessere. Versa inde à Cæsare in Græcos arma: & vt anceps est vtriusque Mars, victus primùm ægrè hostium manus effugit: mox reparatis viribus tanta internecione Sarracenos qui Græcis militabant prostrauit: vt Barbarorum terror, & SANGVINARIVS diceretur. Othone decimo circiter imperij anno, vita functo: Francus repetito bello,
A. C. Virodunum eiusque oppidi ComitemGot-
986. tofredum capit. Sed supremis Rex diebus
A. C. Cæsari Comitem, Comiti opes restituit.
987. Carolus Lotharingiæ Dux, eo quo diximus modo institutus, Fratre post XXXI. imperij annum mortuo: LVDOVICOQVE

eius

eius filio cum menses ferè VI. supra annum regnasse, veneno, vt creditum est, sublato; ad Regni ius capessendum hæreditario sibi iure deuolutum reuertens, sensit quantùm sibi Imperatoris fauor, & auersus à Francis animus obfuissent. Obuium enim habuit Hugonem Capetum Magni filium cum valido exercitu. Hunc graui quidem clade afflixit primùm, erumpentibus summo impetu in Francos Lotharingis. Inde Rhemorum ciuitatem Arnulpho Antistite Caroli auunculo prodente ingressus, terrorem latè circumferebat. Hugo, cui armis noua dignitas asserenda erat; collectis ingentibus copiis in Lotharingum reuersus, feliciori exitu cũ Carolo conflixit, ad Laudunum pugna commissa est. Carolus Fortuna, viribus, Francorumque studiis inferior, victus ac proditione captus, Aureliam custodiendus mittitur. Hinc perspectum, *quantùm vitium habeant, ad res maximas odium & amor*: reiecto quippe Carolo Lotharingo, Hugoni sceptrum delatum est; *quòd hunc amarent Franci, illum odissent.* Sic altera Regiæ familiæ stirps, quæ pulsis sceptro Merouingis, regale solium conscenderat: eadem vicissim pulsa, vt *omnium rerum semper quasi naturali lege mutatio est*, meliori locum dedit. *Rebus enim cunctis inest velut orbis quidam: vt quemadmodum temporum vices, ita & mores vertuntur hominum; imò & imperiorum.*

Ludouicus 5. Francorum Rex.

Sigeb. Æmy. A. C. 988. Aim l. 5. c. 45. A. C. 989.

Spart. in Seuero.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Imperij Orientalis status.

HVic libello finem imponet, cum Carolouingorum Regum imperatorumque casu, rerum in Oriente gestarum, à Nicephori excessu ad Conradi imperatoris in occidente initia, breuissima series: Nicephoro igitur à Crunno Bulgarorum Rege trucidato, Michael Curopalates, eius gener imperium orientis occupauit. Missi ad eum ab Carolo Magno, & vicissim ab eo ad Carolum legati pacem nuper initam cum Nicephoro confirmarunt: is secundo Principatus anno, cùm imperij consortem Leonem Armenum asciuisset, naturæ concessit. Leo sacrarum hostis imaginum, septennium imperij expleuit: hunc insequutus Michaël cognomento Balbus transacto nouennio, Theophilo reliquit imperium: hic insectatus sacras imagines cum XII. annos in imperio posuisset, excessit. Michaelem filium successorem habuit: qui initio Principatus paternam impietatem damnauit, dum sapientissimorum hominum consilio regeretur. Sed vt *Principes peccare paulatim indulgentia fortunæ, & prauis magistris discunt audentque*, citò à bonis desciuit: illectoribus ad malum pessimis quibusque ex aulico famulatu assumptis, in Neronem nouum abiit: aurigandi arte antiquo non inferior; rerum sacrarum imprimis irrisor,

LVDOVICVS FRANCORVM REX.
A. C. 813.
A. C. 820.
A. C. 829.
A. C. 841.
Tac. 1. hist.
A. C. 886.

Hunc post xxv. imperij annum Basilius Macedonicus, quem is in familiam suam A. C. 911. asciuerat, interfecit, & Rempublicam Christianã cognationi ac beneficio præferens, hoste immanissimo liberauit. Basilius anno imperij xix. fato functus est, relicto hærede, vt imperij, sic & Pietatis Leone filio, quem sapientem appellabant: erat enim Iustiniani per omnia æmulator: sed in eo culpandus quòd ea plerumque in sacris præsumeret, quæ S. Pontificum sunt, xxvi. ferè annos purpuram tenuit. Huius frater Alexander statim intra annum extinctus est. Tum Leonis filius Constantinus adhuc puer; hinc Porphyrogenitus dictus, imperium adeptus est. Romano Patricio com- A. C. 960. ponendis seditionibus idoneo viro in collegam imperij assumpto. Veneno sublatus A. C. 962. est propinante Romano filio, quòd diuturniori imperio frueretur. Nam xlix. nouem A. C. 969. annos imperauit. Romanus post alterum ferè annum, eodem quo nuper modo Patrem peremerat, interemptus est. Inde Nicephorus, Phocas victoriis de Sarracenis aliisque Barbaris clarus, imperium inuasit; occisus per seditionem Constantinopolitanam vii. imperij anno: hunc excepit Ioannes Zemisces Pius imperator, & ipse A. C. 975. Triumphis Barbarorum insignis, vt princi patus anno ingenti Orientalis reip. damno A. C. 1026. Veneno extinctus est. Tum Basilius & Constantinus fratres Romani filij, quinquagesimum Dominationis annum expleuerunt, ad annum Christi M. XXVI.

Anacephalæosis.

HActenus Regias Francorum familias duas, duobus itidem libellis distinximus: transactis ab imperij exordio DLXX. qui plurimum minimumque numerant, ad HVGONEM CAPETVM tertiæ stirpis authorem, annis: vt medium propè suscepti operis stadium emensi videantur: Nunc cum tertia Capetiorum familia, ad annos vsque: DCLX. & amplius perseueret; tantò prioribus maior, quantò annis diuturnior, & rerum gestarum magnitudine augustior: visum nobis operæ pretium, vt iusta libellorum forma sibi aptè conueniat quæ supersunt bella, in duas partes distribuere: quarum prior ab HVGONE ad CAROLVM VIII. posterior ab hoc, ad LVDOVICI IVSTI XIII. feliciter imperantis annum XXII. Christi M. DC. XXXIII. Mundi MMMMMDCXXXII. pertinget.

Seruetur ad imum qualis ab incepto processerit & sibi constet. Hor. ars.

Finis Libri secundi, Flori Francici.



FLORI FRANCICI
LIBER TERTIVS.

CAPVT PRIMVM.

Hugo Capetus Rex eligitur.

FLORENTISSIMVM olim sub Pipino & Carolo Magno Francorum imperium, tantùm ab illo splendore ac maiestate recesserat, quantùm ab tantis Principibus degeneres posteri desciuerant. Hinc illis vsu-venit, quod Merouingis obtigerat: vt eodem solio ac sceptro tum pellerentur; cùm à maiorum virtutibus deflexerunt. Nam vt *imperium facile iis artibus retinetur, quibus initio partum est: sic fortuna simul cum moribus facilè immutatur.* Eadem Reipublicæ mutatio quæ priùs, ex

HVGO CAPETVS FRANCORVM REX.

Sall. Catil.

nimia scilicet Procerum potentia: quæ florentissimis imperiis exitium semper attulit. Ereptum nuper Francis imperium, & ad Germanos translatum, auulsi subinde principatus, concessæ Barbaris Regiones, oppigneratæ prouinciæ, euecti iuxta Principis nomen Proceres, maiestatem tanti imperij, Regum ignauiâ pridem debilitatam penitus eneruarunt: postremò vis principatus aut resoluta, aut conuulsa, coniectis in carcerem Regibus: aliis vi tempestatis aliò eiectis, nonnullis cum sua tum subditorum pertinacia spoliatis vt in tanto rerum æstu, rectore opus esse omnino videretur: qui exerto turbatis vndis vertice, tumida æquora componeret, fractum & conuulsum tot procellis continuis nauigium subduceret in littus, ne periret: ac seruatis saltem naufragij secundi tabulis, laceratum penitus & quassatum industriâ sua resarciret. Decorum erat, vt probitate emineret, qui dignitate: nec tam susciperet imperium, quam seruaret. Itaque Procerum consensu omnium, publicæ salutis gubernaculis admouetur HVGO CAPETVS: excusso inde Carolo Ludouici Transmarini filio, vnde illum sua non tam proteruitas, & Francorum odium, quam sæuientis fortunæ iniquitas deiecerat. Nec verò difficile ad Regnum capessendum fuit Hugoni iter: in quem scilicet mirus populi fauor: relictis ad hæc dimissis Proceribus Regni Magistratibus, Præfecturis, aliisque id genus publicis muneribus, tanquam illa iure ha-

Hugo Capetus Francorum Rex

hereditario adiissent: vno duntaxat Regij (vt vocant) feudi seu clientelæ nomine obligatis. Sic Dominationis participes, alienæ fortunæ non inuidebant. Rebus ita constitutis: recepto gentium, quæ vnius arbitrio reguntur, more ac vsu, reddita nouo Principi acceptaque obsequia: & quia *nulla res vehementiùs Rempubl. continet, quam fides*; dictum ab omnibus sacramentum, iniectumque vinculum per quod respublica arctè cohæreret: *infusus populorum mentibus ille spiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt.* Omnium igitur plausu ac consensu Hvgo dignus imperio habitus, Rex Salutatus inunctusque est Rhemis, more ac ritu à maioribus tradito: nec mora stabiliendæ dominationis causa, Filius Robertus consors Regiæ potestatis, sacro oleo primùm delibutus assumitur. Anno Christi DCCCCLXXXIIX.

Cic. 2. off.

Sen. de Clem.

A. C. 988.

Glaber. Vignier.

CAPVT SECVNDVM.

Bellum Flandricum primum.

Hvgo Capetus quòd æqualibus suis aulicis adhuc iuuenis Caputia capitum tegmina, per iocum deiiceret, vel à capite paulò crassiore ita dictus: compresso, vt prædiximus, Carolo Regni æmulo, omnium assensu ordinum Franciæ Rex salutatus, (vt *est Regum omnium ingenium*

Hugo Capetus Francorum Rex.

Æmy. Gillius. suspicax, & iniuriæ haud patiens) grauiter & iniquo animo tulit Flandriæ Comitem

A. C. 990. Arnulphum, publicis inaugurationis suæ Comitiis, non interfuisse. Itaque bellum ingenti rerum apparatu meditatur. Iamque oppidis aliquot Flandricæ ditionis expugnatis, totoque breui Atrebatum Comitatu Rebellem multauerat (cum ille in has an-

Haillan. gustias redactus, rerum suarum Patronum ac defensorem præter omnem spem habuit Richardum Normaniæ Ducem (cuius Patrem per Sicarios, vt nonnullorum opinio est, trucidauerat) authoritate gratiâque apud Regem præualentem, quippe verebatur Normanus, ne si Rex illustres opibus familias sensim euerteret, eadem in se aliquãdo fortuna rueret. Itaque Regem permonuit, ne quietum vltra malum excitaret temerè, ac initio florentem principatum Procerum odiis, simultatibusque obnoxium concuteret: optimum Regi nouo & Regno recens comparato consilium illud, & ex

Suet. in Iul. c. 75. Cæsaris quondam vsu, *eos pro amicis habendos, qui non ex professo essent hostes.* Pax igitur,

A. C. 996. & oppida Comiti reddita, cùm se Roberto filio; quem initio principatus Regni con-

Robertus Francorum Rex. sortem assumpserat Rex, nouo ac solenni sacramento obstrinxisset. Sed ab Henrico Cæsare, sublato post octauum Regni annum è viuis Hugone, longe grauius in Flandria bellum motum est. Balduinus cogno-

A. C. 1005. mento Barbatus, Valentianas occupauerat: oppidum Cæsar obsidet, sed audito Francorum aduentu soluit obsidionem: & tenta-

to frustra Gandauo; incendio ruinisque cuncta passim miscet, fœdatque. Verùm tam atrox orta est his ferè temporibus in Gallia Germaniâque pestilentia, vt eorum manibus sponte tela caderent, quos ea lues inuaserat. Nec id solum mali passim grassatum, sed & valida fames vtramque gentem afflixit: superis ita generi mortalium maius nostris bellum inferentibus. Pace mox terris veniaque à numine reddita, Henricus Cæsar Robertusque Rex ad colloquium congressi, pro Flandro à quo iure ac conditionibus conuenerunt.

Sigib. p. Æmyl. Till. A. C. 1006. Glaber. l. 3. c. 2.

CAPVT TERTIVM.

Bellum Normano-Italicum, siue Normanorum res gestæ in Italia.

Rerum à Normanis in Italia gestarum, vt initium incredibile, progressus aut mirabilis, stupendus exitus & gloriosus, ita posteritati inuideri non adeò debet, vt Francorum bellis non immisceatur, quorum illi gente, nomine, legibus, imperioque continentur. Quis credat paucissimos viros (XL. duntaxat extitisse tradunt) atque eos inermes & exules primò, cum immani Barbarorum multitudine: inde aucto sensim numero cum Orientis Occidentisque imperatoribus, cum summis nonnunquam Pontificibus, ita contendisse, vt armis superiores diu euaderent: Regna & Principa-

Robertus Francorum Rex A. C. 1002. Leo Ostien. l. 2. c. 38. Glaber l. 2. c. 5. Baron. ann.

Morin. part 3. c. 27. tus instituerent, donec post cc. annos à primo in Italiam appulsu, liberata Barbarorum iugo Italia, præter fas, præter ius, ac pactum, immanissimè à Christianis imperatoribus haberentur: ac tandem viri virtute præcipui, Pietate insignes, Religione singulares, omni suppliciorum genere excarnificati trucidarentur. Causa belli, ipsa iustitia est: victoriæ præmium, Italiæ, Græciæque pars maxima, Sicilia integra: spatium temporis, si ex rerum magnitudine metiamur, breuissimum. Prima probandæ virtutis Normanicæ occasio à Salerno, quo Hierosolymis redeuntes peregrino habitu applicuerunt, orta. *Robertus Francorum Rex* Hoc oppido à Barbaris feliciter liberato obsidione, accensis diuino quodam spiritu animis acceptisque à Guaimario oppidi Principe armis equisque; tantâ vi, tantoque impetu in Saracenos irruunt, vt plurimis peremptis, reliquis in fugam versis, admirabili victoriâ potirentur. Hoc initio, adeò creuit huius gentis fama, vt à Guaimario missis ad Richardum Normaniæ Ducem legatis, insignis eiusdem gentis Colonia euocaretur. Giselbertus Bateryus omnium facile tunc Princeps erat: hoc Duce Normani cum Ita- *Leo. Ost. l. 2. c. 31. Glab. l. 3. c. 1. A. C. 3018.* licis aliquot cohortibus, fretos immanibus copiis Græcos, qui Calabriam omnem Apuliamque S. Pontificibus ereptam inuaserant, tribus ingentibus præliis acie vincunt, mox fraude intercepti apud Cannas ignobilem Apuliæ vicum, amissis ferè ccl. popularibus, Duce tamen superstite delentur;

vt qui vicus Romanorum clade nobilis quondam exstiterat, Normanorum strage pariter illustris foret. Missis interim à Græcorum imperatore Basilio ad suos ingentibus copiis; cùm iis debellandis ob superiorem cladem Normani impares viderentur: imploratis ab Henrico imperatore Occidentis auxiliis, iterum Græci profligantur. A. C. 1022. Interiectis deinde aliquot annis, Roberto Normaniæ Duce Nicææ Bithyniæ viuis A. C. 1035. erepto; Guillelmi Nothi odio partim, partim virtutis ac famæ studio incitati, secundò in Italiam proficiscuntur: quorum præclaris gestis Sicilia, Apulia, Calabriaque cruentis bellis ab Italis, Germanis, Græcis & Sarracenis iactatæ diu, Normanicum imperium diuersis temporibus subierunt, profligatis iterum ac tertiò Græcis Barbarisque, frustra summissis Constantinopoli auxiliis; ac Maniaco imprimis ob illatam Ardaino cuidam Longobardo iniuriam pulso; capta firmataque præsidiis Melphi. Vexati inde à S. Pontificibus Normani Leone IX. & Stephano X. qui Henrici II. imperatoris freti opibus in Normanos progressi sunt. Stephanus victus acie, obsessus, captus; tantâ humanitate habitus à victoribus, vt non in hostium Victorumque manus, sed in charissimorum filiorum suaues amplexus venisse se dictitaret. Robertus cui à calliditate Guischardo cognomen fuit, in Humfredi fratris locum A. C. 1057. suffectus, pulsis Barbaris Nicolao II. summo A. C. Pont. cum Richardo fratre se suaque omnia 1059.

Meyer. Chro. Norm.

Robertus Francorum Rex.

vltro summisit: mox tertio profligatis hostibus Gregorio VII. vt eò de vita ac fortunis omnibus dimicare fortissimam gentem diceres, quò Christianæ pietatis ac imprimis S. Pontificum opes augerentur. Inde Robertus in Græcorum imperatorem Alexium mouit: ac XV. duntaxat arma-
A. C. torum millibus succinctus, hostem LXX.
1076. expeditis millibus instructum adortus profligauit. Tum Venetos auxiliares Duce Syluio apud Dyrrachium, ipso imperatore amissis ac proiectis rebus in Peloponnesum vix profugiente. Relicto in Græcia Boë-
A. C. mundo filio, Summum Pontificem Grego-
1081. rium ab imperatore Henrico III. obsessum,
A. C. in Italiam reuersus liberat. Tantæ felicita-
1084. ti fata inuidêre: post tertiũ nempe annum, vt vitæ, sic & victoriis finem imposuit. Huius Ducis casu Normanica virtus corruisse visa est: quippe sensim elanguit ac consenuit inuictæ diu gentis generositas. Nam cæteri qui tantum Ducem insequuti sunt, quanquam multis illi rebus feliciter gestis Neapolitanum Siculumque Regna, Normanicæ virtuti à S. Pont. assignata, aut à Barbaris strenuè vendicauerint, aut pace composita feliciter tenuerint aliquandiu; remisit tamen illa virtus, & paulatim imminuta deperiit, donec post ducentos ferè dominationis annos ab Henrico VI. imperatore, inuictæ gentis nomen, maiori perfidia quàm virtute, penitus in Italia extingueretur, effossis crudeliter Guillelmo vltimo Regi oculis, exectisque nefas! pudendis, ne

qua vnquam soboles tantas iniurias repo- *A. C.*
neret. Miraberis vno impetu tam sublimem *1195.*
Normanorum in Italia fortunam corruisse? *Sen.*
adeò virtus animosa cadit: imperiumque ha- *Herc.*
bentibus nihil medium inter præcipitia, aut *Fur.*
summa. *Tac. 2.*
hist.

CAPVT QVARTVM.

Bellum Burgundicum secundum.

ROBERTVS Hugoni patri successit, *Robertus*
maturus ætate, etiam spectatus bello. *Francorum Rex.*
Nullum initio Principatus bellum fuit: sed
mox tumultus causa, exorto difficili bello *Glab. l.*
Regem implicuit. Obierat sine liberis Hen- *2. c. 8. &*
ricus Burgundiæ Dux Roberti patruus; quem *l. 3. c. 2.*
ferunt Guillelmum quendam Alberti Lon- *Paul.*
gobardorum Ducis filium, vxoris ambitu & *Æmil.*
senili adoptione Ducem testamento insti- *A. C.*
tuisse. Huius partes Landricus Niuernensis *1003.*
Comes tueri primum visus est: mox Ducatum vi occupauit, ac Ducem se Burgundiæ appellare, reluctante Roberto Rege ausus est; & in gente velut iure adeptâ ius ac leges componere. In eo bello virtus fidesque Normanorum præclarè enituit. Illi cum suo Duce Richardo III. se Francorum imperio ac causæ penitissimè adiunxerunt.
Landricus tantis opibus ac copiis à Rege in *Supplem.*
se cõparatis perculsus, Altissiodori se mœ- *Aim.*
nibus inclusit. Ciues obsessi, ne extrema
omnia bello paterentur, Vrbem suam Lan- *l. 5. c. 45.*

dricumque Regi dedidêre. Auallonis arx pertinacior fuit, quippe quæ natura loci & hominum arte munitissima erat: sed proruente nullius impulsu, quasi diuinitus murorum parte maxima, non sine ingenti fragore, trium mensium obsidione toleratâ, in Francorum potestatem deditione venit. Itaque vniuerso Burgundiæ Ducatu facile potitus Rex, expulso Landrico Robertum filium Genti præfecit. Opprimebantur eodem ferè tempore Reginaldi Comitis tyrannide Senones: præcipuus in res sacras Comitis furor. Robertus Leoterici Antistitis precibus, sed multo magis indigna Reginaldi vexatione ac singulari audacia cõmotus, eò pergit cum aliquot expeditis cohortibus. Huic cum copiis aduenienti vrbis portæ patuêre. Comes territus sibi ab Ciuium in quos sæuierat odio, & digno sceleribus ac contumacia supplicio, fuga opportunè consuluit. Fruitmundus frater præcluso exitu Turrim cum aliquot armatis occupat. Iamque vi expugnari poterat: cum sine periculo Regij exercitus, fame vinci propugnaculum sanctius visum est: quippe nullus commeatus aduersus moras belli importatus audiebatur. Itaque breui Regiæ voluntati se permisit: missus Aureliam captiuus, nec priùs vinculis quam vita exutus est. Rebus ita compositis, ac singulari Roberti Regis prudentia, lenique imprimis moderatione florentibus; domesticis turbis ab Hugone primùm filio, quem Rex veteri iam exemplo consortem Regni assum-

Robertus Francorum Rex

A. C. 1017.

A. C. 1025.

A. C. 1030.

pserat, vexatus est: mox eodem diu quieto, sed tandem magno Parentis dolore, Francorumque omniũ desiderio, è viuis erepto: ab Henrico & Roberto, quos seuerius quàm par erat Constantia Mater habuerat, iterum turbatur. Sed ij mox in gratiam Parentis optimi reuersi sunt. Diu quieta Roberti Senectus his duobus præsidiis (nam *munimenta aulæ Regij sunt liberi*:) insistere poterat: sed breui extincta est, post annos Regni, ab Hugonis Patris excessu, ferè XXXV. Poëtices imprimis, sed sacræ illius, non animorum titillatricis studiosus fuit Robertus Rex: priscæ etiam sanctitatis æmulator. Huius obitum multa cœlo terraque signa præcesserunt: nam stella crinita fulsit: exortæ atrocissimæ tempestates: largissimi imbres, inflati & ripas prætergressi amnes, latè effusi agros operuerunt: tot mala, subsecuta maiora sunt, fames pestilentiaque.

Eurip.

Sigeb.
Glaber.

CAPVT QVINTVM.

Bellum Campanum.

HENRICVS PRIMVS Roberti filius, vt scribunt nonnulli, natu minor, nuncupatus à Patre hæres, viuoque adhuc, in Regem inauguratus, bello domestico fraternoque vexatus fuisset: nisi apud fratrem Robertum plus valuisset optimi Patris voluntas, quàm vel Constantiæ Matris, quæ Henricum Regno exturbare moliebatur

HENRICVS I. FRANCORVM REX.

Henricus I. Francorum Rex ambitus, vel Odonis II Campani Comitis, Balduini Flandriæ, aliorumque praua cupiditas, & Reipub. turbandæ consilia. Quippe si is de cuius regno tantis viribus certabatur, impigrum se causæ suæ Ducem præbuisset, non æque facilem exitum habuisset. Sed Francorum sanguine Patriæque damno, optimus Princeps & quietis amans, emercari dominationem noluit; nobilissimo opulentissimoque Burgundiæ Ducatu contentus feliciter consenuit: *Tantò moderatius tum fratres inter se Regna maxima diuidebant, quàm nunc exigua patrimonia partiuntur.* Odo cedente Roberto, Constantiâ, Balduinoque; cæterisque Proceribus antea diuersarum partium in mutuum amplexum ruentibus, vt qui turbatis in rebus expiscari aliquid voluerat, nec ipse cessit: Senonum vrbe occupatâ, victâ causâ communi, suam cupiditatem armis defensurus. Iamque latiùs ferox grassabatur, cùm tantam Henricus audaciam adeò non tulit, vt vindicauerit. Tandiu Odonem insecutus, donec ad officium, obsequiumque rediisset. At ferox animus bellique appetens, arma aliò vertit: à Conrado II. imperatore compositis Pannoniæ rebus, quibus impeditum iri diutiùs crediderat, in Lotharingiam mouet. Populatus Leucorum fines, in quibus eminet Tullus vrbs antiqua & clara ad Mosellam amnem, frustra tentata, capto que vi Barroduco munitione validâ oppido, præsidium firmum collocat. Gotthello Lotharingiæ Dux, collecto quantâ

Glab. l. 3. c. 9. Paul. Æmyl. Gaguin. Till. Iust. l. 2.

Auentinus. A. C. 1034.

potuit celeritate exercitu, Odoni occurrit: acriter vtrinque pugnatum est, æquatâ prope cæde. Campani tamen cæso Duce profligati sunt: hic Rebellis in Regem exitus: relictis eiusdem animi ac affectus in Francum liberis Theobaldo Carnutum & Turonum, Stephano Tricassium Comitibus: quorum alter ferocior, ereptâ sibi Turonum Ciuitate per Martellum Fulconis Andium Comitis filium, Henrici imperatoris partes secutus Regem vehementer accendit: alter acie fusus victoris fidem & clementiam facta vltro sui deditione expertus, pace veniaque impetrata suas opes seruauit. Cæterum Odonis caput desectum, Rogerius Catalaunensium Episcopus, permittente hoste domum deferri curauit. Hoc confecto bello, quasi cum eo bellorum omnium incendium extinctum foret: Franciam in summa pace, atque otio continuit Henricus, primus: *sine cupiditate sine impotentia quietus secretusque: nec prouocauit bella nec timuit*, quod mehercule longè beatius puto, quàm suas alienasque fortunas spe metuque versare: quis enim credat Henricum, bellum vt iniustè, sic improsperè in Guilielmum Roberti filium nothum mouisse: quem à popularium suorum iniuria cæsis ac profligatis rebellibus defendit insigniter? Henricus paucis ante obitum diebus, Philippum filium nondum pueritiæ annos egressum, Regem à proceribus salutari voluit, assignato Rectore iuueni Flandriæ Comite Balduino viro integerrimo, fidei ac

Glaber. l. c. 9.
A. C. 1037.
A. C. 1041.
Henricus I. Francorum Rex
Tac. de Mor. Ge.
Plin. Paneg.
Gaguin. 7 ill. Chro.
A. C. 1060.

prudentiæ perſpectiſsimæ : cuius liberis à Patruo Friſiæ Comite oppreſſis, haud parem operam reddidit: ab Comite primùm
A. C. victus, mox ſpreta pupillorum cura eidem
1070. conciliatus. Nec longè ab his temporibus remotum Berengarianæ Hæreſeos initium, Vercellenſi, Turonenſi ac Romano Conciliis damnatum, ſuperiori ſæculo erutum è latebris, & latiùs per Caluinum Nouiodunenſem propagatum. Hoc Rege Burgundiam diuiſam ferunt, cũ cxxx. annos Francis Regibus paruiſſet. Huius Pars ad Conradum imperatorem defecit COMITATVM LIBERVM vocant: pars in Regum Clientela, ad hæc vſque tempora perſeuerauit. Iuranam nihil hìc moror ab Iura monte ſic dictam, Claudianum vocant: cuius præcipuæ partes Sabaudia; Delphinatus, & Prouincia extitere. Annis ferè xxx. Regnauit Henricus.

CAPVT SEXTVM

Bellum Normannorum in Anglos.

Philippus I. Francorum Rex. A. C. 1064.

BRitanniam nobiliſſimam Oceani inſulam, nonnulli Egbertum primum Gentis Regem appellaſſe ferunt Angliam, ab Anglis Saxonibus, quorum rex erat, anno Salutis DCCCXXXVII. allj ab Engiſto quodam Saxonũ Duce primo, quaſi Engiſti terram propiori Anglicæ dictionis etymo dictam Angliam ENGLOND exiſtimant. Huius Regem Eduardum cognomento Sanctum,

sed exulem humanissimè exceperat Guillelmus Nothus Normaniæ Dux: cuius insigni opera adiutus ac in Regnum postliminiò reuersus, memor beneficiorum, hospitem suum Regni hæredem nuncupauit. Haraldus Godouini Comitis filius Canuti secundi Anglorum Regis ex sorore nepos, D. Eduardo cœlibe defuncto, à popularibus pro Rege habitus, fauore vulgi & nobilitatis studiis ingens; imperabat, Regemque Danum classe in Angliam delatum memorabili prælio fuderat. Ea res, vt omnibus grata, sic animos feroci addidit: quos Normanus breui compescuit, quóque hostem vehementius in se accenderet Haraldus, priuatas iniurias & Normanicæ familiæ contumelias intulit. Nam & Normaniæ Ducis filiam Coniugem rupto fœdere, insigni contumelia affectam repudiauerat. Guillelmus cùm Regni cupiditate, tum vindicandæ iniuriæ studio vehementer inflammatus, transmisit in Angliam, cum eximio flore Normanicæ iuuentutis; Philippi Francorum Regis & Henrici IV. Imperatoris auxiliis fretus, ad hæc Alexandri II. Summi Pontificis authoritate innixus: ac demissis in littus iuxta Hastingium portum copiis; incensa in omnium oculis classe, sublata eo facto reditus ac fugæ spe omni, vt omnes scirent, aut vincendum sibi, aut moriendum esse, fortiter pugnandi necessitatem suis imposuit. Fertur Guillelmus Magni instar Alexandri, cum is Persidem ingrederetur. Milites suos à populatione prohibuisse,

Lil. Chro. Hist. Flor. Polyd. Virg. Paul. Æmyl.

Philippus I. Curt. l. 2. c. 3. Iust. l. XI Polyd. Virg.

parcendum rebus suis præfatus, nec perdenda ea, quæ possessuri venissent. Haraldus intestinis suorum discordiis exhaustus quidem, sed Noruegiensi fraternaque victoria elatior, Guillelmo Regnum iure sibi debitum reposcenti ferociter respondit, se iam imperio assuetum, quæcumque demum sors futura esset, sine Regno nec victurum, nec moriturum: proinde maturaret ferro rem decernere, eam demũ futuram vtriusque fortunam, quàm virtus & belli alea fecerint. Igitur Maximo vtrinque ardore ac ferocia geri cœpta res, cùm vtrique imperatori sua causa virtute tegenda & tuenda esset, neutro nisi morte de suo iure ac Regno decessuro. Accisæ Anglorum vires superiori cum Danis & Noruegis conflictu: recens & integer Normanus erat. Angli insuper Haraldo infensi ob stipendium non satis ex fide persolutum, haud ita bello pertinaces extitere. Illi pugnam cum Normano ægrè iniissent: ni Haraldus non suam vnius, sed communem gentis causam, ac periculum agi suasisset. Itaque collatis signis commisso prælio, cùm sagitta ictus Haraldus cecidisset, causa defuncti victa extinctaque, eo vsque sæuientibus Normanis, donec deessent qui occiderentur: desiderata Anglorum XL. Millia, Normanorum fere VI. vbi Haraldi clades percrebuit, manus Guillelmo datæ, finis cruoris factus, Rex ab omnibus salutatus agnitusque, insigne CONQVÆSTORIS agnomen obtinuit, Profligatis post biennium Dacis, qui

Paul. Æmyl. A. C 1069.

ad Regnum inuadendum appulerant & frequenti Anglorum Procerum Rebellione suppressa, Regio tumens nomine, totque secundis rebus ferox, sed Philippi Francorum Regis (qui, cum Guillelmus æger Rothomagi decumberet, eum quod prominenti atque obeso ventre esset, ad puerperium decumbere iocatus fuerat) contumelia accensus, Francis bellum erat illaturus, nî eum sua dies senectusque, ruptis ferocientis equi saltu intestinis, Cadomi in Normania abstulisset, occupati Regni anno fere XXI. Ferunt Guillelmum acie victum prostratumque à Roberto filio quem Normaniæ præfecerat, ac repente agnitum memorabili paternæ humanitatis in Rebellem exemplo, exoratum ita victorem filium recepisse in gratiam, vt victus Pater de filij Gloria ac victoria triumpharet. Dignum etiam memoria illud, quod Guillelmi exequiis contigisse ferunt, celebratur: cuius cùm magnifico & Regno (vt par erat) apparatu curaretur funus: ecce insperatò adest qui efferri cadauer & mandari in suo Regem, Dei hominumque fidem ciens, clara voce vetaret: fundú sibi vi ereptum olim à Rege, ac proinde ROLLONEM (is æqui quondam obseruantissimus apud Normanos extiterat) appellare. Stupente ad rei insolitæ spectaculum cœtu omni. Henricus Filius, mox Angliæ Rex, huius nominis III. numerata illico quæ petebatur summa, redemit iniuriam, & deinceps Parenti iusta pius ac liberalis filius, rato Principibus vi-

Polyd. Virg.

Philippus I. Francorum Rex.

Polyd. Virg. l. 9. Ann. Norm. L. lius Chro. A. C. 1087.

ris exemplo persoluit. Quis hic non mirabitur: ei propè ad sepulturam terræ defuisse angulum, cui Anglia cesserat ad Triumphum? Tot Prouinciarum Principem in alieno & empto conditum iacuisse?

CAPVT SEPTIMVM.

Bellum Sarracenicum sextum Hispanicum.

Mariana. l. 10. c. 1. de reb. Hisp. hist. Flor. Roder. Tolet. Roder. Xim. l. 6. c. 2. A. C. 1091.

PHilippi I. Francorum Regis temporibus, anno circiter Sal. Rep. MXC. Orientis & Occidentis Regna, atrocissimis bellorum procellis iactata sunt: vtrobique Francorum inuicta virtus coercendis Barbarorum incursionibus: tuendaque religione, suo pridem iure enituit. Hispania potissimum à Mauris & Sarracenis innato penitus ac domestico iam malo pressa, nostratum ope indiguit. Dixisses ea esse huius gentis fata, vt libera esse ac Christiana non posset, nisi alieno præsidio niteretur, nullà ætas, nullum exiit sæculum; quo non eximia Francorum virtus pro eâ gente in Mauros hostes eluxerit. Sarracenico igitur iugo non tam libera, quàm recreata per Carolum Magnum Hispania; ac centum deinde annorum decursu vix exacto, iterum (vt prædiximus) liberata, auctam his temporibus summum in modum hostium perfidiam, ac latè diffusam potentiam per CCLX. ferè annos ægrè tulit. Tenui freto columnis Herculeis insigni (Gaditanum

Philippus I Francorum Rex.

vocant) ab Africâ, vnde tot Almorauidum, hoc est Barbarorum, agmina se identidem infundebant, auulsa, resilire ab infami seruitute propriis viribus non poterat: externis erat opus, Concussa ac debilitata iam secundò per Francos Maurorum perfidia fuerat: nec nisi ab eâ gente Barbaris fatali, frangi ac deleri hostes fata decreuerant. Erat tunc temporis Castellæ Rex Alphonsus VI. Hic ductâ in vxorem Benabethi Hispalensis Reguli Sarraceni filia Zaida, cùm eam Christianorum sacris imbuisset, quidquid perfidæ gentis pro dote vxoris Alphonso accesserat, religionis odio subesse Christiano Principi detrectauit. Visa hæc rebellio Benabetho ipsi armis coercenda: ac Generi sui partes in populares suos, sed rebelles, amplexus: euocatis etiam ab Africa auxiliaribus copiis: ac Miramamolini Iuzephi Tephini iussu, Halyo Abenaxa cum immani Barbarorum multitudine festinante, bellum sanè grauissimum Genero ac Christianis, præter opinionem Sarracenus exciuit. Quippe Halyus magni nominis Dux, virtute factisque clarissimus, tamque consiliis callidus, quàm perficiendis conatibus felix, ex partium discordia, in spem Hispanicæ dominationis erectus maximam, ac Christianorum odio incitatus, imperium inuadere statuit. Versis igitur in vtrosque armis, bina clade Mauros primùm, dissidio repente nulla magna de causa exorto, afflixit prostrauitque, inde Christianos communes Mauricę gentis ho-

ſtes profligauit, Benabetho ac Santio Alphonſi filio, cum maxima Hiſpanicæ nobilitatis parte trucidatis. His actis tam feliciter Halyus, vt qui ſuo quàm alieno nomine imperare mallet, Hiſpaniæ ſe Miramamolinum (quod erat inter Mauros Regiæ Maieſtatis inſigne) creat: accedentibus ad partes, quotquot antea Alphonſo adhæſerant. Ea res (vt ferunt) Iuzephum adeò accendit, vt tranſmiſſo in Hiſpaniam numeroſiſſimo exercitu, captum Halyum capitali ſententia affecerit. Tum Chriſtianos atrocioribus quàm antea bellis aggreſſus eſt. Alphonſumque cum ingentibus copiis tertiò profligatum dimiſit. Redactus in eas rerum anguſtias Alphonſus, miſſis in Franciam ad Philippum Regem legatis, inuictæ gentis virtutem expertus eſt, ſuo & Chriſtianæ religionis commodo. Quippe viſum è Republica Chriſtiana Francis, cùm ſuis viribus, ac potentia Orientis res gererentur proſperrimè, ne Chriſtiana etiam pietas in Hiſpania, quæ prona iam ad occaſum eſſe videbatur, periclitaretur. Igitur frequenti Francorum concurſu contra Barbaros itum eſt. Nondum enim mutuo in ſe odio æmulæ gentes ita exarſerant, vt iurgia & diſſidia, ſi quæ orirentur, religionis & Chriſti amor non extingueret. Francorum Principes memorantur Raymundus Burgundionis Comitis frater Germanus; Henricus, quem hactenus Veſontinum dixerunt hiſtorici, cæterum Roberti Burgundiæ Ducis ac Henrici I. Franciæ Regis

Philippus I. Francorum Rex

Roderic. Ximen. l. 6. c. 2.

Regis fratris nepos, Lusitanæ gentis & Regni conditor: Raymundus Tholosæ Comes: longa deinde nobilium manus. Tantus Maurorum animis iniectus est terror ac stupor, vt Francorum aduentu audito, quasi repentino ictu fulminis consternati, de fugâ magis capessendâ, quàm de ineundo prælio cogitarent. Dimicatum tamen est; inter pugnæ ac fugæ consilium deprehensi hostes, magnâ internecione profligantur. Sic debilitato Maurorum in Hispaniâ imperio, non fractæ tantum bellis superioribus Christianorum vires restaurantur; sed insuper Alphonsus Rex, Regno, ditionibus, ac securitati in posterum restituitur. Nouis cognationibus Francorum Principum, quæsita amicitia est ab Hispano: qui tum demum securum se fore à Barbaris reputabat, si eâ gente, quæ Mauros solo nominis terrore euertere consueuerat, Hispanicæ res initerentur. Igitur Raymundo Tholosano Eluira: Burgundo Vrraca: Henrico Therasia, tres regio cultu Alphonsi filiæ matrimonio iunctæ: cæteri Barbarorum spoliis dites in Franciam reuersi sunt. Hoc tertiùm beneficio Hispaniam sibi (nisi ingrata esse velit) Francia deuinxit.

CAPVT OCTAVVM.

Bellum sacrum primum.

Philippus I. Francorum Rex. Polyd. Virg. Guilel. Tyr. l. 1. A. C. 1095. Guibert. Paul. Æmil. Papy. Mass.

FRancorum Anglorumque ortas pro finibus imperij contentiones, vna Religionis & communis eorum causa, qui Christiano nomine continentur, facile obruit. Bellum Sacrum maximè memorabile omnium quæ in Religionis hostes gesta sunt: priscorum temporum memoriam, gloria rerumque magnitudine transcendens: diuiso duas in partes mortalium genere, hinc pietas, inde singularis impietas depugnabat. Quis credat tenuissimæ fortunæ hominem Petrum Ambianensem Heremitam tantæ in Barbaros expeditioni dedisse occasionem? Belli scopus Hierosolymorum Ciuitas, vrbs antiquâ nobilitate celebris, & CHRISTI DEI natalibus, vita, mortéque sanctissima, sed tunc prò dolor! vt & nostris temporibus, iugo improbæ seruitutis addicta. Per tot vrbes, nationes, gentes, prouincias ac populos, Christianorum libertas, ac primum velut ius petebatur. Transportati in Asiam Africamque, ab extremis terrarum magni exercitus, & alter pene orbis sub signis peragratus. Gallia, Germania, Italia, Anglia, suis quæque stipendiis militarunt. Hispania nuper à Francis libertati reddita, reliquiis Sarracenorum comprimendis occupata, Sacræ militiæ no-

men non dedit. Viri Prouinciarum Principes, aut venditis, aut oppigneratis rebus, tanti belli onus sustinuerunt. *Tantum rerum humanarum contemptum, animis mortalium adfert vera Religio, ac numinis fiducia!* Certatim eam in militiam ascripti sunt, Hugo Viromanduorum Comes Philippi Francorum Regis frater, Robertus Normaniæ Dux Guillelmi, vt vocant Conquestoris filius, Robertus Flandriæ, Raimundus Tholosatium, Stephanus Blescensium & Carnutum Comites, Ademarus Aniciensium, Guillelmus Arausiensium Antistites, aliique clarissimæ nobilitatis Proceres, in huius belli societatem vltro venêre. ac tãto quidem numero, vt nec scribæ sufficere, nec tabulæ nomina illorum capere possent. Omnium oculos in se conuertit GOTTOFREDVS BONONIENSIS Lotharingiæ Dux, non artis modò militaris imperatoriæque peritissimus, sed religione præstans, specie corporis eximia, statura sublimi, incessu graui, vultu maiestate augusto. Huic ex omnium consensu delata rerum summa: nec vlla inter tot proceres tanto magistratu dignissimos, quàm exerendæ in Barbaros virtutis, ac defendendæ Religionis contentio. Altè illud imbiberant animo, *nihil esse in rebus humanis Religione præstantius, tamque summâ vi oportere defendi, non prauis æmulationibus violari. Iure illum à Diis proximum haberi, per quem Diuini numinis maiestas vindicatur.* Recensitæ copiæ, initusque armatorum numerus:

Philippus I. Francorum Rex.

Lactãt. l. 5. Inst. c. 20.

Iust. l. 8.

sexcenta peditum, Equitum centum & amplius millia inuenta sunt. Tantus bellatorum concursus Asiam terruit, & torrentis instar obiectas moles disiicientis, in diuersas Orientis terras se effudit. Tripartito agmine omnes Constantinopolim tandem vt conuenerat, appulêre: exhaustis tam longinquæ expeditionis laboribus, Græcorum ipsiusque imperatoris, cui suspectæ erant tot coëuntium Principum opes, perfidia superata. Primus armorum circa Nicomediam Bithyniæ vrbem impetus: omissis cum Sultano leuissimis pugnis, capta vrbs. Inde se Nicæam deflexit: quæ ciuitas forma quadrata, æquis vndique lateribus, lacu munita, alto & procelloso, & si ventis intumuit, minaci: incumbente ab ortu Hugone cum Normano ac Flandro: ab Occidente Gottofredo cum fratribus: ab Aquilone Italicis copiis, post aliquot obsidionidies, Solymanno Syriæ Principe frustra obsessis per lacum commeatus & auxilia submittente, in Christianorum potestatem redacta est. Tum iusta acie æquo loco patentique commissa, extracto in noctem multam prælio, XL. hostium millia cecidêre. Heraclea metu belli territa portas aperit. Tarsus recepta. Tantus denique Gottofredi, & Latinorum omnium terror inuasit Barbaros, vt quarto expeditionis anno Antiochia, Tripoli, Cæsarea, Nicopoli, Edessa, cæterisque munitissimis ciuitatibus captis, Lycaoniam, Ciliciam, Cappadociam, Pamphyliam, Syriam, Mesopotamiam, profli-

A. C. 1097.

Philippus Francorum Rex.
A. C. 1098.

gatis sæpius acie Barbaris, subegerint. Ad Primum Sanctæ vrbis conspectum fama est nostros milites procidisse; ac numen sanctissimumque loci genium veneratos, terræ osculum pie impressisse. Visum illic, tot gentibus quæ ad sacrum religionis bellum cum Francis confluxerant, *Pium ac gloriosum sanguinem profundere, vbi Seruatoris sanguis fluxerat: eo que insigniter impendi laborem & periculum: vnde non æquè emolumentum, ac honos & Christiani nominis gloria, & ex graui seruitute. Piorum libertas speraretur.* Post vnum alterúmve obsidionis mensem, Gottofredus, primus in effractos machinis muros transcendit. Accensi Ducis exemplo cæteri superant aggerem. Tanto Christianorum gaudio vrbs illa recepta est, vt eo die sibi redditam patriam, se Patriæ charissimæ restitutos gloriarentur. Tentauit Barbarorum Princeps, Ægyptiorum Sultanus belli fortunam vltimam, sed cæsis vna acie suorum centum ferè millibus, totum se firmandis prouinciis tradidit. Gottofredus Rex creatus, & quia *decet quod optimum est, ab optimo coli: & quod imperat, ab imperante*: spinea corona in honorem Seruatoris capiti imposita, vt pietatis sic & modestiæ exemplum singulare dedit: ac decimo tertio post mense, vir cœlestis, in cœlestem de terrena Hierusalem, assumitur. In cuius locum BALDVINVS Edessanus Comes, eiusdem Gottofredi frater suffectus est. Nunquam clariori argumento innotuit mortalibus, *Deum proniorem esse in*

Vbi melius sanguis spargi potest? Vbi melius vita deponi? vbi verior ac solidior gloria comparari? *Muret. Orat. 20.*

A. C. 1099.

A. C. 1100.

Arist. Rhet ad Alex.

Iac de Vitr. Hist. Melit.

eos, qui maximè ill· m colunt. Cæterum aliquot subinde incommodis in experimentum virtutis Christiani conflictati sunt, tot labores vna receptæ vrbis voluptas cumulatissimè compensauit. Tunc calcata Barbarorum impietate christi fides lacertos mouit: Religio effloruit, & redeuntibus sacris pietas iterum per Francos iis in locis coruscauit. Quo primùm temporis tractu Hospitalium Ordo tenui quidem initio, sed maximo breui fructu ac incremento cœpit, Anno circiter MC. exactis inde CCC. annis capta Rhodo, Rhodij Equites: & centum ab hinc retrò annis eadem insula per Solymannum expugnata, Melitenses appellati sunt; vt suo loco dicturi sumus.

Philippus I. Francorum Rex.

CAPVT NONVM.

Bellum Anglicum primum.

PHILIPPVS PRIMVS Francorum Rex, eius fortunæ, ad quam nuper Guillelmus Normaniæ Dux, adepto armis Anglorum Regno euectus fuerat, æmulatione flagrans, vt *est ea insita mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis introspicere:* veritus insuper, ne annexa Angliæ Normania validior ad inferendam Francis iniuriam euaderet: eo adhuc agente in insula, leuibus aliquot incursionibus, in Normaniam irruperat, incitato etiam in Patrem Roberto, quem is Normaniæ

Tac. 2. hist.

Paul. Æmyl.

præfecerat. Sed conciliatis Procerum
vtriusque gentis animis, vtrinque Reges *Suger.*
ab armis discesserant: quæ mox vtroque *Virg.*
è viuis erepto acrius multò quàm antea, *Till.*
mota sunt. LVDOVICVS cognomento *Chro.*
CRASSVS viuo adhuc Philippo Patre *A. C.*
qui XLVIII. annos Regno præfuit, rebus 1104.
strenuè gerendis adolescentiam exer- *A. C.*
cuerat: ac proceres quosdam rebelles im- 1105.
primisque Theobaldum campanum, *A. C.*
Bouchardum Momorancium Drocum, El- 1106.
bonem Rosciacum; Leonetum, & Bello-
montanum armis domuerat. Verùm vbi
Rex euasit, omissa aduersus mediocrem
nobilitatem vrbium finiumque controuer-
sia, in Henricum primum Angliæ Regem
bellum mouit. Anglici belli tenue qui-
dem & incertum initium, è ludo (vt fin-
gunt) Ludouicum inter Philippi, & Hen-
ricum Nothi filios in confluenti Isaræ & Se-
quanæ amnium, primùm ortum: mox pro
vnico oppidulo creuit maximum: nam *Par-*
ua sæpe scintilla magnū excitauit incendium:
vtrique genti funestum Frācis factione ali- LVDO-
quot principum diuisis, multo funestius. VICVS
Henricus capto fratre Roberto eoque in VI.
Angliam abducto, Normania facilè potitus FRAN-
est: eoque titulo se Francorum Regi obno- CORVM
xium professus, Gisortianam præterea ar- REX.
cem demoliturum, vt olim conuenerat, spo- *A. C.*
ponderat. Sed cum id minimè fieret, mis- 1110.
sus Flandriæ Comes Balduinus, qui pa- *A. C.*
ctum vrgeret, re infecta reuersus est; Itaque 1118.
delectu vtrinque habito, magnis copiis

ad Gifortium pugna conferitur: victus Anglus, oppido se communiit: vnde mox eiectus est. Crassus in Normaniam profectus, ac Guillelmum Roberti filium, huic regioni, paternæ nimirum ditioni magna ex parte præfecit: instituto adolescentis quasi tutore Balduino Comite, qui intra paucos menses accepto vulnere interiit. Ductus inde in Theobaldum Carnutensem, affinitate ac belli societate Anglo coniunctum à Ludouico exercitus: & in Carnutum finibus victo hoste, & in Asiam clade accepta profugiente constitit: donec maiori impetu renouaretur. Anglus quò Francorum vires attereret, ac Ludouicum Regem
A. C. 1120. vndique premeret: Henricũ Quintum Cæsarem generum suum, sacris primùm à Gelasio II. deinde à Calisto secundo summis Pont. summorum hortatur, vt Franciam igni ferroque euastaret. Verùm Cæsar alacritate Frãcorum cognita compertaque, Germanis insuper Proceribus vltrò ne potentissimum Regem temerè bello aggrederetur, deprecantibus, minas & arma posuit. Ita est; *nemo prouocare audet, aut facere iniuriam ei Regno aut populo, quem intelligit expeditum, atque promptum ad vindicandum.*
Lamprid. in Alex. Quo ferè tempore. Montfortius Anglos &
Lil. in Chro. Theobaldum Campaniæ Comitem in finibus Normaniæ profligauit. Pax deinde in-
Polyd. l. 11. ter Reges composita recepto in fidem à Rege, Guillelmo Henrici filio: qui dum ex Normania in Angliam cum Richardo fratre multisque regni proceribus transmittit,

orta fœda tempeſtate, ac illiſa ſcopulis naue, fluctibus obrutus interiit.

CAPVT DECIMVM.

Bellum Frandricum ſecundum.

CArolus Flandrorum Comes, cognomento Bonus, genere Danus, Canuti Daniæ Regis filius, à Balduino nuper hæres teſtamento inſtitutus: peſſimorum Ciuium coniuratione, ante aram D. Donatiani, Brugis crudeli parricidio mactatus ſacro Cinerum die, quod egenis fame preſſis, iuſtiori quàm diuites aliquot vellent pretio annonam largiretur, ſed Bertolphi ac Lamberti fratrum imprimis factione, Flandricæ expeditioni à Ludouico Craſſo ſuſceptæ occaſionem dedit. Namque Rex quanquam Normanicis rebus premeretur: veritus ne Anglus in omnem occaſionem intentus ea prouincia potiretur: ad hæc, ne tam atrox ſcelus inultum ſineret, cum copiis adfuit, non quaſi ſeuerè in Parricidas animaduerſurus, ſed tanquam certaturus bello. Principes Coniurationis arcem munitam inſederant, importato in longam obſidionem commeatu: ſed corrupta mox annona velut miraculo, nec dubia ſuperûm ira perculſi, deditionem fecêre, Diris in omnes, ſed meritis ſuppliciis animaduerſum eſt. Alij rotarum radiis diſtricti; alij palis induti, quidam reſtibus ſuſpenſi, non-

Ludouicus VI. Craſſus Francorum Rex
P. Æm.
Chro. Fland.
Suger.
A. C. 1127.
Armatus intentuſq; ſis, vt neque occaſioni tuæ deſis, neque ſuam hoſti des. Liu. l. 22.

nulli lentâ & graui morte absumpti, cæteri ex editioribus locis præcipitati, ac laceris corporibus contusi, Principis sui indignissimam cædem expiarunt. Guillelmum Normanum Francicarum in Anglos populares partium, Comitem Flandris imposuit, reiecto eo quem Rectorem inter tumultum Flandri legerant. Sed mox turbatum est, multis se ad Comitatum armis inuadendum offerentibus. Theodoricus Alsatiæ Comes, præcipuas in vrbes vltrò à Popularibus admissus, iusta acie à Normano, Franco milite succincto, fusus fugatusque est. Victor dum recenti gloria ferox, Alustum oppidum quò se hostis receperat, oppugnat: vt *Mars sæpe spoliantem & exultantem euertit, & perculit ab abiecto*, telo ictus interiit. Hoc casu, erectus Theodoricus; ab Rege Comitatum multis precibus, dato (vt moris est) fidei Sacramento, consequutus est. Secuta inde tranquillitas, quiescentibus Francis Anglisque, & hoc velut otio sese ad ea bella quæ mox exarserunt accingentibus. Quo tempore Crassus, Philippum admodum iuuenem diademate coronauit Rhemis, magnæ spei, & eius in quam alebatur fortunæ capacem, nisi fata inuidissent: nam breui equo quem scrofa euerterat obritus moritur. Ludouicus frater in eius mox locum suffectus est, ab Innocentio II. S. Pont. coronatus Rhemis. Tum quinquennio ferè interiecto piissimus REX LVDOVICVS in strato tapete pauimento recumbens, sa-

Cic. pro Mil.

A. C. 1128.

A. C. 1137.

ocis Christianorum rite perceptis, animam cœlo reddidit, cùm regnasset annos circiter XXX.

CAPVT VNDECIMVM.

Bellum sacrum secundum.

LVdouici Iunioris & Leonoræ Guillelmi Aquitaniæ Ducis filiæ, eius quæ mox belli Anglici fomes & Franciæ incendium fuit, nuptiis Francia distinebatur, cùm Crassi Regis excessu haud grato afflicta est. Sed conceptum ex tanti Regis iacturâ dolorem successor non in incerto decoxit. Crebræ interim Regem inter, summum Pontificem, & Theobaldũ Campaniæ Comitem dissensiones, initio Principatus exortæ, Regnum penè totum turbauere. Sed compositis singulari D. Bernardi opera rebus, conciliatisque tandem animis, Bellum secundũ sacrum, in Religionis hostes decretum susceptumque est, infelici tamen exitu, *vt praua sæpe consilia magis quàm bona prosperè eueniunt.* Creuerant in Oriente Principum concordiâ res Christianorum: sed breui eorumdem discordia citò dilapsæ, tristem, fœdum, ac luctuosum exitum sortitæ sunt, *fortuna cum moribus immutata.* Mittuntur subinde ad Regem, ac Cæsarem Conradum III. Oratores, qui nouam iterum Coloniam instruerent, quippe afflictæ Religionis partes in Asia nuncia-

Ludouicus VII Iunior Francorum Rex. *Paul. Æmil.* *Guill. Tyr.* *Suger.* A. C. 1144. *Otho. Fris.* *Ludouicus VII Iunior Francorum Rex*

bantur; impios recentibus victoriis ac rebus iam secundis feroces, vltimum exitium minitari. Mouit ea res miserationem: ac
A. C. 1145. D. Bernardi potissimum concionibus incitatus Rex, ne à Cæsare, aut Pietatis affectu,
Till. Chro. aut belli tam pij mouendi celeritate vinceretur, operam dedit præcipuam Accepta igitur Cruce militiam sacram Vicelia-
A. C. 1146. ni professus, ingentem Principum virorum, ac nobilium multitudinem suo exemplo ad se traxit. Occupauit tamen Germanus; & prior quanquam non pari felicitate, in Græciam peruênit, LXX. & amplius armatorum millibus succinctus, Cæsar Bosphoro
A. C. 1147. Thracio traiecto, moræ impatiens, tot bellatorum copiis subnixus, magna cogitabat animo: sed incautus Græcorum proditione primùm, deinde hostium fraude deceptus, mox ferro, fame, errore viarum, miseriâque ingenti oppressus, vix decimum quemque ex hostico reduxit, ac Nicæam se recepit. Francus sumpto apud Sandionysiũ more maiorum vexillo sacro, ductâ secum vxore, per Germaniam & Hungariam subsecutus, imperatorem offendit in Asiâ, qui mox dilabentibus suis, Constantinopolim relicta militia ad Manuelem Græcorum Cæsarem diuertit. Ludouicus receptu Conradi accensus magis quàm fractus? quâ Mæander amnis mare subit, exposito exercitu, Barbaros occurrentes acie vicit: ac duplici agmine per oram maritimam, iterum hostem è loco superiori præter spem cum impetu irruentem excepit sustinuit-

que. Tum classe Syriam circumuectus ac tandem Antiochiam ductus, Christianorum spes erexit penè accisas. Pergit inde Hierosolyma, recreatisque copiis longo itinere ac pugnis superioribus occupatis, Rex cum Conrado Cæsare qui eò nuper vectus classe appulerat, Damascenum opulentam hostium vrbem obsidet: verùm aut diuersarum gentium discordia, aut inuidia principum, aut Syrorum proditione, aut rerum denique vicissitudine, re infectâ ab oppido discessum est, ac breui nulla re memorabili gesta, classe in patriam reditum est ab vtrisque: nam Conradum imperatorem Ludouicus post vnum ferè annum insecutus est: in reditu penè captus à Barbaris, nisi Rogerius Siciliæ Rex suppetias opportunè tulisset. Itaque seruatus, in Galliam euasit incolumis, dimissaque Leonora Constantiam Alphonsi Galecorum Regis filiam vxorem duxit. Cæterum insperato Conradi imperatoris ac Ludouici Francorum Regis ex Asia abscessu, Barbarorum fiducia, Christianorum creuit desperatio. Itaque sancta Ciuitas, vndenonagesimo quàm de Barbaris recepta fuerat anno, Saladino reddita est, cùm Christianos frequentibus prœliis profligasset. Sublata à Barbaris dominica Crux, ac Vuido Lusinianus è nobilissima Pictonum familia, Hierosolymorum Rex in seruitutem abductus est. *Valet ima summis mutare, & insignem attenuat Deus obscura promens: hinc apicem rapax fortuna cum stridore acuto sustulit; hic posuisse gaudet*

A. C. 1148.

Ludouicus VII Francorum Rex

A. C. 1149.

A. C. 1150.

Till. Chro.

A. C. 1187.

Hor. li. 1. Od. 34.

plura non addo: refugit ſtylus, animus meminiſſe horret: *publicæ cladis mala enumerare, renouare eſt.*

CAPVT DVODECIMVM.

Bellum Cæſareum pro S. Pontifice.

Paul. Æmyl. Sigon. l. 13. de Reg. Ital. Papy. Maſſ. l. 3.

BEllum fœdum & graue Pontificatum inter & imperium, his temporibus exortum eſt; quo ciuitates Italiæ in diuerſas partes diductæ ac diſtractæ, ob continua Sacrorum Comitiorum diſſidia, prauis inter ſe certaminibus initis, ad extremum prope exitium redactæ ſunt. Inde ſe in Galliam cum profugo Pontifice flexit: ac eius denique damno geſtum ac confectum, quo authore initum & ſuſceptum fuerat. Conrado III. Cæſare vita defuncto, Sueuorum Ducis filius Federicus in eius locum ſuffragiis lectus, Alexandro ſummo Pontifici, quem victor IV. imperatoris opibus nixus inceſſerat vehementiſſimè, paulò iniquior quam Cæſarem decebat, eſſe cœpit: cumque in dies ferocior euaderet; eò compulit Pontificem, vt in Galliam, Romanorum pridem Pontificum aram aſylumque confugeret, Ludouici Regis Francorumque opibus ac Potentia ſe ſuamque ſedem defenſurus. Eò res ob Cæſaris impotentiam victoriſque ambitum progreſſa eſt, vt Concilio Claromonti primùm, deinde Turonibus habito, ex patrum ſententia, dam-

A. C. 1152.

S. Pont. Aſylum Frãcia; cuius Regno non eſt aliud in toto orbe

natis Papienſis Concilij in quo Victor & Federicus præfuerant, actis; Cæſar piorum ſacris interdiceretur, ac imperio indignus pronunciaretur. Aderat Pontifici cum Ludouico Rege, Anglorum Henricus, quorum ſocietate Federicus magis quàm diris Pontificiis angebatur. His auditis in Italia turbari cœptũ magis ac magis. Mediolanum, Cremona, Placentia, aliæque vrbes munitiſſimæ ac nobiliſſimæ Pontificis partes amplexæ ſunt. Eâ Rebellione Cæſar adeò eſt irritatus, vt Mediolanum longa obſidione domitum, ruinis & incendio deformarit. Nec deerant qui Federici cauſam armis tuerentur. Aderant Daniæ, Hungariæ, Boëmiæque Reges. Horum viribus auctus, Alpes tranſgreſſus inſignem Galliæ calamitatem moliebatur: intuliſſetque ferox hoſtis: nî cum delecto Francicæ iuuentutis flore, Ludouicus Rex furentem repreſſiſſet: huius impetum non magis vi, quàm conſilio ac prudentia fregit: eóque redêgit, vt quaſi accepta grauiſſima clade, victo ſimilis exercitus, infamiaque ſingulari aſperſus Cæſar, Galliæ finibus excedere turpiter cogeretur. Id tandem conſequutus, vt immanis & barbarus diceretur, quem ſingularis impietas in ſummum Pontificem Regemque adeò Chriſtianiſſimum armauerat. Decennio tamen interiecto S. Pontifex & imperator, annitentibus vtriuſque amicis in gratiam rediere: receptique viciſſim in Pontificem Alexander, in imperatorem Federicus: ac biennio pòſt, Ludouicus VII.

fide, Charitate, & deuotione erga ſedem Apoſtolicam comparandis Yuo Carnotenſ. 2. ep. 57.

A. C. 1162.

Ludouicus VII Iunior Francorum Rex

A. C. 1177.

Sigib. l. 14. de Reg. Ita.

A. C. 1180.

cognomento Iunior, concessa Rhemensi Ecclesiæ coronandi & sacrandi Regis prærogatiua antea controuersa, institutisque anno M. CLXXIX. duodecim Paribus, qui ex munere iis sacris adessent, anno Regni XLIII. è viuis excessit, relicto Philippo II. Augusto, à Deo Dato.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Bellum sacrum tertium.

PHILIPPVS II AVGVSTVS FRANCORVM REX.

Paul. Æmyl. Papy. Mass. Polyd. l. 13. G. Nu-brig l. 2.

A. C. 1187.

A. C. 1188.

PHILIPPVS à virtutum magnitudine AVGVSTVS appellatus, pacato Regno, Philippo Flandriæ Comite pro Veromanduorum comitatu, & Hugone Burgundiæ Duce in officium redactis, simul cum nominis sui famâ terrorem latè circumferens, facilè suos Regia authoritate, hostes metu tantæ virtutis ac potentiæ continebat. Quo temporis tractu, afflictæ res Orientis, receptaque à Saladino Hierosolymorum Ciuitas, vt prædiximus, Christianos ab Occidentalibus plagis, in subsidium oppressæ Religionis vltro euocabant. Necesse erat arma Francica Anglicaque non coquiescere, sed vel domi, vel foris exerceri. Bellum acrius in se mutuò paratum, sed Franco longè commodiùs, ob intestinas Anglorũ contentiones, Richardo etiam relicto Patre Henrico ad Gallos transeunte, Philippi in religionis partes tuendas affectus ingens, &

S. Pontificis authoritas diremêre. Henrico quippe Anglorum Rege sublato; cùm Richardus pacem ab Philippo exorasset; eò facile ventum est, vt priuatas si quæ superessent iras discordiasque in publicum hostem vno animo vterque Rex verteret: bellum sanè sanctius, & quocumque res caderent, minori damno futurum; necessarium omninò, rapto è viuis Siciliæ Rege Guilielmo, ac Federico Cæsare, equi lapsu dum Calycadnum, siue, vt alij malunt, Selephium amnem traiicit, aquis suffocato, fidei bellatoribus strenuis reliquas propè Christianorum spes secum auferentibus in hunc finem Decimæ fructuum cum laïcis tum Clericis ad id bellum non euntibus, omnium Ordinum conuentu Lutetiam indicto. Imperatæ sunt & Saladinæ dictæ, quòd ea militia Saladinus Christianorum hostis peteretur. Philippus itaque & Richardus Reges, belli sacri gratia ad colloquium congressi, intermissis odiis, *Pium admodum & religiosum rati, communibus in negotiis, priuatarum inimiciarum recordationem deponere*, Crucem sacræ militiæ symbolum pari affectu sumunt. Franci purpureas, Angli candidas cruces pro insignibus habuere. Vterque in Siciliam appulit; sed longè diuersa fortuna. Richardus Massilia secundo vento soluens, prospera vsus nauigatione; Philippus Genuensi portu egressus, atroci tempestate oborta distractus, lacera classe, multis ex suo comitatu naufragio amissis. Mirum his temporibus Ioachi-

Philippus II. Augustus Francorum Rex Imp. c. 20. 138. A. C. 1190. Papy. Mass.

mi notissimi Abbatis ingenium: ituros, sed parum (vt patuit exitu) profuturos reges prædixerat. Anglus vi tempestatis Cyprum compulsus, insulam capto Isaacio Comneno, qui Tyrannum in ea crudelissimum agebat, occupauit: quæ deinceps magno vsui Christianis fuit: relictisque præsidiis,
A. C. ad Philippum Augustum cum Barbaris iam
1191. confligentem profectus est. Henricus Federici Cæsaris filius, receptis in Syria vrbibus quamplurimis, Tyrum ingressus, Ptolemaidem obsidens fato functus, multis pro Christo exhaustis laboribus, magnum sui desiderium reliquerat: resque Christianorum penitus concidissent, nisi Regum copiæ commodè adfuissent. Horum aduentu deditio vrbis facta, postquam eam diu Limathosius & Carachosius Barbarorum Duces strenuè propugnassent, cumque eo ventum esset vt in muros nostri euaderent; ea lege recepta in deditionem Ciuitas, vt Saladinus data Christianis captiuis libertate, Crucem insuper Dominicam redderet; quæ nusquam inuenta, magnæ Barbarorum stragi causam præbuit. His tam prospere gestis, cùm aliqua felicitatis spes affulgere Christianis inciperet, suborta inter Reges discordia recentis victoriæ quam coniunctis copiis retulerant, gloriam
Dio.l.39 penè extinxit: *ita fere accidit inter pares, vt cùm alter præstantia sua se extollat, ex pristina amicitia ad discordias, ac bella deueniatur.* Cum enim Richardus ferocior quàm par erat videretur, grassante adhæc

per exercitum peste; Augustus, magno Chiristianorum dolore, relicto in castris cum maiori copiarum Odone Burgundiæ Duce, Genuensibus triremibus à Rufino Volta Nauarcho in Galliam reuectus est. Præter eas redeundi causas, Philippi Flandriæ Comitis mors Regem impulit; quippe qui metueret, ne Flandri rebus nouis studerent: nam Balduinus Hannoniæ Comes aliquid moliri nunciabatur. Hunc mox insequutus Richardus, veritus ne quid ab æmulo absens pateretur. Sic mutuo metu affecti Francus Anglusque fluctuabant. Anglus Cypri regno Vidoni Lusiniano vendito, impositus in naues tempestate in Istriæ oram eiectus, ac sumpta famulari veste ne internosceretur, tandem in Germania à Leopoldo Austriæ Duce interceptus, Henrico imperatore Francorum amantissimo, in veteris odij ad Ptolemaidis expugnationem inter se concepti vindictam traditus, in vincula coniicitur.

Philippus II. Augustus Francorum Rex A. C. 1192. A. C. 1193.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Bellum Anglicum secundum.

Paul. Æmyl. Polyd. Virg. l. 14. G. Neubrig. Rigord. A. C. 1194.

PHILIPPVS, siue Margaritæ sororis, quam Anglus repudiauerat, dotem recuperaturus, siue referendæ iniuriæ desiderio tacitè commotus, agente adhuc in vinculis Richardo, Anglisque grauissima seditione dissidentibus, præmissis qui res olim

ablatas (vt moris erat) repeterent; illisque re infecta redeũtibus, comparato exercitu, Gisortium finitimamque Regionem occupat: interioremque Normaniam ingressus, Rothomagum Gentis caput expugnasset, nisi Licestriæ Comes magnæ apud Ciues authoritatis, oppidanorum animos ad defensionem rerum suarum impulisset. Richardus multo auro nuper redemptus compositis in Anglia rebus, in Normaniam transmisit; susceptusque incredibili gentis gaudio, fessos multis iam laboribus ciues recreauit. Francus Vernolium obsidebat, premebatque: sed cognito hostium aduentu, omissa obsidione, incensa Eburouicum ciuitate, aliquot oppidula in potestatem redegit. Anglus traiecto Ligeri, ingentibus copiis munitus, in fines Turonum progressus, Locense oppidum capit, Iuculismam ad Garantonum fluuium sitam, expugnat diripitque. Pugnaturi erant acie Reges nisi cælestibus prodigiis territi pacem iniissent, haud diuturnam: nam breui Britannico tumultu dirempta est. Richardus Arturi Britanniæ Armoricæ Ducis tutelam susceperat; Optimates gẽtis in fraudis suspiciõnem adducti. Philippo se suaq; omnia permiserunt. Itaque bellum recrudescit, fusis leui clade Francis, ac penè intercepto Rege; ac multo acriùs quàm antea gestum fuisset, nisi Anglus cum Calacum castrum ignobile in Lemouicũ finibus obsideret, telo è muris coniecto, venenoq; vt creditũ est illico, ictus lethaliter dicessisset,

Philippus II. Augustus Francorum Rex. *Papy. Mass.* *G. Boito.* A. C. 1196. A. C. 1198. A. C. 1200.

Huius casum pax inter Philippum & Ioannem Richardi fratrem excepit: quæ adfinitate confirmata est. Sed statim præter spem mortalium, discordia iterum Galliæ populos turbauit. Quo ferè temporum tractu, ne quid ad Franciæ calamitatem deesse videretur. Rex ob Gerbergæ repudium, & infaustas Agnetis cuiusdam nuptias, in Concilio Diuionensi à Legato Pontificio sacris interdicitur. Tum in actis & publicis tabulis (vti iam sub Philippo I. fieri cœperat) REGNANTE CHRISTO scriptum accepimus. Sed recepta priore coniuge S. Pontifici reconciliatur. Interim Philippus suscepta Arturi cura, cum Ioanne Anglorum Rege à quo is seuerè habebatur, egit, vt Duci traderet, quicquid terrarum Angli in Gallia possideret, quod eas Prouincias paterno iure Arturus suas esse contenderet. Erat is Gottofrodi Ioannis fratris filius. Negante Anglo, Rex in Normaniam impetum fecit: Arturus acceptis à Philippo copiis, fines Pictonum depopulatus, Andium, ac Cenomannorum, Pictonumque, Anglicæ tum ditionis Comes à Rege nuncupatur. Sed in Aquitaniam inuectus, cùm Leonoram nuper Philippi vxorem, spe obtinendæ prouinciæ insequitur, ab Ioanne filio (quem illa apud Mirabellum obsessa accersiuerat) captus, Rothomagumque abductus, aliquantò post impia Regis manu crudeliter obtruncatur. Hoc facinore, Deo hominibusque infensus, res suas plane afflixit, ac pessumdedit, quas confirmatu-

Chro. Fux. Virgui. Polyd. l. 15. Argent. A. C. 1201.

Philippus. II, Augustus Francorum, Rex. A. C. 1202. M. Pa. P. Æmyl.

rum se cæde sperauerat. Apud Philippum tanti sceleris à Constantia Arturi matre accusatus, Patriciorum siue, vt vocant Parium iudicio absens, vocatusque more recepto edictis tribus damnatur, quidquid terrarum Franciciæ clientelæ censebatur, fisco Regis de more addicitur. Franci illicò Normaniam ingressi Rothomagum totamque adeo Prouinciam in suam potestatem

A. C. 1203. redigunt, CCLX. fere annis postquam Rollo Dux I. eandem occupauerat. Turones Andegaui,

Till. Chro. Pictones, cæterique Aquitaniæ populi cis Garumnam, si vnam Rupellam ex-

A. C. 1204. cipias, deditionem faciunt. Hoc nuncio perturbatus Anglus Rupellam cum magnis

A. C. 1206. copiis applicuit: sed à Philippo vexatus, re infecta in Angliam redire cogitur. Isa-

A. C. 1207. bellæ vxori plus æquo seruiturus, Republica proiecta. Cuius ignauiam pertæsi Angli proceres mox defecerunt: quod enim subsidium in eo sperarent, qui à fœmina regeretur? Ad omnem Regiæ calamitatis cumulum, ob multas iniurias clero illatas, Ecclesiæ hostis iudicatus, ab Innocentio III. summo Pont. Sacris & Piorum cœtu excluditur.

Turcarum tenuissima memorantur primordia &

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Orientalis Imperij status & casus.

Basilio & Constantino Orientis Imperatoribus, anno circiter nostræ salutis,

M. III. Turcarum nomen antea obſcurum, *vt cæteratum mina nonnumquam euehuntur*, frequentibus victoriis cœpit Aſiæ innoteſcere: quippe cùm Saraceni Barbara multitudine abundantes, in duas diſtincti factiones occupata iam Perſide ac Media longè latéque excurrerent, Tangrolipix Hunnicæ ad Caucaſum montem originis Turcarum Dux à Perſis euocatus, vt horum impetus ſiſteret, is verò capta Babylone, ita regionem vniuerſam inuaſit, vt ad Thracium Boſphorum, & continentem Byzantio oppoſitam, gentis ſuæ imperium propagaret: hic tanquem in ſpecula hærentes Barbari, aliis aliiſque temporibus Aſia omni occupata, tranſmiſſo Helleſponto, in Europam effuſi, orbi terrarum formidoloſum ac immane imperium condiderunt. Conſtantino qui triennium fratri ſuperſtes in Imperio egit, Romanus ſucceſſit cognomento Argyrius, qui à Sarracenis profligatus vxoris Zoes coniuratione poſt quinquennium imperij extinctus eſt. Tum illa vt nuptiis ſuis, ſic imperatoria dignitate domeſticum ſeruũ Paphlagonem Michaëlem adulterum, è vili mancipio impudica mulier inſigniuit. Hic poſt ſeptem deinde annos Theſſalonicæ fato functus eſt, cum in Ioan. fratrem Eunuchum iampridem imperij onus tranſmiſiſſet. Ioannis aſtu Zoe Auguſta Michaëlem quendam Calephatem in filium adoptauit: qui ab exili loco in tantam fortunam progreſſus (vt ea eſt

vt ex paruis initiis ad ſumma faſtigia res humanæ nonnumquam euehuntur [marginal: *cæterarum gentium plane obſcura.*]

Eg. l. 2. Rom. Princ.

Quidam putant eos à Scythis Tartaros nominant, originem trahere

Chalc. l. 1. Rex Turc.

A. C. 1029.

Zon. ras Cedrenus.

A. C. 1041.

fere eiusmodi hominum indoles) ita sui ac pristinæ sortis oblitus est, vt extincta tot beneficiorum memoria, Augustam throno deiectam, ingratissimus mortalium, & ingenio verè malo præditus, in exilium mitteret, nimirum ita est, *humillimi quique maximè vbi alta accesserunt, superbiâ atque ambitione immodici sunt.* Sed breui orta seditione populari, lapidibus adpetitus, raptatusque per vias cœnosas, tandem oculis imperióque, eodem quo purpuram induerat anno priuatus est. Constantinus inde ab exilio reuocatus Monomachus dictus, initis Zoes nuptiis Imperium adeptus est: vir ad omne libidinis genus proiectissimus, quippe qui imperij opes vnis cupiditatibus suis explendis effusè profligaret. His intentus, Turcis latè omnia infestantibus, animum audaciâque præbere visus XIII. Imperij anno sublatus est. Theodoræ Zoes sororis, & Michaëlis Strotonici viri quidem strenui & bellicosi quondam, sed ob nimiam senectutem à militibus flocci habiti, biennis duntaxat dominatio. Horum factione potens Isaacius Comnenus, imperium inuasit: qui tertio deinde anno, rerum habenas Constantino Duci commisit. Hoc imperante ingens barbarorum colluuies Orientem inundauit afflixitque: creuit in summum cumulum ea lues, eo post septimum imperij annum viuis erepto: relictis cum impuberibus filiis tribus Ludocia coniuge imperij curatrice, sed tantæ molis haud capaci. Ea igitur occasione

Aurel. Vict.

A. C. 1054.

A. C. 1057.

A. C. 1059.

A. C. 1067.

ſione arrepta, ac Romani inſuper Diogenis coniuratione, quem mox Eudocia in coniugem aſciuit, inuitati, Turcæ, direpta Cappadocia, exciſa penitus Cæſarea aliiſque pluribus vrbibus, imperio graues imminebant, cùm eos Romanus ſecundis aliquot prælijs coërcuit: ſed tandem reiecta pacis conditione, ab Aſamo Sultano acie profligatus, captúſque eſt: benignè tamen & humanè habitus, remiſſuſque: ſed ab inuidis ac præſertim Andronico indigniſſimè exceptus, effoſſis oculis, intumeſcēte ac vermibus ſcatente capite, poſt multa ludibria extinctus eſt. Tum Michaël Ducæ filius imperat, quem Nicephorus Botoniates *A. C.*
ob ignauiam ſexto imperij anno ſacris ad- 1071.
dixit. Nicephorum exacto decennio Ty- *A. C.*
rannidis Alexius Comnenus pari pœna af- 1079.
fecit, imperiumque occupauit, tenuitque *A. C.*
annos ferè XXXIX. relicto Ioanne filio, qui 1089.
Turcas aliquot prælijs fudit: ſed illitâ ve- *A. C.*
neno ſagittâ, quâ ſe incautus percuſſerat, 1118.
periit. Huius filius Manuel, imperij habe- *A. C.*
nas ſuſcepit, ac per XXXIIX. annos tenuit. 1143.
Hunc ferunt, eius expeditionis, quæ Sala- *Baro.*
dina (contra Saladinum ſcilicet qui Hiero- *Tom.*
ſolyma receperat) dicta fuit, tempore, ad 12.
ſummum Pont. Alexandrum tertium re- A. C.
ſcripſiſſe, cùm ſibi vehementer à Francis ti- 1180.
meret, ne in ſuum imperium aliquid molirentur, vt *ſecuritatem ſibi à Chriſtianiſſimo Rege Francorum Philippo Auguſto* procuraret: huic filius Alexius Comnenus Porphyrogenitus, adhuc puer ſucceſſit. Cuius gu-

A. C. 1185. Iam post biennium Andronicus redactis in ordinem perduellibus, noctu iniecto laqueo fregit. Eia quæso mortales, *quod regnum est cui non parata sit ruina & proculcatio, & dominus & carnifex? nec magnis ista interuallis diuisa: sed hora mom enium interest inter solium & aliena genua.* Dedit pœnas immanitatis huius, nondum exacto imperij triennio Andronicus: nam ferreis catenis collo pedibusque iniectis, effosso oculo altero, relictóque vno, vt ignominiæ suæ testis esset, auulsa caluitie, impactis in caput clauis, punctis veru lateribus, vibratis ac rotatis hinc inde in miserum hominem Camelo ad deridiculum impositum, lapidibus; à petulantissimâ plebe tradúctus triumphi specie, suspensus tandem pedibus, ac sexcentis aliis malis affectus, cum subinde clamitaret DOMINE MISERERE

Nicetas Choniat.

Sen. de Tranq. c. 11.

A. C. 1185. & ad turbam conuersus, *quid calamum contritum infringitis?* iacuit insepultus vetante puluerem iniici Isaacio Angelo: qui impe-

A. C. 1196. rio annos fere x. potitus à fratre Alexio effossis oculis in ordinem etiam redactus est. Ea res occupandæ Constantinopoli occasionem insignem Francis in Turcas proficiscentibus, eo quô dicturi sumus sequenti capite modo, præbuit.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bellum Constantinopolitanum.

Franci afflictæ Religionis tantùm vindices ac defensores, quantùm eius olim propagandæ authores extitere; Innocentij III. Summi Pont. hortatu incitati, lætis animis se maiorum exemplo sacræ militiæ deuouerunt: quo tempore Alexius, excæcato (vt dictum est) coniectoque in carcerem Isaacio fratre Græcorum imperium inuaserat. Iamque in Syriam transmissuræ Venetias applicuerant; cùm præter opinionem omnem, inuictæ Francorum copiæ, à cæteris quæ eandem expeditionem sequutæ fuerant auulsæ: aliò diuerterunt. Causa ea fuit: Isaaci filius, & ipse Alexij nomen ferens, frustratis elusisque custodibus, carcere quo eum patruus incluserat, ac patria profugus, acceptis ab Philippo Isororio Occidentis imperatore literis, in Francorum castra profectus, id à nobilissimis obtinuit, vt eorum opera ac imprimis Balduini Flandriæ, Ludouici Blesensium, Stephani (hic intra paucos dies extinctus est) Perticensium, Henricique Fani Paulini Comitum, quos ingentibus promissis deuinxerat, pater Isaacius in regnum postliminiò restitueretur. Bonifacius Montisferrati Marchio, & Henricus Dandulus Vene-

Villanduinus. P. Æmyl. Papyr. Masso. Nicetas A. C. 1201.

Philippus II. Augustus Francorum Rex A. C. 1202.

torum Princeps, quanquam ætate iam prouectus senex, non tam Græcorum quam Francici nominis affectu, Francis se vltro socios adiunxerit. Iamque in conspectum Byzantij Francorū classis peruenerat, cum facta copiarum aliquot adscensione, terra marique, populosissima munitissimaque orbis ciuitas, à paucis expugnatur, incenditur, diripitur: ac fugâ dilapso tyranno in libertatem Isaacius, in regnum Alexius ex pacto & fide à victoribus restituitur. Sed breui erepto viuis Isaacio, in Alexium filium cùm rerum suarum iactura, tum
A. C. 1203. Francorum totiusque Latinæ gentis odio immortali orta seditio est, Alexio Duca factioso & callido viro quem Murzulfum appellabant, Tyrannidem arripiente; qui Alexium imperatorem bis antea veneno tentatum, laqueo tandem in collum inserto strangulauit. Francorum exercitus haud longè ab vrbe aberat: cùm audita ciuium perfidia, infestis animis reuersus, Constantinopolim iterum aggreditur: haud difficiliorem fore ex victis victoriam, quam nuper fuerat ex integris ratus. Itaque vt dignas oppidanorum insolentiâ iras conciperent, igni ferroque euastatis agris, vrbem obsident: eamque leuiter sustentatam à ciuibus, secundo impetu expugnant, Murzulfo fuga sibi consulente. Vacillat in tam præclaro facinore antiquitatis fides. Quis credat tantam vrbem, tantum imperium, tot ac tantis opibus firmatum & auctum, à tantulis copiis, xx. ad summum armato-

rum millia extitisse ferunt tantulo temporis spatio, euersum ac prostratum? supra fidem ea res, meritoque suspecta, nisi in Francos incidisset, *quibus ingentia perficere diuinitus ideo concessum est, quod pietate cæteris orbis gentibus præstarent pollerentque.* His rebus feliciter confectis, Balduinus ob eximias & principe dignas virtutes, imperator omnium assensu annitente imprimis Dandulo Venetorum Duce salutatus est. Non longa tanti viri dominatio, id tamen egit pietatis amantissimus princeps, vt Græcorum Ecclesiam, Romanæ audientem ac concordem redderet. Interceptus à Bulgaris & Tartaris: ab iisdem in odium religionis interfectus est: anno ferè & medio imperij. In cuius locum Henricus Anguianus frater suffectus est, ac decennium imperauit. Huic successit Petrus Altissiodorensis Gener: qui relicto impubere filio sub Ioannæ vxoris tutelà, postquam imperio triennium posuisset, extinctus est. Is Robertus dicebatur, exactoque decennio. Balduino secundo filio imperij habenas reliquit. Hic tandem varia diu fortuna cum Græcis luctatus est: ac totos xxx. annos eorum fregit impetus, donec proditione Constantinopolis interciperetur; ac Francis ereptum Græcorum imperium ad Michaëlem Palæologum delatum, Græcis iterum redderetur.

Philippus II. Augustus Francorum Rex.
Baro. an. c. 514.
A. C. 1204.
A. C. 1259.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Imperij Occidentalis status.

DVm nonum in Oriente Imperium Francorum virtus excitat, amissum in Occidente cum Italia Germanorum imperium ad Philippi Augusti tempora. vna cum rerum ab exteris imperatoribus gestarum breuissima serie deducamus. Quæ sanè res ob supinam principum ignauiam, Francis post tanta virtutis experimenta, ingens dedecus; imperio labem maximam, Italiæ fœdissimas clades, ipsi etiam religioni damnum attulit singulare. Ac primum Italia grauissimis bellis concussa est: cùm Italici reges summam sibi rerum asciscere enixi, continuis populorum discordiis, factionibus vrbium, ac familiarum, ea tempora intulerunt, quibus nulla tetriora ac fœdiora extitisse vnquam putem: vt Syllana Cinnanaque aut Mariana rabies cum his comparata ferenda videretur. Beren-
A. C. garij I. Lamberti, Vidonisque turbas totos
900. ferè xx. annos luxit Italia: sed his malis pre-
Sigo, ludebat maioribus. Ludouicum III. Ar-
li. 5. nulphi Germaniæ Regis, (quem vitio re-
6. 7. 9. bellium imperatorem factum nuper osten-
10. 13. dimus) filium ab hoste comprehensum &
A. C. orbatum oculis doluit quidem: sed Beren-
917. gario subesse cogebat, dura lex necessitatis;

donec Rodulphus Burgundus victo Berengario, imperium Italiæ adeptus est, haud quietum diu: quippe Hugo Arelatensis Comes euocatus à factiosis, eo potitus est, cum Lothario II. filio, Conrado interim & Henrico Saxoniæ Duce, vt præmonuimus, in Germania imperantibus. Tum Berengarius II. ob impotentiam Italis omnibus, sed Pont. imprimis Maximo inuisus, citò ab Othone Magno Germaniæ Rege, spoliatus imperio: & in Baioariam relegatus est. Otho Mediolani ferrea corona more gentis vetere coronatus est, ac deinde à Ioanne S. Pont. Imperiali diademate insignitus. Sed mutato Pontificis animo, eoque abrogato, longè tetriores quàm antea turbæ exortæ sunt, magno religionis damno: hoc repente morte sublato, Otho secundus filius, regnum imperiumque adeptus est, paterno nomine quà proprio apud posteros commendatior: quem insecutus Otho itidem filius Tertius: mulieris dolo veneno extinctus, post imperij annum ferè xix. fuit is vt bellica virtute auo inferior; sic religione ac pietate, patre & auo multò superior. Tum Henricus II. Bauariæ Dux, non vt antea successionis iure, sed delectu procerum Germanorum ex Gregorij V. summi Pontificis instituto, imperium adeptus est VII. illi Germaniæ proceres eligendis in posterum imperatoribus constituti: Moguntinus Germaniæ, Treuirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ Cancellarij Marchio Brãdeburgensis Camerarius; Pala-

A. C. 950.
A. C. 962.
A. C. 973.
A. C. 981.
A. C. 1002.
Mart. Pol. in Oth. 3. Sig. l. 8.

tinus Comes Dapifer, Dux Saxoniæ Ensifer; Rex Boëmus Pincerna; Italis interim illustres duos regni imperiique titulos, ad
A. C. exteros rursus translatos ægrè ferentibus.
1003. Ardoinus Marchio Eporædiensis Italiæ se
A. C. Regem ausus est appellare; ac primo re-
1013. rum suarum successu inflatus, Henricum
A. C. spreuit; donec acie victus, frustra reparatis
1015. per biennium animis, sacris se addiceret.
Henricus maxima apud homines sanctitatis opinione ob singularem continentiam relicta, è viuis excessit, Conradus inde comitiis Vormaciæ apud Vargiones habitis
A. C. electus, concitatos Italiæ tumultus com-
1024. pressit: ac anno fere imperij XIV in Frisia
A. C. moritur. Hunc excepit Henricus III. filius,
1039. Hungarorum & Boemorum strage quidem
A. C. insignis: sed Gregorij Pont. Max. indigna
1056. vexatione immanem successoribus litem
Sig. l. 9. excitauit: hoc ex humanis rebus exempto Henricus IV. filius anno V. natus, sub Agnetis matris eximiæ virtutis ac prudentiæ tutela educatus, Regnum Italiæ Germaniæque imperium occepit; ab eo paternæ in Pontifices inimicitiæ reuixere; vicissimque illa vtriusque violata dignitas. Imperator diris Pontificiis iterum ac tertiò verberatus: imperio etiam exutus foret,
A. C. ni Rodulpho Sueuo prostrato, causam suam
1080. strenue vindicasset. Gregorium VII. S. P. vexasset immaniter, cùm Roberti Normanorum in Italia Ducis virtute à maleficio prohibitus est. Tandem eò redactus ex Conradi & Henrici liberorum conjuratio-

ne, vt exutus purpura victum sibi quærere *A. C.*
turpiter cogeretur: tandemque sacro functus miserabili, iacuit per quinquennium *1106.*
insepultus. Nec Patre humanior in Paschalem Pont. Henricus V. sed eius potentissimi, *Sigon. l. 10.*
Franci Reges Romanæ sedis iampridem vindices repressêre: eo sublato imperium flagrantissimè ambiri cœptum, à Friderico Sueuo, Lothario Saxone, Leopoldo. Austrio, & Carolo Flandro, vicit Saxo, quippe Pontifici deditissimus, se eius defensorem fore acerrimum professus est: profligatis *Sigon.*
sæpius in Germania æmulis, repentino obi- *l. 11.*
tu hominem simul ac purpuram exuit. Inde libero procerum consensu Conradus III. Imperator salutatus, inutili in Turcas expeditione notus: huic, vt ferunt, volun- *A. C.*
tas fuit egregia ad suscipiendam Rempub. *1138.*
neque exiguæ opes ad defendendam: sed fortuna vna defuit, quæ prope vna bellicas res administrat XIII. Imperij anno excessit. In eius locum suffectus Fridericus Sue- *A. C.*
uus cognomento Ænobarbus, continuas *1152.*
& graues cum Alexandro III. gessit inimicitias: hinc Gibellinorum & Guelphorum nominibus, ex vetere Germanorum dissensione desumptis, exitiales Italicis hominibus factiones manarunt; quæ sub Friderico patre exortæ, neque omnino sub Henrico *Sigon.*
filio obliteratæ, demum sub Friderico ne- *l. 13.*
pote effusius erumpentes, miseras & luctuosas in multos annos strages per Italiam edidêre: id venenum, ea scilicet labes re- *A. C.*
perta est, vt magna imperia mortalia es- *1178.*

ſent. Cæterum S. Pont. Alexandro III. Venetiis conciliatus Fridericus, paulo poſt in Aſia aduerſus barbaros militauit. Serra
A. C. amne quem, vt putant, refrigerandi cauſa
1190. ingreſſus fuerat, ſubuerſus. Henricus octauo Imperij anno è viuis ſublatus eſt. Tum
A. C. diuiſi factionibus proceres Germani: aliis
1197. Philippum Sueuum, aliis Othonem Saxoniæ Ducis filium præferentibus, ea res Ita-
A. C. liam ac Germaniam per annos x. & amplius
1080. in atrociſſimos ſeditionum fluctus coniecit: donec cæſo Bambergæ Philippo; Otho IV. vt conuenerat, imperium adeptus eſt.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Bellum Albigenſe.

Philippus II. Francorum Rex Paul. Æmil. Papy. Maſſ. M. Pariſ. Hiſt. Albig. Chro.

ALbij ſiue Albigenſes hæretici, ab Albiga Cadurcorum vrbe ad Tarnim amnem dicti, Petri Bruiſij, Valdenſiſque, inſignium hæreticorum in multis ſectatores; aliquot annos impunè erroremque fideique prauitatem diſſeminarunt. Aquitaniam, Occitaniam, Prouinciamque, nobiliſſimas Galliæ regiones infeſtarunt: ac periculoſi inſtar morbi late graſſantis, non Rheno aut Alpibus contineri potuêre; quin vtrumque tranſcendentes, Longobardiæ Germaniæque partem, ſua contagione inficerent, in Sarmatiam & inde Liuaniam

vsque ad extremum Septentrionem transmigrarunt. In Italiam etiam profecti in Apulia & Calabria consedêre. Quis vltra credat, Croaciam, Dalmatiam, Bulgariamque, ea peste laborasse? *Non mehercule ibi consistunt exempla vitiorum vnde cœperunt: sed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latissimè euagandi sibi viam faciunt.* Frustra diu moniti, nonnullis etiam igni crematis, vt fœdum errorem exuerent: adeò illi latè se effuderant, vt ne iusti quidem exercitus, ipso etiam mali initio furentibus possent occurrere. Horum numerus in tantum adoleuerat, vt qua vltimò dimicauere acie, LX. hominum millia & amplius, piorum exercitui opposuerint: ac in eos tanquam in Barbaros sacræ (vt vocant) copiæ mitterentur. Quod haud mirum est; nam *simulata Religio instar torrentium est, qui nullis obicibus retardari queunt, quominus campos inundent, & aliquando noceant.* Biterræ, cæsis aliquot Hæreticorum millibus, vi expugnantur: Carcassonę intercepta, Albigenses nudi inter magna rerum & verborum ludibria abire compelluntur, alligata ad collum veste. D. Dominicus, alter velut Moyses, precibus ac verbo diuino arma piorum promouens, crucem manu inter ipsas acies præferebat. Accendebat militum animos tanti viri ardor, quo longè plures quàm ferro hostes sternebantur. Nec deerant viri Principes, qui Albigensium partes acerrimè tuerentur: è quibus primum facilè locum Raimundus Tholosæ

Monst. A. C. 1206. *Vell. l. x*

Papy. Mass. l. 3. an.

Comes obtinebat. Cuius facti cùm eum mox pœniteret, memorabili principibus exemplo, Milonis Innocentij III. Romani Pont. Legati, in frequentissimo hominum cœtu: malorum in hoc pro Religione tumultu commissorum conscientia assiduè verberatus, virgis se subiecit. Nec tamen fanaticæ multitudinis cessauit furor, redeunte ad sectariorum partes Raimundo, *Vt iudicio decepti conceptas semel opiniones mordicus tenent cuiuscumque generis fuerint.* Volcarum oppida penè omnia eo malo correpta correptaque, sectæ Albigensi adhæsere. In hanc delectus eximiæ virtutis Dux, ac religione præstans, Simo Montfortius, longo nobilium ordine subnixus; vrbibus quamplurimis partim vi, partim deditione expugnatis, magnas res gessit, fuso cæsoque cum ingentibus copiis Petro Tarraconensium Rege, Raimundi sororio. Desideratis in ea acie octingentis hostium millibus, compressa quidem, sed non adeò extincta Albigensium facta, vt non iterum ac sæpius sub Ludouico VIII. ac D. Ludouico Regibus exorta sit. Neque verò latiùs sese ea labes diffudisset, ni facta eruptione, dum Tholosam Montfortius obsidet, cæsus foret. Verùm illicò concidit eius studio ac diligentia Raimundi, cuius fauore freta è latebris primùm prodierat: nam iterum ad Piorum castra reuersus, magna in eos gessit, quorum errores diu fouerat ac defenderat.

[Margin: A. C. 1208. — *Philippus II. Augustus Francorum Rex* — A. C. 1210. — *Agat. l. 1.* — A. C. 1211. — A. C. 1213. — A. C. 1217.]

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Frandricum tertium.

DVm Albigensium secta apud Volcas agitatur, maxima Philippum Augustum inter, Othonem IV. Cæsarem, Ioannem Angliæ Regem ac socios bella conflantur. Anglum summus Pontifex Innocentius III. cœtu piorum summouerat, dato Philippo Regi Angliæ regno. Itaque classem qua in Angliam transmitteret, parabat Rex: cum Flandriæ Comes Ferdinandus, occulto cum Ioanne fœdere inito, molem belli in se vertit. Flandriæ oppida Multa expugnata. Gandauum obsessum, datis obsidibus in fidem Francorum rediit: Comes in Angliam profugus concessit. Ibi renouatū fœdus pertracto ad partes Othone Cæsare, Anglus nihil cunctatus, vt celeritate Francos opprimeret aut terreret, in Franciam transmisit cum ingenti classe. Rupellam, quæ tunc Anglicarum partium erat appulit: effususque in Pictonum & Santonum agros, Petro Druidensi Philippi Germano acie victo, terrorem latè circumferebat. Othonis etiam magnæ in Belgica copiæ Spem vterque conceperat Regni Francorum eo bello potiundi, *Nescij nimirum spem & opinionem dulcia militiæ venena esse; quique eas cupidius sequuntur, in voluntarium fermè interi-*

Papy. Mass. Paul. Æmyl. Chro. Rigord. G. Neur. G. Brito A. C. 1213. Philippus II. Augustus Francorum Rex

Papy. Mass.

tum exitiumque ruere. Philippus ex Francica iuuentute ornatissimum exercitum ferocibus opposuit. Præclaram hoc in prælio Regi operam nauarunt, Eudo Burgundiæ Dux, Robertus Druidensis Comes, Gualterus Fani Paulini Comes, Matthæus Mommorancius, aliique illustres è nobilitate viri. Apud Bouiniacum ignobilem Neruiorum vicum ad Mosam fl. non longè à Tornaco pugna atrox commissa est. Primus à Cæsarianis iussu Othonis in Regem factus impetus, iamque suffosso equo Philippus periclitabatur, cùm popularium suorum concursu ac virtute seruatus, in equum à Tristano clarissimo Equite subleuatus est adeò *populis consensus quidam est protegendi amandique Reges.* Tum ille Cæsarem vrgere, instare, premere. Cæsar fortissimorum Equitum agmine tutus resistere, parem cùm Philippo fortunam expertus, cæso equo. Contumax vtrinque certamen ac diuturnum reddidit, Principum aspectus, & par periculum: ad hæc vtrisque, aut ingens gloria, aut honesta mors, tales virtutum ac benefactorum testes habentibus, occurrebat; quippe *nobilissimi Duces ante oculos regis egregia morte defungi gaudent.* Tandem cùm incertus diu prælij euentus victoriam distinuisset, pressi ab Francis Cæsariani fugam faciunt, omni quæcumque patebat ad salutem, via erumpentes: ac Cæsar in equum qui ad hoc (si suasisset necessitas) seruabatur, impositus; effusissimo cursu, se Philippi oculis ac virtuti eripuit. Captiui multi iique illustres: cæ-

Sen. de Clem.

Curt. l. 3. c. 11.

ſorum numerus ingens. Victoriæ gloriam auxit, capta Aquila, cum primis Ducibus Ferdinando & Reginaldo, hoc Bononienſi, illo Flandriæ Comitibus tanti belli machinatoribus; mox Lutetiam inſigni triumpho ductis. Nec prætereundum eſt, Philippum appetente iam conflictu, Regium diadema in edita ara inſpectante exercitu ſtatuiſſe: ac profeſſum Regem vltrò illi ceſſurum, qui aut eo dignior cenſeretur, aut generoſiùs depugnaret. Tum ab vniuerſo exercitu cõclamatum, viueret, regnaret dignissimus Rex; pro cuius gloria, & Francici nominis laude ſanguinem ſinguli profunderent: petitaque illicò pugnæ poteſtate, in hoſtem vniuerſi leones vti proſiluerunt. Fuit illud ingens ad gloriam incitamentum: quo factum eſt, vt Philippum laus immortalis, Francos victoria inſignis ſequeretur. Nec verò fortunatior Cæſare alia parte Anglus: eodem quippe die apud Andegauos, Ludouicus Philippi filius Ioannem Angliæ Regem fudit, capto in acie Salberienſi Comite. Ita diſtantibus in locis ſibi conſtante fortuna, vt diuerſis caſtris parem vultum aduertens, vtrobique fortioribus palmas compararet. Philippus poſt inſignem de tot ac tantis hoſtibus Victoriam, ac tantò maiorem, quantò potentior hoſtis, pugna pertinacior, periculum propius extitiſſet, ædem Virgini Matri ſacram ex voto iuxta Syluanectum Victor dicauit, & Victoriam appellari iuſſit. Anglo variis cladibus afflicto ac proſtrato in annos induciæ datæ ſunt ab Auguſto.

Philippus II. Augustus Francorum Rex A.C. 1214.

A. C. 1215.

CAPVT VIGESIMVM.

Bellum Anglicum tertium.

Paul. Æmyl. Matth. Paris. Polyd. Virg. l. 15. A. C. 1216. A. C. 1218.

PAci externæ confestim apud Anglos continuatur discordia domi: quæ cò proue&ta est, vt pulso legitimo externus Rex quæreretur. Igitur LVDOVICVS Augusti filius flagrante nimirum seditione, ab Anglis Optimatibus Ioannis Regis Tyrannidem pertæsis, in spem Regni amplissimi vocatus; acceptis obsidibus in insulam traiicit. Sed vix exacto biennio, cùm Angli Henricum III. Ioannis (quem illi nuper regno feroces exuerant) unum Regem salutassent, post longam contentionem, accepta pro redimendis obsidibus ingenti pecunia, in Galliam remigrauit: magna inde Franciæ tranquillitas, donec Philippus è viuis raperetur: quo temporis tractu, dirus & tam clari funeris nuncius Cometes ab Occidentali plaga fulsit, nec mediocri terrore Francorum animos exterruit; tam breui condente se stella, velut cœlesti prodigio Augusti excessus portenderetur; anno Regni felicissimi, XLII. Rex pace & bello maximus Medunte extinctus est. HENRICVS Angliæ Rex tanti Principis fato erectus, à

Ludouicus VIII. Francorum Rex

LVDOVICO VIII. quem LEONEM à Generositate vulgò appellabant, ablatas superioribus bellis Anglicæ ditionis prouincias, ac imprimis Normaniam per lega-

zos repoſcit: quibus negatis, cum ingenti claſſe Anglus Rupellam appulit, Aquitaniamque ingreſſus, omnia paſſim euaſtat. In hunc Ludouicus aduolat: tantâque felicitate Anglos adoritur, vt fuſum acie hoſtem Sauarum Malleonenſem, Niortium compelleret, eò cum victore exercitu accelerat Ludouicus, receptoque oppido, Fanum Angelicum, vt vocant, mox Rupellam ipſam, in Francorum poteſtatem redigit. Victoriam tantâ celeritate partam ſequuta Aquitaniæ prope omnis deditio, quæ res Henricum Regem Anglorum vehementer turbauit, amiſſis ſuis cum aliena repeteret. Itaque habitis in Anglia comitiis, nouum conſcribit exercitum, Duce Richardo Henrici fratre in Franciam tranſportatus haud ſanè feliciori quam nuper exitu, direptis aliquot oppidulis, infamia quàm præda onuſtior in Angliam reductus eſt. Quo ferè tempore: inita inter Regem & Fridericum imperatorem amicitia eſt: cùm Ludouicus & Henricus Friderici filius Vallicolorij apud Tulingos congreſſi ſunt, Facto functus eſt apud Montem Penſarium Ludouicus, poſt tertium Regni annum vix expletum, cum Auenione capta, muriſque deiectis velut erepta libertate deformata, Abigenſium ſectam ſtrenuè profligaret, relicto ſucceſſore Sanctiſſimo Ludouico IX. Rex mehercule ſi diutius vixiſſet, ſuperiorum Regum virtutes: aut æquaturus, aut ſuperaturus: in quo præter egregia multa, vitæ continentia ſingularis eluxit, quam

A. C. 1224.
Gaguin.
A. C. 1225.
Till; Chro.

impudenter, quàm inique illi: qui deferrēt vt vituperium, sic & laudem omnem ab eo Rege remouent: in eoque id solum ad commendationem nominis reperiri putant, quod Maximi Parentis filius, Maximi ipse filij Pater extiterit? sic virus plerumque suum in optimum quemque effundunt, qui odio veritatis prouecti, res præclaras extenuant; ac eos Principes qui iam è viuis excesserunt nec placent, ita contemnunt; vt ne memoria quidem vlla dignos existiment.

CAPVT VIGESIMVM.
PRIMVM.

Bellum ciuile inter Proceres octauum.

LVDOVICVS IX. SANCTVS FRANCORVM REX.

P. Æmyl. Gaguin. P. Masson. Ionuill. Nang.

D. LVDOVICVS post excessum patris inunctus in Regem, annos natus vix XII. grauissimis belli initio Principatus implicatur: vt hoc velut rudimento, maioribus bellis in virtutis experimentum Sanctissimus Rex assuesceret. Huius regni exordio, & Sanctissimi Regis exemplo videre licet, quam sint nullæ, aut rebellium, aut ipsius etiam Fortunæ aduersus Pietatem ac Virtutem opes, domesticis primum, inde externis malis conflictatus Ludouicus, vbique omni Fortunæ insultu altius erexit se. Initium probandæ virtutis à regni Proceribus Ludouici propinquis cœpit. Quippe illi indignati cuncta Blanchæ moderatæ quidem ac prudentissimæ, verùm Hispanæ

mulieris arbitrio regi, spretâ Regis infantia (cuius opportunitas etiam mediocres viros spe prædæ transuersos agit) turbant: quos tamen generosa & callida mulier, partim vi, partim beneuolentia sibi tandem ac filio conciliauit. Philippus Bononiæ Comes Regis patruus, Robertus Comes Druidum Petrus Britanniæ Armoricæ Dux: Theobaldus Campaniæ, & Hugo Fani Paulini Comites, cum longo nobilium agmine coëuntes, in Regem Matremque Regni moderatricem coniurant. Quo tempore Raimundus Tholosas per Humbertum: Albigenses per Ioannem Bellomontanum, in ordinem redacti sunt. Ferdinandus Flandriæ Comes in Bouiniaca (vt dictum est) pugna captus, Regiâ liberalitate in libertaté eductus & in aulam receptus est, vt eius opera Rex in coniuratos vteretur. Inter eos qui ab Rege secesserant, conuenerat, vt Ludouicum interceptum Blanchæ Matri auferrent, exclusaque rerum moderatione in Francia muliere, curam Regis Regnique susciperent. Maturè facto opus erat, priusquam iusto exercitu consilia opprimerentur, propè fuit vt voto potirentur perduelles. Nam simulatione obsequij, Regem cum priuato comitatu solâ satis maiestate securum Vindocinum petentem, ad Letericum Montem penè intercepere. Sed Theobaldus Comes Campaniæ, damnata in Regem coniuratione, in Regis fidem reuersus, excitis per Blanchæ Reginæ lachrymas Parisiensibus Ludouicum periculo liberatum Lu-

M. Paris.

S. Ludouicus 9. Francorum Rex A. C. 1227.

A. C. tertiam reduxit. Versa inde in Campaniam
1228. arma à Coniuratis: illi, accedente ad partes
Burgundiæ Duce Comitis priuatim hoste,
ingressi Campaniam facta populatione,
Tricassinorum nobilissimam vrbem obsi-
dent. Rex etsi adhuc iuuenis, ne ei qui sibi
A. C. adeo commodè adfuerat, vlla ex parte
1229. deesse videretur, optimè de se merito opem
tulit, rebellibus excedere coactis petenti-
bus data pax. Interim Armoricus cum Hen-
rico III. Anglorum Rege fœdus init; sed
ducto sæua etiam hyeme in Britanniam ex-
ercitu, antequam externæ gentis copiæ,
quæ in Pictonibus apud Talleburgum pro-
fligatæ sunt, coalescerent, deprecante Ro-
berto fratre Druidum Comite, pacem ve-
niamque à Rege, Brito cognomento MA-
LEDOCTVS obtinuit, cùm se Regis clientem
esset professus. Sic desciscentibus à coniu-
ratione ad partes Regias Proceribus, tumul-
tus facilè, si qui oborti sunt, Reginæ pru-
dentia, ac Regis felicitate extincti sunt. Eo
ferè tempore schola Parisiorum, quæ à
A. C. Carolo Magno ad hanc vsque ætatem flo-
1231. ruerat vel maximè, ob mutuas ciuium &
S. Lu- scholarium, vt vocāt, rixas ac cædes, sensim
douic. 9. diffluebat, abeuntibus quò quemque inui-
Franco- tabat spes studiosis. Hos multis propositis
rum præmiis at promissis ingentibus Rex Anglus
Rex. Henricus ad se pellicere, Oxoniique insti-
Symm. tuere studebat: Rex haud ignarus quantum
l.1.ep.75 sibi Regnoque detrimentum ea res pareret,
A.C. si pateretur: *bonas artes honore nutriri, hoc*
1235. *esse specimen florentis Reipublicæ vt disципli-*

narum Professoribus præmia opulenta pendantur, multis eos immunitatibus ac donis ad se facilè reuocauit. Ortum & aliud circa hæc tempora inter proceres bellum Alphonsum Raimundi Tholosatis generum Regis fratrem, Rex ipse Pictonum Comitem nominauerat, Hugo Marchianus Comes ab vxore (vt *omne mulierum genus ferox est & ambitiosum*) persuasus, imperium detrectabat. Is vt iusta acie cum Rege contenderet, ac ciuile bellum externo iungeretur, euocato Anglorum Rege Henrico, magnisque eius gentis copiis subnixus, Francis vltrò occurrit. In ripa Carantoni fluuij conflixere, magnis vtrinque animis: victoria tamen penes Francos. Angli effusi in fuga occidione occisi; hostium quatuor millia capta sunt. Henricus Rex Santonas fugit; sed insequente cum copiis Rege, ne interciperetur, in naues se recepit, bellum vtique multò acrius moturus, nisi conciliatis mox Regibus ab armis discessum foret: pactis in quinquennium induciis. Marchianus veniam ab Rege humanissimo impetrauit; maxima tamen comitatus parte mulctatus est; & discedendi ab obsequio causa omnis hoc exemplo cæteris turbatum concitoribus tolleretur. Hoc etiam temporum tractu Tholosatum Comes, euocatus à Massiliensibus Prouinciam occupauit. Sed eò delatus Rex, soceri sui partes tuiturus, Comitem eiecit; Tarraconenses Raimundo è viuis sublato Prouinciam inuadere frustra conati sunt: nam præmis-

A. C. 1242.

A. C. 1243.

sæ à Rege Francorum copiæ, consilia omnia infregere; ac nubente Carolo Ludouici fratri Beatrice, dotalis Prouincia accessit.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Sacrum Quartum.

S. Ludouicus 9. Francorum Rex *Paul. Æmy. Ionuill. Nang. Maff.* *A. C. 1246. Till. Chro.* A. C. 1247. A. C. 1248. A. C. 1249.

ANno circiter Christi M. CC. XLVI Innocentius quartus summus Pontifex vexatus à Friderico Imperatore, in Galliam recepto iam pridem more, velut ad communem Religionis ac Pontificum aram confugere coactus est: habitoque Lugduni Patrum conuentu, Imperatorem sacris summouit. Tum primum Cardinalibus rubrum pileum & purpuram data fuisse ferunt, quo tempore D. Ludouicus compositis regni sui rebus, vbi primum ex grauissimo morbo conualuit, sacrum bellum ex voto aggressus, acceptoque ab Episcopo Parisiensi vexillo, cum numerosissimo Principum ac nobilium Francorum comitatu, partim Massiliæ apud Aquas Mortuas, in naues impositis copiis, relicta Blanchæ Matri regni moderatione, primò Cyprum, vbi Tartarorum & Armenorum legatos audiuit: mox ducto secum eius insulæ Rege Henrico Lusignano, in Ægyptum quà mare intrat Nilus, post fœdissimam tempestatem delatus est. Felix

quidem belli initium: nam barbaros in littore sub signis stantes Franci desilientes è nauibus adorti sunt tanto impetu, vt caderet Satrapes; ac delectissimi quique: cæteri Mendesium, siue (vt vocant) Damietam compulsi sunt, quâ ferè incensa, ne Christiani potirentur, in vlteriorem se Nili ripam barbari proripuere, vrbem hostibus vacuam Rex ingressus communiit. Interim Alphonsus Regis frater Pictonum Comes, quem Raimundi soceri mors velut iniecta remora tardauerat, in castra cum frequentissimo Francorum delectu peruenit. Inde traiecto fluuio, iterum acriter pugnatum est Robertus Regis frater, dum fugientem hostem plenus animi insequitur, in pugnâ cadit. Castra barbarorum direpta sunt. Illi maioribus copiis comparatis, prælium ferox tertiò commisere: sed desideratis in acie clarissimis Ducibus, maximâ insuper accepta clade, in fugam versi sunt. Dum hæc in Francis feliciter geruntur, Melexala cæteros Sultanos, ac imprimis Halapianum & Damascenum, positis & obliteratis priuatis inimicitiis, in communis belli societatem assumit. Itaque ingentibus copiis vndique confluentibus, Francos iam exitiali morbo ex labore ærumnaque militari, passim in castris grassante, malè affectos adortus est tanta ferocia, vt exigui numero, iniquis locis à confertis facilè vincerentur, Rege ipso ac Proceribus multis captis, Carolo; Alphonsoque Regis Fratribus, multi ea clade de-

A. C. 1250.

S. Ludouicus 9. Francorum Rex.

fiderati sunt. Quæ tum rerum facies, quæ Francorum consternatio ac desperatio erat facilius est animo cogitare, quàm verbis exprimere. Fuit tamen incredibilis semper & ipsis Hostibus admirabilis Sanctissimi Regis constantia: nec sæuienti fortunæ submisit animum, nec contumelijs, aut minis adpetitus, à solita magnitudine animi discessit. Tandem exactis aliquot tam indignæ captiuitatis mensibus, Sultano per seditionem cæso à suis, Barbari cum Rege agunt, vt auro dato, Damiata discederet. Igitur pactis in decem annos inducijs, deportatus in Syriam cum reliquis copiis Ludouicus Ptolemaidem, Sidonem, Cæsaream, Ioppem, aliasque Christianorum vrbes restituit. Interim in Francia Pastores, ingens perditorum hominum manus, cum Regem captiuum audiuissent orta (vt fit) ex publico malo licentia, quasi res omnino deploratæ essent, arma ceperunt, grassati diu impune à Biturigibus & Aurelianis deleti sunt. Nec leuiores in media Parisiorum Ciuitate exortæ sunt animorum ac librorum contentiones; Guilielmo quodam de Amoribus magistrisque aliquot, Mendicantium vitæ genus liberius & asperius quàm prudentius carpentibus. Sed maledicorum voces oraque strenui fidei bellatores, institutique sui defensores compresserunt DD. Thomas & Bonauentura, clarissima Duo Scholæ Parisiensis ac Sobonicæ Domus, quæ eodem anno à Roberto Sorbona instituta est, sidera ornamentaque.

A.C. 1251.

que. Ludouicus Blanchæ matris audito sine, Ptolemaide soluit, in regnumque tandem reuersus singulari Francorum desiderio affectuque exceptus est. Tot tantisque malis, iuuandæ iterum Religionis voluntas non extincta est, vt *magnos animos magna non frangunt mala:* Nam interiectis aliquot annis celebri & memorabili fœdere cum Henrico III. Angliæ Rege, Lutetiæ præcusso, in fidei hostes secundò profectus est: ac victis vno alteroque prælio ad Thunetensem vrbem Barbaris, exortâ in castris grauissimâ lue, cum Ioannes Tristennis Regis filius prior decessisset, Sanctissimus Rex in cinericio lectulo stratus transuersis in crucis modum manibus, defixísque in cœlum oculis, eò cum Deo ac Beatis æternum regnaturus euolauit. Philippus D. Ludouici filius, is qui Audax est appellatus, Rex in castris salutatus. Mox statim superueniente Carolo Siciliæ Rege D. Ludouici fratre, datæ leges Barbaris, ac Thunetense Regnum Christianis vectigale fuit:& quotannis Carolo Regi CCCC. M. aureorum pensitare iussi sunt. Cæterum D. Ludouicus XLIV. annos regnauit:& præclara regni ritè administrandi præcepta Philippo filio moriens reliquit.

S. Ludouicus 9. Francorum Rex *A. C.* 1252. *A. C.* 1253. *A. C.* 1254. *Sen. Tro.* *A. C.* 1269. *A. C.* 1270.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Bellum Siculum primum.

P. Æmyl. G. Nã Chro- Dionis. Vill. l. 6. & 7. Ludoui- cus 9. Franco- rum Rex A. C. 1265. Till. Chro. Blond. Sabel. A. C. 1266. A. C. 1267. Valer. 9. c. 6.

CArolus D. Ludouici frater capta Massilia, ac Rebellibus capite truncatis, cum numerosissimo exercitu superatis Alpibus Romam ab Vrbano IV. Tricassino primum, deinde à Clemente IV. Narbonensi euocatus accelerat. Ibi singulari pompa & apparatu in Siciliæ Regem inauguratus, cum omnibus copiis in Campaniam Apuliamque progressus, apud Beneuentum Manfredum hostem adortus, magno impetu fudit. Longa pugna ex partium contumacia enata est, Manfredus gregario habitu ne agnosceretur indutus inter cæsos repertus est. Captum oppidum, totaque adeò cis, & vltra Pharum Sicilia in Caroli potestatem cessit. Quo tempore Henricus Castellæ Regis frater ex Hispania in Africam profugerat, ad Carolum cum expedita nobilium manu profectus: ab eo exceptus humaniter: sed Carolum Hispanus mox singulari perfidia decepit. Nam GermanorumItalorumque in Francos coniurationis pro Conradino author fuit. Carolus cum circa LuceriamSarracenorum, rebellem ciuitatem moraretur; re comperta, solutaque obsidione, quia *impia proditio celeri pœnâ vindicanda est*, in coniuratos ex improuiso iras vertit, tantaque vi adoritur, vt duplici pugna fusi ac profligati hostes cæderentur. Pugnæ locus Liliorum appel-

latus ad perpetuum insignis victoriæ à Francis, quorum Lilia insignia sunt, reportatæ monumentum. Exstructa insuper eiusdem nominis sacra ædes à Victore. Conradinus in acie captus, iussu Caroli iudicio constituto, insignis adolescens primo vitæ huius ingressu, vix XVIII. natus, capitali supplicio affectus est. Huius partibus tuendis Conradus Antiochenus Princeps è Syria in Siciliam appulerat, eamque insulam, ita in Carolum armauerat, vt Messanæ, Panormi, & Syracusis, nobilissimis ac principibus ciuitatibus exciperetur. Sed eò misso exercitu, in Francorum manus Cōradus traditur, qui effossis primum oculis, reste suspensus infami morte fortunæ sæuientis, ac calamitatis, durissimæ spectaculum dedit mortalibus. Huius fato, truso insuper in carcerem Henrico, quieta Sicilia aliquandiu potitus est Carolus. Nam (vt omnium in Francos Italorum est animus malè affectus) breui atrocissimâ coniuratione Hispanorum instinctu exorta, ab iugo tota insula resiluit. A. C. 1268.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Bellum Hispanicum primum.

Raimundo Bernardo Fuxio Comite in ordinem redacto, PHILIPPVS III. cognomento AVDAX populorum animis ingens erat, cùm in Hispaniam vltra Pyrenæos montes Francorum arma lata, eius gentis fastum compresserunt. Primus armorum turbo in Nauarrico Regno audi- PHILIPPVS III. AVDAX FRANCORVM REX.

Paul. Æmyl. G. Nāg. Ann. Fax. Garib. Mariana lib. 14. c. 1. & seq. Chro. Till. A. C. 1275.

tus, Castellani cupiditatem fregit. Henricus Nauarræ Rex decesserat, relictâ Iohanna filia vnica in cunis : hæc Matris cura operaque in Franciam delata Philippi Regis Francorumque omnium fidei ac tutelæ commendatur. Missus illico in eam Regionem, Petro Montacuto exauthorato, Prorex Eustachius siue Stephanus Bellomarchus, qui Reginæ infantis nomine, accepto à populis & Ciuitatibus Sacramento, eam gentem pro infantula administraret : sed breui Alphonsi Castellani Regis instinctu, Nauarri rebellionem occipiunt : in primaria gentis vrbe, factionum studio tot tumultus concitati eóque prouecti sunt, vt pars cum parte confligeret ; tanta contentione atque crudelitate, vt prædia inuicem vrerent, infantes filios allidèrent, cætéra quæ suggereret ac suaderet furor perpetrarent, maiori eius partis damno, quæ Gallos sequebatur. Erecti successu hostes, Proregem in arce Pompeiopolitana obsessum ad vltima compulissent ; ni Robertus (quem Hispani scriptores Carolum vocant) Atrebatum Comes, relicta expeditione Castellâna, à Rege iussus illuc diuertisset. Huius aduentu occursuque Francorum ad Rheniegam oppidum male multata aduersa factio, Garsia Almorauide Duce profugiente, conquieuit. Prorex liberatus, exactis quò quemque aut consilium, aut terror tulerat, rebellibus : Pompeiopolis vi capta, ferro ignique vastata est à Francis. Tertius Castellanus in Regnum reuersus

est. Hic vt *est natura mortalium ambitiosa, & prae imperij cupiditate in crudelitatem prona*, Ferdinandum & Alphonsum Ferdinandi filij & Blanchae Philippi sororis filios Regno paterno & iure per summum nefas exuerat: suffecto in Regem Sanctio altero filio. Questus primum ea de re Philippus, missisque iterum legatis monuit, ne iura humana diuinaque violaret: sed in irritum cessit ea res, vi opus fuit & armis: à quibus tamen Summi Pontificis Nicolas III. authoritate cessatum est. Hyems insuper & Regionis sterilitas, quia iniquo anni tempore, Pyrenaeis iugis copiosa niue rigentibus transeundum erat, Francos infecta re discedere compulerunt: quo tempore Brocchius quidam ex tonsore cubicularius & fisci praefectus, res maximas regni administrans, codicillis ab eo ad Castellae Regem insolentibus literarum notis interceptis, maiestatis reus, dicta causa, non sine ingenti Procerum omnium laetitia, Parisiis reste supplicium dedit. Hinc ferè nouorum hominum exitus; hoc plerumque modo, *Fortuna quos diu prosecuta est, repente velut fatigata destituit.*

Philippus 3. Audax Francorum Rex A. C. 1276.

Vell. 2.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Vesper Siculus.

CArolus Siciliae Rex à summis Pontificibus, vt dictum est, institutus Fran-

Philippus 3. Francorum Rex P. Æmyl. Froiss. Vill.

corum copiis instructus, victo cæsoque acie Manfredo Federici imperatoris notho Regni æmulo, multa gessit in Petrum Arragoniorum Regem. Res illi cum acerrimo viro, & cui si res suas saluas esse voluisset, diffidere prudentiùs debuisset. Tandiu Arragonius Philippo Franciæ Regi, vt *sunt reconditæ Hispanis mentes & ad lentæ consilia idoneæ*, occultus fuit, donec scelus sæculorum omnium atrocissimum, in Sicilia eius factione in Carolum & Francos omnes perpetratum est. Sanctissimo tempore, ac resurgenti Christo consecrato die, apud Panormum nobilissimum Siciliæ emporium, Franci omnes ex compacto crudeliter cæsi, totaque adeò insula vno temporis momento, ad campanæ pulsum, quo populus ad vespertinos hymnos conuocabatur, trucidati sunt, nullo discrimine sexus, aut ætatis: tanta vindictæ cupiditate, vt fœminæ etiam, quibus ex Gallis vterus intumuerat, neci darentur. Inde Siculus vesper in prouerbium abiit. Messana in fide Francorum tantisper stetit, Herberti Præfecti diligentia & authoritate: sed *metus haud diuturni officij magister* extitit: nam ciues aliarum exemplo vrbium, Gallico tum præsidio tum Præfecto vrbe pulso. Coniurationis Princeps Ioannes quidam Prochyta Siculus memoratur. Carolus eo nuncio consternatus frustra obsessa Messana, Philippum vnum causæ suæ defensorem, acceptæque iniuriæ vindicem respicere, vnius opes Regias & cognatas implorare cœpit.

Philippus 3. Francorum Rex A. C. 1282.

Francus implacabili odio in Arragonium exarsit; Petrum Alenconium fratrem cum magnis copiis multisquePrincipibus ac nobilibus,in Italiam ad ferendas Carolo suppetias mittit. Pontifex Martinus IV. natione affectuque Francus, Arragonium Pontificio fulmine ictum, & sacris interdictum Regno spoliat. Fama est, Carolum ad singulare certamen, misso velut in compendium bello, vt innoxio multorum sanguini parceretur, per caduceatorem à Petro prouocatum fuisse, his ferè verbis. *Si vir, si Dux, si Rex esset, congrederetur.* Accepta vltro à Franco pugnæ copia & data, assignatus certamini locus, Burdegala Aquitaniæ caput, Anglicæ tum ditionis, vbi centenis vtrinque equitibus dimicaretur. Carolus cum Equitum ala ad seram noctem loco constituto in armis præsto fuit. Hispanus *lingua ferox, manu imbellis, canis instar timidi vehementiùs latrantis quàm mordentis*, nec virum se, nec ducem, nec regem præbuit; vt fortiùs locutus quàm fecisse videretur: Nimirum *ignauissimus quisque, in periculo minimum ausurus est, nimius verbis, lingua ferox.* Itaque belli moles in Siciliam transmissa est: ac iniurias cladesque, fuso captoque filio Salerni Principe, profligato insuper apud Rhegium exercitu, Carolus Neapolim cum instructissima classe, delatus vindicasset, nisi mors altos spiritus & summa consilia abrupisset. Philippus interim superato Pyrenæo saltu, cum Philippo Pulchro filio, Nouarrorum, (ducta in vxorem

A. C. 1283.

Mariana l. 14.

Tac. I. hist.

PHILIPPVS III. AVDAX FRANCORVM REX.

A. C. 1284.

Iohanna) Rege, & Iacobo Balearium insularum Principe in Ruscinonis comitatum irrumpit. Genuam Ruscinonis expugnat diruitque, cæsis ad vnum oppidanis, ac Gerundam vrbem in Emporitano tractu nobilissimam amplamque, in loco decliui subterlabente Thici amne, (quem hodie Theram vocant) sitam, victis primùm per Rodulphũ magistrum Equitum hostibus, grauissimo ac lethali vulnere Arragonio percusso, vt inde obierit, deditione cœpit. Philippus Victor in Franciam reuertebatur; cùm Perpiniani febre continenter sæuiente, viuis ereptus est anno Regni xv. Tum interiecto triennio Carolus Claudus, quem
A. C. nonnulli Cunctatorem vocant, libertati
1285. redditus, ex Hispania in Franciam pace
A. C. composita rediit: atque inde in Italiam
1288. cum egregio comitatu transgressus, Guel-
A. C. phorum partes contra Gibellinos iuuit in-
1289. signiter: nec ita multò post, à Nicolao S.
A. C. Pont. Apuliæ ac Siciliæ Rex consecratur.
1290. Induciæ in quinquennium cum eo & Iacobo Arragoniæ Rege renouatæ, Robertum Atrebatem comitem tanta indignatione accendunt, vt in Galliam illicò reuerteretur.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Bellum Flandricum quartum.

PHILIPPVS IV. Franciæ Rex cognomento PVLCHER Anglos leuibus aliquot prælijs initio Principatus fuderat: sed orto bello difficili prior illa felicitas quasi aliquo turbine excussa est. Vido Flandriæ Comes, Adulphi imperatoris & Anglorum Regis Eduardi Primi fretus opibus, Philippo bellum mouit: sed dilapsis à belli societate tantis Principibus, serò errorem agnouit: nam spoliatus omnibus, potentioris timenda arma, pacem colendam esse didicit. Ac illum quidem detentæ à Philippo filiæ, quam Eduardi Regis filio vxorem destinauerat, dolor armauit. Hanc verò, vbi ex mœrore animique ægritudine sublatam audiit, tum societate iterum inita cum Anglis, à Philippo Rege apertè desciuit, Francus cum numeroso exercitu Belgicam ingressus, in Atrebatum finibus Carolo Valesio Duce, Flandros leuissimo prælio, tanquam atrocioris pugnæ præludio fregit, Flandriam omnem subegit, Comitemque à suis desertum, captum cum duobus liberis Roberto & Vidone Lutetia Parisiorum abduxit. Rex magnificè a Flandris receptus est. Verum plebs animo confestim mutato concitata, quòd seuerè ni-

A. C. 1294. A. C. 1295. Philippus 4. Pulcher Francorum Rex. P. Æmyl. Chro. Fland. & illan. Nang. Meyer. l. 10.

A. C. mis se habitam ab optimatibus Francis exi-
1299. stimaret, *adeò nullum est imperium tutum ac diuturnum nisi beneuolentia munitum sit*, armis ducibusque assumptis Petro Lusco textore, & Briano lanio, apud Brugas Iacobo Comiti Fani Paulini Regio Prætori vim meditantur. Cædes Francorum ingens edita, Curtracum Francorum præsidio eiecto captum, cæsis insigni clade nostris. Ea res mouit Regem vt bellum in Rebelles
A. C. Roberto Regiæ stirpis Principi demanda-
1300. ret, is LX. armatorum millia vt hostes edu-
A. C. cit. Fefellit Francos loci iniquitas, Flan-
1301. dros incendit Ducum suorum pro vita, pro
A. C. libertate, pro publica salute pugnantium
1302. oratio. Iamque cæsa nostrorum ingenti
A. C. multitudine Flandri efferebant animos, &
1304. spes altiores concipiebant: cùm Philippus
A. C. ingentibus copiis succinctus feroces ag-
1305. gressus secundum Legiam amnem vno alteroque ad montem Populeti conflictu ita cecidit, vt Curtracensis pugnæ infamia suscepta planè deleretur: cæsa sunt eo prælio XXXVI. Flandrorum millia. Tandem pacem aut pugnam quartùm poscentibus ex procerum sententia, pax desperatę genti data est. Ortæ his ferè tēporibus annos scilicet Chr. M.CCC.II. graues Bonifacij VIII. S. Pont.
Philippus 4. Pulcher Francorum Rex. in Philippum Pulchrum inimicitiæ, haud ita certis de causis, eò prouecta res, vt Bonifacius Franciæ regnum Pontificiæ clientelæ obnoxium esse assereret, elusus à Rege ipsisque regni Episcopis, toti regno sacris interdixit: sed ab hoste Sara Columna (cuius

ille familiam miris modis afflixerat) interceptus, Anagniæque asseruatus, post diem xxxv. ex quo libe:atus erat, ob animi ægritudinem indignationémque interiit, in huius locum suffectus est Benedictus XI. ac deinde eo post VIII. menses sublato, Rege potissimum annitente Clemens V. Lemouix. Hic Pontificum sedem Roma, Auenionem transtulit, ibique LXX. annos constitit, quo tempore Templarij (vt vocant) Equites, grauissimis sceleribus notati, cùm Deum summum omnium iudicem suæ innocentiæ testem frustra appellarent, vbique puniuntur. Bonis eorum in fiscum Regium ex consensu Pontificis conuersis, bellum in Robertum Flandriæ Comitem parabatur, cum Engerrani tandem Marinij opera, res omnis Regem inter comitemque componitur: ac biennio pòst Phillippus Pulcher excussus equo inter venandum ad Fontem bellaquæum, vbi primus vitæ fuerat, supremum vitæ imperijque diem clausit, Regni anno XXIX. relicto Ludouico filio X. cui cognomen Hutino, quasi dicas Pertinacem, à turbulentis moribus inditum ferunt. Hic Caroli Valesij præcipuo instinctu, Engerranum Marinium Longueuillenum Comitem, fisci summum præfectum, peculatus reum, furca suspendi iussit: ac sequenti anno reuocatis ab exitio Iudæis, quos Philippus pater Regno excedere iusserat, Regni anno & medio excessit: relicta, vxore grauida, quæ mox Ioannem peperit qui cum per VIII. tantùm dies vixerit, nullo numero habetur.

A. C. 1306.
A. C. 1307.
A. C. 1308.
A. C. 1312.
A. C. 1314.
A. C. 1315.
Ludouicus 10. Hutinus Francorum Rex.

CAPVT VIGESIMVM SEPTIMVM.

Bellum Flandricum Quintum.

PHILIPPVS V. LONGVS FRANCORVM REX. *Carolus IV. Pulcher Francorum Rex Philippus VI. Valesius Francorum Rex.* A. C. 1317. *P. Æmyl. Froiss. Villan. Meyer. Chro. Fland.* A. C. 1318.

Occupata bellis externis aliisque Francia, malis nonnunquam intestinis subinde emergentibus infestabatur, his curandis ac plebi in primis subleuandæ, haud segnis opera collocata est. Eduardi III. Anglorum Regis apparatus belli immanis non vltra minas fuit. Regno sub Regibus Ludouico X. Hutino, Philippo V. Longo, qui annos V. Carolo IV. Pulchro qui annos VII. in regno posuit, aliqua quies; stetitque, donec à rebellibus Flandris immani in Principem suum coniuratione turbaretur. Compositum à Philippo Longo cum Roberto Flandriæ Comite bellum, sub initium PHILIPPI VALESII Franciæ Regis, perduellium erga Ludouicum Comitem haud ferenda impietas excitauit, hic in carcerem coniectus ab infensis & furiosis; mox liber & Gandauo profugus; cum Flandriæ Optimatibus, in quos effera plebis multitudo sæuiebat, ad Regem quasi ad aram, & anchoram, vt aiunt, sacram confugit, questusque se à perfidis malè acceptum pulsumque, Francorum opibus restitui in principatum, enixè precabatur. Sacris interdicti perduelles velut ministratâ iræ materia magis magisque ferociunt;

authorata tam insigni facinore rebellione, Religionis metu minimè mouebantur. Missi etiam à Rege ad rebelles legati, qui de Comite pristinæ, vt par erat, dignitati restituendo agerent: his prociter responsum est à contumacibus, neque Comiti, neque Regi Flandros morem gesturos: *adeò facilè vulgi animis quos furor aliquis inuasit, reuerentia excedit.* PHILIPPVS magnificum ac Regium reputans prodesse miseris & afflicto clienti contra superbam ac rebellionis auidam plebeculam adesse, equitum expedita XII. millia, innumerabiles penè peditum copias conscripsit. Huic obuiam itum est à Flandris, Curtracensis pugnæ memoria adhuc ferocibus; tantaque fiduciâ, vt Regi vltrò illuderent. Ad Cassellum oppidum in edito colle situm, idoneum castris locum deligunt. Rex ad radices mõtis consedit. Exploratoris cuiusdam opera proditis Francorum ordinibus; & quia sol ardentissimus erat, neglectis custodiis, Rex cum incauto exercitu magnum discrimen adiit. Sed restaurata acie, quam tumultus cum improuiso hostium impetu turbauerat, acerrimè pugnatum est. Flandrorum atrox cædes, desideratis amplius XII. hostium millibus, cæteris fuga saluti fuit. Cassellum captum spoliatum incensumque est: non ætas, non sexus mouit commiserationem: vicinis oppidis ac Brugis imprimis receptis, Flandrorum audacia domitâ ac vindicata, victor Rex Comite in Principatum restituto, in Franciam re-

Philippus 6. Valesius Francorum Rex.

A. C. 1328.

Paul Æmyl. Froiss. Meyer. Chro. Fland.

uersus est. Vbi impensæ sibi eo bello à beatissima Virgine opis memor, quia proximus periculo fuerat, Fanum eiusdemquod in ea vrbe primarium est, ingressus vt erat armatus, equum bellatorem & Phaleratum, Ex Voto sacro addixit, cuius hodiernis adhuc temporibus visitur monumentum. Hoc tempore insignis regum Franciæ, Bohemiæ, & Balearidum in Ambianis congressus fuit: vbi Anglus Edoüardus Rex consilio procerum suorum, quanquam repugnante Isabella matre Philippi Pulchri filia, ne Aquitaniæ Ducatu aliisque in Gallia ditionibus excederet, vt nuper in Caroli IV. cùm domi forisque à Francis vrgeretur, in verba Valesij iurauit, ac se eo nomine Franciæ Regum clientem professus est. quo ferè tempore, Petri vt vocant Cunerij suppressa inductaque actione, quâ is clerum omnem turbauerat, Philippus Rex Veri Catholici cognomen adeptus est.

An. C. 1329.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Bellum sacrum quintum.

Philippus 6 Valesius Francorum Rex.

PHilippus conceptis primùm ad aram D. Ludouici Tholosatium Pontificis Massiliæ votis, ac deinde remotis arbitris cum Ioanne summo Pont. apud Auenionem de sacro bello rebusque Italicis colloquutus; nec multò post vocatis Lutetiam

regni ordinibus, sacram in Turcas, militiam more maiorum, educto scilicet è D. Dionysii templo vexillo (Auriflammam vocant) professus est. Ferunt audito de suggestu S. Pontifice, qui sacra Veneris in Parasceue die magna vi orationis, causam Christianorum perorauerat, ac bellum in Turcas suaserat, in tantùm exarsisse cupiditate extorquendæ barbaris Sanctæ regionis concionem omnem: vt de repente cum Philippo Valesio, Nauarræ, Arragoniæ, Bohemiæque Reges, longa deinde Procerum manus, ac tandem ccc. armatorum millia tam sacræ militiæ nomen darent. Paucis inde diebus interiectis, huic numero Balearium, Hungariæ, Siciliæ ac Cypri reges, præter Venetorum & Genuensium classem expeditam, accessere. Sed Atrebatum Comes Robertus, piissimum Regis totque adeò principum consilium, & tum maximè necessarium interrupit. Suspecta etiam Angli fides, ne absentiam Regis occasionem suam faceret: quæ res pronas tunc ad interitum Christianorum in oriente reliquias penitus euertit, vt non tam sua virtute quàm nostra discordia Barbarorum imperium formaretur. Namque his ferè temporibus tota Palæstina omnique adeò Asia eiectis Christianis, Turcæ Orchane Magni Ottomani Turcarum imperatoris filio Duce, Constantinopolim copias ingentes admouere; & Græcorum imperatorum sedem occupare conati, grauem metum Europæis

Paul. Æmy. Mass. Froiss. Villa. Till. Gaguin. A. C. 1330. A. C. 1332.

omnibus incussere. Hoc impetu classis Turcicæ CCLXXX. varij generis nauibus instructæ, & XL. hominum millibus armatis, in Barbarorum manus ea ciuitas venisset haud dubiè, ni Ligurum ac Venetorum auxilio, opportune seruata tunc fuisset; insulæ tamen Archipelagi ab hostibus flammâ ferroque vastatæ sunt, abductis in miseram seruitutem incolis. Eo nuncio in Italia Galliaque audito, missæ à S. Pontifice Ioanne XXII. & Philippo Rege triremes cũ expeditis copiis barbarorum ferociam represserunt. Non procul à Constantinopoli cum Turcis præliũ atrox commissum. Turcæ victi: naues CCL. aut incensæ, aut suppressæ sũt, ora maritima vastata direptaque; & vicissim hostium multitudo maxima ad nos deducta. Spes erat fore tunc vt communi Christianorum consensu ac virium conspiratione bellum ingens Barbaris terrâ marique inferretur: nisi *priuata Principum odia publicis vtilitatibus inimica*, rem adeo sacram obruissent: ac S. Pont. Sacræ militiæ suscipiendæ author præcipuus, fato concessisset.

Philippus VI. Valesius Francorum Rex.

A. C. 1333.

A. C. 1334.

CAPVT VIGESIMVM. NONVM.

Orientis Imperiũ à Barbaris laceratum.

A. C. 1259.

Michaël Palæologus pulsis, vt prædiximus, Græciâ cum Balduino Augu-

ſto Francis, quinquageſimo quinto circiter ab vrbe capta anno; victiſque aliquot felicibus prælijs, Theſſaliæ Achaiæque Principibus: Ioanne Laſcari (cuius tutor antea nus fuerat,) exuto excæcatoque, imperium A. C. 1282. Orientis inuaſit: ac filium Andronicum Cæſarem aliquantò poſt appellauit. Huic Carolus Siciliæ Rex bellum erat grauiſſimum illaturus, ni Veſper Siculus ab externis quærendis, ad priuatas res tuendas tanti principis cupiditatem adduxiſſet. In Andronicum Turcæ varia ac difficilia bella moliti: ſed ingentibus prælijs ab Alexio Philanthropeno egregio Duce victi proſtratique ſunt. Alexius rerum in Barbaros ſtrenuè geſtarum magnitudine & famâ elatus, vt *ferè ſolet victoria fortium virorum animos ad maiora concupiſcenda acribus ſtimulis perpetuò incitare*: imperium Græcorum auſus eſt A. C. 1290. ſibi arrogare; ſed à ſuis deſtitutus ac proditus, extremo tandem ſupplicio Andronici iuſſu affectus eſt. Magnæ interim turbæ orientem totum paſſim conuellebant. Tartarorum in Turcas, Perſas, Ægyptioſque continuæ eruptiones: Turcarum in Græcos circa ſua mala diſtrictos ac diſtractos progreſſus inſignes. Ac quidem Abaga Tartarorum Rex, Chriſtianorum ſacris imbutus, Ægyptum omnem, excisâ penitus impiiſſimi Mahumetis ſectâ occupaſſet, niſi veneno hauſto ſublatus, Tangalero fratri regni habenas commiſiſſet: qui Chriſtianorum fide eiuratâ relictis Turcis ac Sarracenis quorum impietati adhæſit, Aſiam *A. C.* 1300.

minorem (Natoliam vocant) exactis inde Græcis inuasit: eamque in VII. præfecturas Satrapiasque gentili nomine distribuit. Harum quinta, quæ Bithyniam, Gallogræciam, & finitimas Olympo regiones continebat, Ottomano illi magno cessit: hic Orthogulis, quem alij Ziel vocant, filius, subiugatis subinde reliquis, illi imperio initium dedit, quo nullum aut maius vnquam aut potentius orbis habuit. Prusiam, Mysiæ vrbem opibus florentem quam fame expugnauerat, regni sedem constituit; ab hoc in argumentum virtutis posteri omnes Ottomani dicti sunt: primusque istius gentis satellites allêgit, quos Regis ianuas siue portas ac custodias, Ianizarios appellauit. Nec verò minus ab Elpisio Ægyptiorum Sultano Christiana respublica detrimentum sortita est. Is in Syriam progressus Tripoli, Sidone, Tyro, clarissimis vrbibus expugnatis, regionem omnem, vna dempta Ptolemaide, occupauit: quam biennio interiecto, Melechus filius compulsis in Cyprum insulam Christianorum reliquiis, in suam redêgit potestatem: quanquam breui à Cassano Tartarorum Duce Christiano, Ægyptiorum Sultano profligato in Syriam restituta sit religio. Sed eam deinde Carbaganda filius abiecta fide, impietati obnoxiam omnino reddidit. Quadriennio fere exacto D. Ioannis Hospitalarij, vt vocant, Cypro relicta, Rhodum clarissimam insulam pulsis barbaris occupant, atque inde Rhodij equites cœperunt appellari. In eam

Turci breui in tantas creuerunt opes, vt opibus & potentia mortales omnes qui vnquam fuere, longo interuallo infra se relinquant. Chalcondy. l. 1.

A. C. 1305.

A. C. 1309.

illico Ottomanus classe ingenti inuectus est: sed re infecta, magnis acceptis cladibus, retro cedere coactus est. In ea tuenda insula, insignis fuit imprimis Amedei Sabaudiæ Ducis cognomento Magni virtus; eò ille cum expeditis suæ gentis nobilibus, in subsidium Christianorum profectus fuerat: hinc illi in posterum argentea crux in area rubra pro insigni fuit, cum his maiusculis literis F. E. R. T. quibus nimirum FORTITVDO EIVS RHODVM TENVISSE diceretur. Cæterum ea insula Reipublicæ Christianæ validissimum fuit propugnaculum in Turcas, donec à Solymanno anno Chr. M. D. XXII. expugnaretur, recedentibus in Melitam insulam Christianis Equitibus *Vales ima summis vertere & insignem attenuat Deus obscura promens*: nec vlla in barbaris tantæ licentiæ ac prauitatis causa, quàm Christianorum scelera impietasque. Hor. l. 1. Od.

CAPVT TRIGESIMVM.

Occidentalis imperij status.

NVnc rerum in Occidente ab imperatoribus gestarum series, prout iam instituimus proponenda est. Otho IV. quem à Philippo Augusto nuper profligatum apud Neruios fuisse diximus, ob continuas, & graues cum S. Pont. inimicitias imperio exutus est. Fridericus II. in eius

locum allectus, longè impotentius se in
A. C. eosdem gessit: vt Principum omnium odia
1211. facilè in se contineret. Hic inita cum Bar-
A. C. baris societate, Italiam fœdè omnem de-
1218. populatus est: quibus temporibus, Guel-
phorum & Gibellinorum, vt iam dictum
est, factionibus lacerata est ad interitum
Italia, & ad orci fauces redacta. Ferunt
Fridericum ad barbaros præmisisse olim,
Ioinuil- qui D. Ludouicum Regem Sanctissimum,
lius. captiuum, tollendum esse suaderent. In
A. C. hunc Henricus filius Romanorum Rex,
1246. cum multis Germaniæ Italiæque Proceri-
bus infesta signa sustulit; vt à suis in pœ-
nam tantæ impietatis perfidus imperator
vexaretur. Tandem ab Innocentio IV.
sacris interdictus, imperijque insignibus
A. C. spoliatus est Henrico Langrauio in eius lo-
1248. cum suffecto: qui victo Conrado Friderici
filio, imperium sibi insigni victoriâ asseruis-
set, nisi accepto vulnere paulò post obijsset.
Guillelmus inde Hollandiæ Comes Impe-
rator salutatus & Aquisgrani inunctus est:
A. C. à quo tempore ad annum ferè M.CC LXXIII.
1250. imperium incertis Rectoribus administra-
tum fluctauit, donec Gregorio X. S. Pon-
tifice imprimis annitente, ne imperij Occi-
dentalis maiestas, florentibus potissimum
Barbarorum in Oriente rebus, vilesceret:
Rodulphus Hasburgensis Comes, impera-
tor omnium assensu Procerum salutaretur.
A. C. Hic Otthocarium Boëmiæ Regem in or-
1273. dinem redactum, mox rebellem acie vicit
occiditque: seruatum tamen Venceslao

rebellis filio regnum, clementiam Victoriis commendauit: erepto duntaxat Austriæ Ducatu, quem Rodulphus Alberto filio concessit. Hoc Austricæ domus initium est, magno deinde incremento auctum à piis Principibus, vt ad hæc nostra vsque tempora, præter amplissima regna & propè infinitos Principatus in vtroque orbe, Occidentis imperium pietate partum, pietate retineat. Ferunt enim id Rodulpho adhuc Comiti prædictum, imperatorem ideò fore, quod Sanctissimum Christi corpus cùm Sacerdos ritu Christianorum ægro deferret, exiliens ab equo imponi Sacerdotem voluerit: eundemque pedes cum omni comitatu domum, atque inde in templum fuerit profecutus; quod idem à coniectore olim sibi prædictum, expleuit. Hic xIIx. ferè imperij anno ex dolore sublatus est, quòd à Germanicis Principibus Adulphus Nissoüs Comes, Alberto filio prælatus foret, breui tamen neglecto ob ignauiam Adulpho, Albertus quod tantoperè Rodulphus pater ambiuerat, ex virtutis opinione adeptus est. *Adeo constat imperium semper à minus bono ad optimum quemque transferri: eique omnia adesse bona, penes quem est virtus.* Nec spem de se conceptam frustratus est: Adulphum enim acie vicit, occiditque. Quo tempore Heluetij excusso imperij iugo quod crudeliùs quàm par est haberentur, in libertatem strenuè se vindicarunt: & Rempublicam suam in aliquot Pagos, Cantones vocant,

A. C. 1291.

A. C. 1298.

A. C. 1307. distributam instituerunt. Albertus comparatis omnibus, in eos mouebat, cùm à
A. C. 1313. Nepote X. imperij anno sica appetitus confossusque est. Huic succeßit Henricus
Naucl. Argent. VII. Lucemburgensis Comes, cui ferunt inter sacra, veneno illitam à Dominicano hostiam fuisse porrectam: nam ea sumpta illico interiit. Inde factionibus Procerum diuisum imperium, ac cruentissimis bellis per octo annos iactatum est. Sed victo acie captoque Friderico Austriaco Alberti filio, Ludouicus V. Bauariæ Dux, imperator salutatus est. Hunc Summus Pont. Sacris summouit, quo tempore multi in Italia Germaniaque Principatus erecti sunt ac imprimis Mantuanus à Philippino Gonzagua Carolus IV. Boëmus, qui Cres-
A. C. 1346. ciacensi Pugnæ pro Franco in Anglum adfuit, ac egregiè militauit, in Ludouici lo-
A. C. 1347. cum ascitus est: tum breui Ludouicus lapsu equi inter venandum obtritus, miserè occubuit.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Bellum Anglicum quartum.

OMnium certè atrocissimum bellum fuit, quod eo tempore Francum in-
A.C. 1336. ter Anglumque Reges exarsit: magis vtrin-
Liu.l.21 que viribus, animis odiisque maioribus, *adeoque varia fortuna gestum, vt sæpius*

Francorum gereretur aduersa ; tam varius ancepsque Mars fuit, vt propius periculo fuerint, qui tandem vicere. Atrox præliis, discors seditionibus, variis casibus plenum: captiuitate, furore, exilio regum, ciuium rebellionibus, Procerum simultatibus, domesticis odiis, intestinis populorum discordiis, vrbium direptione, vastitate regionum, Francici sanguinis impendio transactum; totos fere cxx. annos funestum ac luctuosum, ac meritò non committendum stylo, nisi nostræ tandem gentis gloria ac libertas, post continuata toties reipubl. vulnera, exactis hostibus ferroque pulsis, cruentissimæ tragœdiæ finem occuparet. Ac belli quidem causæ plures, sed vna omnium maxima, quæque cæterorum fons esse solet, ambitio. Indignatus Anglus, ob prælatum sibi regno Francorum, vi Salicæ legis, qui fœminæ sceptro excluduntur, Valesium; receptum ab eo Dauidem Scotiæ Regem bello nuper à se victum sed molestè imprimis tulit, parum se regiè in fide Philippo data pro Aquitaniæ Ducatu, habitum tractatumque. Nec leuiter incendit pronum Eduardi III. Anglorum Regis ad nocendum Franco animum, Robertus Atrebatum Comes; qui Burdegalam ad partes hostium se recipiens, iactatis quibusdam verbis contumeliosis, palam professus fuerat, se Valesium (ita enim Regem appellabat) extulisse, eundem breui, delecturum. Flandria Germaniaque pro Anglo stetit. Ostentatum magis tamen

Philippus 6. Valesius Francorum Rex
P. Æm.
Froissar.
Papy.
Mass.
Vill.
Gagu.
Till.
Chro.

quàm gestum initio bellum. Instructissimæ siquidem Regum acies in patentem locum & conferendis manibus idoneum quasi confestim dimicaturæ, sine conflictu
A. C. reductæ sunt; velut mutuæ virtutis admi-
1338. ratione, aut metu perculsæ. Eduardus haud congredi ausus, in Flandriam copias reduxit: vbi adactis in sua verba Proceribus, Iacobi Arteuillæ consilio, quò liberius Flandri rebellarent, Liliorum insignia, & Franciæ Regis nomen titulumque sibi superbè arrogauit: quæ gentis superbia inter centesimum ferè annum ad posteros manauit.
A. C. Inde in Angliam, quò illum continuæ Sco-
1339. torum incursiones reuocabant, transmisit. Sed leui in Flandria conflictu, Saleberiensi Comite, quem Eduardus Flandris præfecerat, apud Insulam à Francis fuso captoque; ad bellum seriò gerendum, quasi nondum
Philippus VI. Valesius Francorum Rex ante satis matura odia incitassent, Angli cum Eduardo Rege reuersi sunt. Primus belli turbo, in ora Flandriæ maritima auditus, grauiter Francum perculit prostrauitque; commisso ad Clusas nobilem Belgicæ portum prælio; in quo Eduardus Rex
A. C. 1340. sua felicitate & vento secundo, nostrorum insuper discordia adiutus; captis, aut fractis
Egesipp. 4. c. 11. omnibus ferè Gallorum nauibus Victor, quanquam traiecto tragula femore sauciatus, euasit. Difficilè sane ad fidem est, quot è Francis ceciderint exacto affirmare numero. Audent tamen XXX. è nostris millia numerare. Nec verò demisit animum ea clade Philippus: gnarus scilicet *infirmi esse*

animi

animi, lapsu aliquo summæ rei diffidere, cum exiguis momentis subitò inclinentur omnia quæ in bello geruntur. Numerosiorem exercitum scribebat, fusoque apud Ypras Roberto Atrebatum Comite superiorem cladem reparaturus videbatur; cùm Procerum *Argentræ l.5.* vltro citroque in diuersa castra commeantium opera: sed imprimis Pont. Maximi (is erat Benedictus XII.) authoritate pactis in duos annos induciis, belli Anglici moles in Armoricam, quam sibi ambiguo vtrinque iure Carolus Blesensis & Montfortius Comes vendicabant, se deflexit. Ibi cùm diu leuib. pugnis ex occursu partium exortis cõflixissent; tandem Philippi Regis sententia IoannesMontfortius inde exclusus, ad vim & arma se conuertit: atque vt *ea pars quæ domestico certamine inferior* A. C. *est externo potius se applicat quàm ciui cedat,* 1341. societatem cum Anglo iniit: mox à Ioanne *Liu. l.34* Philippi filio Normaniæ Duce, apud Nannetas captus, in Luparæ (vt vocant) arcem Lutetiæ cõiectus est: ac breui libertati redditus, cùm res nouas iterum ac tertiò moliretur frustra, fato fungitur, relicto Ioanne filio paterni iuris ac perfidiæ hærede. Nec diuturna quies stetit. IoannæMonfortij viduæ instinctu, euocato in Britanniam Anglo, certatum est nauali primùm prælio, ipsa etiam muliere ferro accincta strenuè viri manus explente. Hoc tumultu Britannico Venetorum ciuitas capta receptaque vno pene tempore à diuersis. Tandem Clementis VI. S. Pont: authoritate

induciæ in 3. annos datæ sunt: quibus nondum exactis Aquitania primum, deinde Normania belli theatrum extitere, redeuntibus ad veteres inimicitias Philippo Eduardoque Regibus. Anglus Somonam disiectis Francis traiicit. Tum laudata militum virtute, sacris, quæ tunc erat gentis pietas! munitus magis quàm castris, Francos expectauit: magnâ nobilium parte succinctus Philippus in Anglum vertitur; victor vtique futurus si magis consilio, quàm impetu rem gessisset. Pugna ad Carisiacum in finibus Ambianorum omnium luctuosissima improsperè commissa est; fugam capessentibus Genuensibus, summo Regis periculo, confecto sagittis equo. Nobilitas ferè omnis interempta. Nam eo prælio, occisi sunt Ioannes Boëmiæ Rex, Carolus Regis frater, aliique magni nominis ac generis. Fugati Franci longâ & latâ cæde, nec vllo ante bello tristiori, desiderati ea acie ex omni numero ad xxx. ferè millia. Francis multum obfuit nimia ante pugnam alacritas, eiusque (vt mos est genti) citò conserendæ ardor, nam cùm cursu in prælium iuissent: fessi ab corporibus vigentibus Anglis facile profligantur. Ferunt ea die coruos immani agmine Francorum castra superuolitasse, haud dubio funestissimæ cladis præsagio. Secundum illud fuit Franciæ vulnus, cuius curationi frustra posteà Rex incubuit. Caletum vndè breuissimus est & commodus è Gallia in Angliam traiectus,

Philippus 6. Valesius Francorum Rex A. C. 1346.

Froissar. A. C. 1347.

victor Eduardus obſidet, & fame victum poſt annuam obſidionem, fruſtra ſummiſſis à Franco auxiliaribus copiis, in ſuam redegit poteſtatem. Itaque egreſſis oppido cum ſingulis veſtimentis, triſti ſanè ſpectaculo oppidanis, Anglorum colonia eò deducta, grauis Francorum rebus incubuit. Nihil ea victoriâ crudelius Franco; niſi mox Pictanienſis eſſet ſecuta. Inter eas clades, ne prorſus omnia Francis inimica viderentur; Delphinatus Viennenſis, Franciæ acceſſit; Humberto principe, qui amiſſa liberorum ſpe Dominicanorum inſtituto ſe addixit, ea lege vltro cedente, vt qui primus Franco Regi filius naſceretur, eius ferret nomen ac principatum obtineret. Hinc Franciæ Delphini, quò fere tempore Philippus Rex ad Nogentum Regium XXII. regni anno, naturæ legibus conceſſit. Hic Rex primus vectigal ex Sale inſtituiſſe fertur quæ ſanè res vti inuiſa nanque Gallorum animos ab eo haud mediocriter abalienauit. Hoc Tributi genus etſi graue multis viſum, ad hanc tamen vſque diem multò grauiùs & auctius penditur. Ingenioſum profectò & ſi modus eſſet, Regi vtile, multitudini gratum inuentum quo nemo à tributo liber eſt.

A. C. 1349.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Anglicum quintum.

IOANNES FRANCORVM REX. *Paul Æmyl. Froiss. Gagu. Villan. Till. Liu.l.4. A. C. 1351.*

PHilippo Valesio IOANNES filius successit, excelso & generoso animo Rex, cuius virtutibus videtur vna fortuna inuidisse. Initium principatûs Anglica tempestas fœdè inuasit: namque in Santonibus VVidone Nеellensi Duce, malè à Francis pugnatum est: adeóque per singula ferè momenta afflixit, vt quadriennium captiuitatis in Anglia Rex Christianissimus traduceret. Anglorum felicitatem promouit insigniter, Procerum in Francia dissensio, *qua nulla regnorum pestis atrocior, omni quippe hominum æuo factiones fuere, eruntque pluribus populis magis exitio, quam bella externa*; Cæso Aquilæ (notissimum Normaniæ oppidum est) Carolo Hispano, Equitum magistro; missis à Nauarro Rege Carolo sicariis; Parricidam Rex statuit opprimere: factum tamen initio condonare, Heroinarum precibus adductus, cogitur, quæ Regis clementia ferocem adeò non fregit, vt auxisse licentiam videretur: quippe is quo popularem auram captaret, tributum comitiis regni couceſſum ne Rex acciperet diu intercessit. Itaque cùm nullum turbandi regni finem faceret, Rothomagi captus, cædis conſciis capite trunca-

A. C. 1354. A. C. 1355.

tis, in carcerem traditur. Sed breui fax illa belli educta è tenebris, Franciam omnem fœdissimis flammis corripiet. Anglus à Philippo Nauarri fratre aliisque rebellibus euocatur. Duplici exercitu Franciam inuadit. Claudio cestriæ Duce in Normaniam, Eduardo Valliorum Principe in Aquitaniam latè effosis: in hunc Rex dum expeditissimo exercitu contendit. Eduardus à Franco vndique circumuentus, dum pacem deprecatur, ac redeundi in Aquitaniam libertatem, negante Franco (ignaro scillcet quantùm virium miseris adhibeat difficultas euadendi, clausis ex desperatione crescere audaciam, quam deinde auget acuitque necessitas) ad depugnandum acie compellitur. Anglo aderant non amplius VIII. armatorum millia; quantula pars copiarum, si cum Francorum longè maiori numero comparetur? *Sed virtus irritata multitudinem oppressit.* Castra natura loci, & rusticanis fossis ac sepibus munita Anglus deligit, vt Equitum impetus arte, quæ plus aliquando potest quàm virtus, superaret. *Optimo militiæ salutarique præcepto suum ac hostium exercitum: locorum situm, naturam regionis nosse, vt si equitatu audemus, campos optemus: si pedite, loca deligamus angusta, fossis, paludibus, vel arboribus impedita.* Ante conflictum in diuersa castra commeabat Petrogoricus Cardinalis, quò pacem aliquando componeret: ægrè impetratum vt in proximam lucem certamen traheretur. Longam ire noctem ratus Fran-

Ioannes Francorum Rex

Liu. l 22
Veget. l. 9. c. 23.

cus, quæ moram prælio faceret. Anglus interim castra magis magisque communiit: vbi illuxit postero die; tripartito agmine processit Francorum acies, hærente in castris Anglo, vtrinque incitati milites Ducum oratione, vt strenuè dimicarent; hos multitudo, illos necessitas, quæ validissimi instar tali esse solet, accendebat. Tandem dato pugnæ signo cum ccc. Francorum equites sagittis Anglorum obruti aciem totam turbassent; Angli animis aucti erumpunt vndique, ac telorum grandine hostem è superiori fundunt: Regiis liberis prælio excedentibus, cæteri velut iam deploratis rebus fugam faciunt: nullâ deinde vi sustineri hostes potuere. Ioannes Rex dum se temerè magis quàm satis cautè in mediam dimicationem infert, diu sustentato Aquitanorum (qui tum Anglo militabant) impetu vincitur, capitur; & Burdegalam à victore cum Philippo filio, atque inde in Angliam abducitur; volentibus superis, quorum lege immobilis rerum humanarum ordo seritur, inuictissimum Regem, in eius potestatem venire; cui pacem oranti, malo suo fato annuere noluisset. Cæsa Francorum circiter sex millia, M. D. ex nobilibus capti. Carolus Delphinus hostium manibus elapsus, citato cursu Parisios se recepit: vbi præcipitanti Reipub. subsidium præsentius quæreretur. Funesta illa & Francico nomini cruenta dies fuit: quâ ad Orci fauces redacta Francia penè interiit: ac huius commissi sub ipsis Pictauij mœnibus

A. C. 1356.

Ioannes Francorum Rex.

prælij, ciuibusque spectantibus, quàm euentus demum exitialis fuerit, vix exprimi verbis potest.

CAPVT TRIGESIMVM. TERTIVM.

Seditio popularis & Procerum factiones.

CApto Rege, eoque in Angliam abducto, Francorum dolor singularis fuit, & consternatio publica: quam vehementer auxit Parisiensium authore quodam Stephano Marcello orta in Carolum Delphinum Franciæ Rectorem seditio: *vt fortuna quæcumque obuenerit leues vulgi animos repente immutat; prosperis rebus certaturi ad obsequium aduersas, omnes ex æquo detrectabant.* Hanc solutuis è carcere à suæ factionis hominibus Nauarrus, ignominia accensus, Anglusque dudum hostis fouebant; vterque ex misero Franciæ naufragio partes aliquas collecturus. Vilis fuisset Delphini dignitas, nisi vtriusque fœda consilia artesque prudentia singulari peruicisset. Hinc illi Sapientis cognomen inditum est. Diuisa, in factiones vrbs populosissima & primaria, cædes factæ, abstracti iugulatique qui ad tutelam sacrorum confugissent. Nec pax funeribus data: sæuitum in mortuos, eas vulgi turbas fouente ac concitante Nauarro. Carolus ne cui in hac rerum colluuione se ac dignitatem suam contumeliç offerret, prçsenti tempori se subtraxerat, ac in Germaniã ac Carolum imperatorẽ auunculũ (qui forte tum Metis

Paul. Æmy. Froiss. Gaguin. Gont. Nang. Till. Tac. l. 2. hist.

Ioannes Francorum Rex

A. C. 1357. agebat) secesserat, donec populi furor qui atrocissimæ tempestatis instar intumuerat, defæuiisset. Mox orantibus Parisinis reuersus Lutetiam, res nihilo tutiores offendit: animam pene precariam retinens inter infensos, cæsis in eius oculis aulicis ac familiaribus nonnullis, & per summum ludibrium tractis & proiectis ad Petram vt vocant Marmoream: resque cò prouecta, vt à Stephano Marcello Præfecto vrbis Plebeium Capitium rubri ac cærulei coloris,
A. C. 1358. quò vim multitudinis à se auerteret, induere cogeretur. Itaque relicta iterum Lutetia, nobilitatis manum quàm potuit maximam colligit; & seditiosorum agmen, Laqueriam vocabant, depugnare auium in Bellouacis primum deinde in Meldensibus magna vtrobique strage fregit. Inde à Parisiensibus iterum exceptus est, cæsis factionis Principibus Tribunis, penes quos causa atque origo ciuilis furoris fuerat, cæteris contagione insanientibus. Nec sæuitum in
Liu. l. 38 plebem, *abundè satis visum, si nefariæ seditionis authores sanguine luerent, quod admiserant: vnde orta culpa est, ibi pœnam consistere: quippe ad multitudinem castigatio satis est.* Quieta his turbis ab Anglo Francia: nam induciæ in biennium Burdegalæ factæ fuerant; quibus exactis Angliæ Rex Caleto
A. C. 1359. in fines Rhemorum profectus, Parisiorum deinde ac Carnutum vicina loca ferro ignique populabatur. Deductus in Franciam ab eo exercitus, ruinam regni vltimam impellere potuerat, nisi facta tandem in Car-

nutum finibus apud Britiniacum pace. *A. C.*
Francia recepto Rege datis antea obsidi- 1360.
bus post quadriennium captiuitatis à diu-
turna rerum perturbatione paululum quie-
uisset. His legibus Regem dimissum fe-
runt, vt Anglo, Pictones, Santones, Petra-
gorium, Lemouices, Cadurci, Pontiniaci, *Ioannes*
Caletes, cum Guinarum Comitatu, præter *Francorum*
alia quæ tum Anglicæ ditionis erant, cede- *Rex.*
rent ad hæc: 30000. aureorum millia statu-
tis diebus soluerentur. Digna est immor-
tali hominum memoria eximia Occitano-
rum totiusque adeo Narbonensis prouin-
ciæ in Principem captiuum voluntas & be-
neuolentia. Turbantibus penè cæteris. Oc-
citani sumptu omni, choreis, ludisque pe-
nitus interdictis, auro argentoque & vnio-
nibus in publico vti, neue insuper insigni
colore vestes quis indueret, quandiu Rex
teneretur, prohibuerunt; mœrorem Ciuium
publicus dolor in Regia calamitate exige-
bat vltro; vlterius progressa Pietas: præter
mundum muliebrem aliaque id genus in
æs redacta, VIII. armatorum millia ad belli
societatem cum diurno stipendio, Comite
Armeniaco gentis Rectore id potissimum
curante ac promouente, decreuerunt. *Tanti constat in captiuo Principe publica libertas.*
Dimissus igitur iis quas prædiximus con-
ditionibus optimus Rex, singulari om- *A. C.*
nium lætitia (vt est incredibilis Franco- 1361.
rum omnium in Reges suos amor) exce- *A. C.*
ptus, inde Lutetiam reuersus Parlamen- 1362.
tum (vt vocant) per Biennium intermissum;

instaurauit; inde gregario milite vago palantique, omnia passim deprædante, Franciam liberauit: cùmque in Angliam, vt de obsidibus suis liberandis transigeret traiecisset, morbo impeditus Londini moritur regni anno XIV. succedente Carolo V. filio Sapiente: qui loca Lutetiæ vicina vnde in omnia regimen peragrans, longinqua & grauia tum negotia, tum bella, per fratres ac Præfectos suos feliciter administrás adocuit, *non pedes aut manus, sed caput imperare.*

A. C. 1364.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Tumultus Nauarrus & Armoricus.

CAroli V. cognomento sapientis felicitas, regni initio, hærentibus quasi adhuc omnium oculis superiorum temporum nobilis eluxit, quantumque cladis Parentis improspera audacia Franciæ attulerat, tantùm virium, ac roboris filij prudentia & digna imperio mens attulit; vt quod cæca quadam animi temeritate hactenus peccatum fuerat à multis, vnius industria & vtilis tum maximè accisis rebus cunctatio restauraret. Nec inuidit Fortuna eos, quorum is opera ac virtute vteretur. Vigebat adhuc Britiniacum fœdus; quamquam enim bellorum infausta semina tacitè viderentur assurgere; armis tamen vtrinque cessatum est. Suspecta iampridem Carolo

Carolus V. Sapiens Francorum Rex Froiss. Gagu. P. Æmyl. Argentr. Mariana l. 17. hist. Guesel. Till.

Nauarri fides. Nec quietum aut securum fore se existimabat, quandiu is in Eburouicum tractu potens ac validus, ad hæc vicinus Anglo, ex altera parte Francorum ceruici incumberet. Erat ea tempestate virtutis opinione & rerum gestarum ingens Bertrandus Gesquinas è Britonum gente oriundus: hic cum expedito equitatu in grassatores qui ad Sequanam apud Rolebessam ignobile castellum eos fines libera populatione euastabant inuectus: cùm se ab illis pulsum affingeret: simulata trepidatione velut fugitiuus Meduntam primùm, ac deinde Mulanchum, munitissima tunc in finibus Normaniæ oppida vno impetu, magna vtrobique Nauarræorum cæde intercipit. Consternatus insperato nuncio Nauarrus, collectis vndique, vt potuit, copiis, auidus vindictæ in Francos aduolat. Prælium fuit vtrinque vehemens, quòd & Nauarrus Rex ira odioque pugnabat, & Brito famæ ac nominis desiderio æstuabat. Nauarricæ cladis, & Francorum virtutis ac victoriæ testis fuit fluuiolus, Ytonem vocant, haud procul à Cocherello ignobili oppido, capti hostes aut cæsi: Nauarri factio hactenus regnantibus grauis debilitata elanguit, ac breui concidit: Nauarrus aliò migrare iussus Montem Pessulanum Baionamque à Rege possedit. Eodē tractu temporum, malè nuper composita grauis Ioannem Monfortium inter & Carolum Comitem Blesensem pro Britannia Armorica controuersia renouatur: non in foro, sed

Carolus V. Sapiens Francorum Rex A. C. 1385.

in acie ferro diſcutienda, vt *ius Procerum ferè eſt in armis*. Eò vndique bellatorum concurſus, ſaluo fœdere Anglico Franci Carolum, Angli Montfortium ſequuti ſunt. Cum Bleſenſi tota penè nobilitas Britannica, Bertrando Geſquina principem locum tenente, Comitis Bleſenſis cauſa melior, tutior ope Anglica Montfortius, Eduardi Regis gener. Dirempta eſt vna acie lis. Bleſenſis commiſſo acri certamine cecidit: à gregario milite iugulatus, cùm Ducis inſignis magna facinora pugnans edidiſſet, Geſquinas cùm longa nobilium manu in hoſtium manus venit. *Victrix cauſa Diis placuit*, fuit ea Anglis grata victoria, Francos adeo puduit fortunæ Comitis, vt eſſent qui extemplò bellum in Montfortium victorem gerendum eſſe contenderent. Obſtitit Rex, ratus bellū omne nondum bene confirmatis Franciæ viribus fore pernicioſum, vix ſe ita validum vt arcere nedùm inferre poſſet; itaque melior pars tum (quanquam id rarò fiat) vicit maiorem. Actum de Pace. Montfortius Britanniæ Dux renunciatus, & in fidem à Rege receptus, cùm antea viduæ Comitis Pontiberæ Principatum reſtituiſſet. Carolus mitis poſteà operibus claruiſſe fertur. In DD. album ab Vrbano V. S. P. aſcriptus eſt.

Luc.l.1. A. C. 1284.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Bellum Hispanicum secundum.

COmpositis in hunc modum Armoricæ Britanniæ rebus, tumultus Hispanicus Petrum inter Castellæ Regem, & Henricum Alphonsi nothum exortus, pari quo Armoricus ratione, nec ita dissimili euentu, Francorum & Anglorum arma ad se euocauit: ne situ aut otio hebescerent, æmularum gentium tela, quæ breui mutuò in se stringerentur: commoda in primis illa Franciæ expeditio: quippe quam vagi prædones, grassantesque superiorem bellorum reliquiæ variis expilationibus incendiis ac ruinis deformarent. Ex hac hominum colluuione duodecim armatorum millia conflata sunt, quóque alacrius raperentur, pietatis & religionis nomen, cui aduersus Mauros tuendo ac propagando assuerentur, vulgatum est. Delectus Francorum Dux Ioannes Borbonius Comes Marchianus, quem interfectæ à Castellano sororis dolor stimulabat, cum Bertrando Guesquina multis iam bellicis operibus claro, Ferunt extortam à S. Pontifice Vrbano V. in id bellum pecuniam, qua suam Romanæque aulæ libertatem redimere compulsus est: ac infensum propterea omissa Auenione, anno insequenti Pontificem,

Carolus V. Sapiens. Francorum Rex. A. C. 1366. Froiss. P. Æmyl. Mariana lib. l. 17. Hist. Guesq.

Romam Venetis triremibus remigrasse. Propius vero putem, Vrbanum metuentem vim numinis, grauioraque in dies ob desertum à maioribus sanctissimum Religionis domicilium metuentem, in Italiam sedem transferre cogitasse. Copiarum pars Barcinonem appulit: reliqui modicis interuallis sequebantur. Tanto Francorum apparatu, ex periculi magnitudine excitatus, non expectato prælio, Petrus alioqui neque socors neque cessans fugit. Sic deturbato facile Tyranno, captis deditione Burgis aliisque clarissimis ciuitatibus, Henricus in regnum restituitur. Inde Hispalis Iudæorum proditione in Henrici potestatem venit: fugiente in Lusitaniam Petro, is

A. C. 1367. frustra sollicitatis ad bellum Henrico Francisque gerendum Lusitanis Anglorum opes tentat; nec diu cunctatus, Burdegalam vectus VValliæ Principem Anglosque proceres tanta rerum maximarum spe accendit vt ingentibus copiis succinctus in regnum reuerteretur. Petrus igitur ab Anglo exceptus adiutusque ea felicitate fuit, vt Francis deletis capto in acie Guesquina aliisque magni nominis ducibus, in regnum post liminio restitueretur. Verùm cum nec militibus stipendium à Petro promissum daretur, nec VValliæ Principi satis fieret: in Aquitaniam reductus exercitus, Castellani opes ac potentiam haud leuiter imminuit. Henricus interim, solutusque magnificè ac liberaliter Guesquinas, bellum in Castellanum renouant: ac eò quidem vehemen-

Carolus V. Sapiens Francorum Rex

tius, quod is nominis Christiani hostis effectus eiurata fide, inita cum Mauris societate affinitateque, Anglorum etiam arma quasi mox periturus respuisset. Obcæcantur nimirum eorum animi, qui ad exitium nutu Numinis destinantur. Victus itaque à Francis duplici acie, captusque, diis hominibusque inuisus miserabili exitu, sed impietate dignissimo, publicè obtruncatus omnium applausu moritur. Nec desunt qui longè diuersa censeant: luctatos diu, vbi ad mutuum conspectum ventũ est: Fratres, vtrumque ad terram prostratum Henricum (vt fama fert) Gesquina iuuante: substratumque voluente; ac tandem Petrum multis vulneribus confectum, (tetrum) mehercule spectaculum Regem Regumque progeniem in suomet sanguine volutari) à Notho fratre cæsum. Henricus opibus Francorum regium honorem iterum recepit: Hispania, Sarracenicæ seruitutis iugo pridem Francorum ope excusso, per eosdem Tyranno liberata est sæuissimo. Dicerem plura, nisi beneficia numerata minuerentur, aut iterando nostræ gentis laudes, cumularem inuidiam. Guesquinas magnis opibus partaque nominis immortalitate clarissimus, pacatis Hispaniæ rebus, ad spes nouas in Galliam reuersus est.

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Bellum Anglicum sextum.

Carolus VI. Sapiens Francorum Rex. P. Æmyl. Froissar. Gaguin. Hist. Guesq. Till.

A. C. 1368.

A. C. 1369.

A. C. 1370.

Carolus V. repudiatis ex consensu Procerum ac Comitiorum Britiniaci fœderis legibus, cùm occultè Angli Franciæ perniciem molirentur, *miseram pacem vel bello bene mutari* arbitratus; adhæc Aquitanorum ab Anglico iugo ob VValliorum Principis totiusque gentis superbam dominationem resilientium opibus, aliquot Germanorum auxiliis fretus, insuper vexationibus continuis læsus, Anglo bellum terra marique indixit. Is violatæ pacis Francum arguens, comparato exercitu Franciam populabundus ingreditur. Robertus Canotus Anglorum Dux, Caleto progressus Lutetiam vsque terrorem grauissimum oppidanis intulit: inde per Lemouicum fines incenso direptoque oppido, in Aquitaniam profectus est, vt VValliæ Principi aduersus eos qui defecerant, copias coniungeret. Bertrandus Guesquinus, eo anno Equitum Magister à Rege dictus, cum expeditis Francorũ copiis Canotum insequutus, receptis qua vi, qua deditione oppidis multis, ita VValliæ Principem aggressus est, vt is Burdegalam, non vt antea onustus spoliis, sed pudore aspersus redire cogeretur. Hoc Duce Anglorum conatus

repressi; hostes nunc ferro, tunc arte multis locis victi: & quæ superiori tempore erat amissa, Gallicæ genti gloria bellica restituta est. Quo tempore auxilio classis Hispanicæ ab Henrico Castellæ Rege, quasi vicem beneficiorum referret, in subsidium Francorum missæ Angli ad Rupellam maritimo prælio profligantur. Horum partim captæ naues, partim incensæ, aut submersæ sunt, hostium capta ferunt cum ipso Anglicæ classis Duce octo millia: in Hispaniam primum, mox in Galliam transuecta, vrbs Santonum Rupella vel tum firmissima, Anglico præsidio tenebatur: quo deiecto in Francorum deditionem redacta est, præclaræ in Francos Ciuium voluntati à Carolo Rege immunitates datæ, vt hoc exemplo cæteri ad simile factum pulsis exteris accenderentur. Magnæ iisdem temporibus Biturigum ac Burgundiæ Ducum Regis fratrum res gestæ memorantur, in Pictonibus & Santonibus. Subiugata insuper Armorica quæ à Montfortio Duce sollicitata, Anglicanas partes, quanquam inuita sequebatur: sed ineunte anno Francis erepta est; Vasconia ab Andium Duce Ludouico & Magistro Equitum Guesquina, reducto in ordinem Comite Fuxiensi, in fide confirmata est, compositæ in annum induciæ Gregorio XI. summo Pontif. authore cui nonnulli Pontificiæ sedis remigrationem Romam, dimissa Auenione (vbi annos circiter LXX. constitit) ascribunt. Interim VValliæ Princeps Eduardus tabe

A. C. 1371.

Carolus V. Sapiens Francorum Rex Maria. l. 17.

A. C. 1372.

A. C. 1373.

A. C. 1374.

A. C. 1375.

A. C. 1377. confectus fato functus est. Nec ita multò post Eduardus Angliæ Rex: quorum interitus voluptate singulari apud Francos, amissorum gladio ciuium damnum compensatum est: nam finitis induciis grauissimum bellum perpetuus Francorum hostis moliebatur. Angli mortem Carolus in occasionem suam vertit, quam præterea Richardi infantia (vix enim x. annos natus erat) iuuabat insigniter. Igitur ne vultum aduertenti fortunæ deesse viderentur:

A. C. 1378. in Aquitaniam à Francis itum est: eaque breui Regio recipitur, fusis acie apud Bergeracum Anglis; frustra aduentante in Franciam cum exercitu Alancastrio Duce in populares suos, sed Nauarrum in primis Franciæ hostem tueretur. Quo tractu temporis vt Francos inter & Anglos pax aliqua componeretur, Carolus IV. Imperator cum filio Venceslao magnifico apparatu ac regia verè pompa Lutetiæ Parisiorum à Rege exceptus est: sed irritatis vtrinque animis re infecta discessum: bello magis

A. C. 1379. magisque recrudescente. Huius initium ab Armorica feracissimo tum discordiæ publicæ seminario: à Rege Ioannes Montfortius, cùm Anglicarum esset partium, reus maiestatis patriæque hostis habitus est Armoricaque pulsus: sed conscripto Anglorum exercitu, Thon à Eukyngamiensi Duce strenuè se tuebatur. Nam & Nannetas vrbem gentis primariam, quanquam irrita obsidione corona cinxit: quippe Andium Dux Anglos re infecta descedere

Carolus V. Sapiens Francorum Rex

coegit Magnæ cuiusdam felicitatis spes: A. C.
fulgebat, ruentibus vndique in pessum An- 1380.
glorum rebus, cum Guesquinatis Ducis
etiam hostium opinione maximi apud Castrum nouum, cùm in Occitania prædones regionem illam populantes coërceret fato: insuper & intra paucos dies Regis Caroli V. in matûro apud Vicennas excessu, anno regni XVII. Francia adeò afflicta est: vt breui in eas vnde emerserat calamitates reciderit. Dubium est an hunc togatum, an illum armatum magis Angli timuerint, quibus viuis consilio ac ferro sæpius victi ac prostrati sunt. Is fuit mortuo Guesquinati honos à militibus impensus, vt ad eius tumulum dedentis se oppidi claues velut ad victorem deferrentur, vt qui toties vicerat, etiam mortuus triumpharet: nec partam tot victoriis palmam ipsa mors præstantissimo Heroi eriperet. Fuit Carolus præter eam quâ imprimis excelluit prudentiam, liberalium studiorum omnisque doctrinæ & amator summus & admirator: cui plurimum literæ earumque professores debent: sed imprimis clarissima Andegauensium Academia, quam Ludouici fratris Andium Ducis rogatu, priuilegiis iisdem donauit, quibus Aurelianensis à Philippo Pulchro decorata fuerat. Cæterum patri Ioanni ablatum ferro & armis; Massa.
id omne fermè ab Anglis ingenio suo li. 4.
ac prudentia recuperauit. Documento orbis, tùm demùm *fortunatas vrbes fore, si regna sapientiæ sint*: pluraque in

Tac. 1. annu. *summa fortuna auspiciis & consiliis, quam telis & manibus geri.*

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Bellum Flandricum sextum.

Carolus VI. Francorum Rex Froissar. Paul. Æmyl. Papy. Mass. Gaguin. Till. Argent. A. C. 1381.

CArolo V. ad saltum Vicennarum è viuis erepto successit Carolus VI. filius nondum annos pubertatis adeptus: cùm ab Anglis aliisque hostibus recepto in fidem Britanniæ Duce quies esset, intestinis procerum discordiis Francia turbari cœpta est: infante Rege, patruis authoritatem summam in se trahere summa vi nitentibus. Militi stipendium non persoluebatur, plebs auctis vectigalibus tumultuabatur, licet Carolus ingentem pecuniæ vim, ad duodecies centum millia nummûm aureorum reliquisset. Quis crederet initio regni huius tantas fuisse fisci angustias? nimirum vt ferè fit adolescentia Regis qui temerè ac profusè nullo delectu multa largiebatur, & crebra gubernantium mutatione, vniuersa breui exhausta ac dissipata sunt; pudore ac reuerentia exulantibus, vt verè ac prudenter cum sapiente dixeris, *infelicem patriam cuius puer Rex est.* Ludouicus Andium Dux

A. C. 1382. Rector Franciæ Regnique tutor institutus, Oliuarius Clissonus genere Armoricus Magister Equitum à Rege dictus. Ac ea quidem in Francia gerebantur; cum habiti à suo Comite Ludouico seueriùs Flandri,

cum spes salutis à feroci principe esset miseris præclusa, quòd *ultimum malorum remedium est, ex periculo audaciam furoremque induunt.* Illi leuibus primum pugnis; deinde aliquot vrbium direptione, maioribus malis prælusêre: donec tandem tota virium contentione concurrerent. Dux facti Philippus ab Arteuilla seditioso patre natus, & ad omne audendum facinus promptus: *quippe in turbidis rebus, quantò quis audacia promptior, tantò magis fidus, rebusque motis potior habetur.* Is Gandauo eductis ferociter armatorum circiter quinque millibus, confluente, & ad egregij Tribuni signa conuolante in dies multitudine Burgas pergit. Ex occursu Comitis, pugna maiori impetu quàm arte instruitur. Cæsa omnis propè nobilitas, Burgæ captæ expilatæque, vix saluo Comite vilibus latebris tecto. Rebellium furorem ne latius grassaretur, compressit aliquandiu Philippus Audax Burgundiæ Dux Regis patruus: occupato Legiæ amnis ponte, ciuitates proximas deditione facilè recipit, sed crescente in dies seditione Carolus Rex in rebelles profectus est. Princeps factionis ausus iusta acie decertare, ad Rosæbecam profligatur: tanta multitudinis aut mori aut vincere obstinatæ strage, vt LX. millia Albatorum (id erat commune passim Rebellium nomen) eo prælio ceciderint, cæso Duce rebellionis. Burgæ receptæ, Curtracum ferro ignique deletum in vindictam acceptæ olim cladis. Gandauenses Anglo se committunt: sed multis

Tac. 1. ann.

Carolus VI. Francorum Rex.

Mass. l. 4.

A C. 1382.

multis fracti malis, Philippum Audacem in Ducem admittunt: quanto Regis Franciæque damno: breui patebit; nam eo auctus comitatu, ferox, Regnum omne in anceps præruptumque periculum adducet.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Seditio popularis secunda.

Froissar. P. Æm Polyd. Virg. Lilius. Chro.

DVm Francorum arma peregrinarentur, Flandriámque ab fœda rebellione vindicarent, atrocissimis seditionum procellis iactatæ sunt nobilissimæ Franciæ vrbes. Vectigalibus subsidij nomine pressa plebs Parisiensis, fœdo incendio Regiam vrbem depopulata est: nescia scilicet, *neque gentium quietem sine armis, nec arma sine stipendiis, nec stipendia sine tributis haberi posse*, nec sola Gallia popularibus turbis, sed publica quasi conuulsione orbis penè totus hoc temporis tractu laceratus est. Nam in Anglia tenuissimæ fortunæ homines, in nobiles exarserunt; Cantiani ob graue tributum in singula ciuium capita impositum, Strauo & Tylerio plebeiis Ducibus, Simonem Cantuariensem Episcopum, aliosque primariæ authoritatis viros securi percutiunt: Londinum gentis caput diripiunt. Flandria nuper eo malo correpta tam graue damnum passa est, vt ortum ab seditiosis bellum septem ferè annis

Calòrus V. Francorum Rex

gestum ducenta hominum millia absumpserit, ac in Francia grassata est latè ea pestis. Diuiso dudum in procerum factiones regno, materiem furori subsidiis vltra pristinum modum ac morem præbentibus, atque vt leue ferè ac paruum ingentium malorum principium intelligas: initium ab obolo? quem cùm exactore conuitio flagitaret, concursu hominum facto occiditur; quippe Francorum is animus est, vt quamuis grauia, iniuncta imperij munera impigrè obeant, si vis & iniuriæ absint, has ægerrimè ferant; hinc ira & questus, & postquam non subuenitur, remedium ex bello: pacem exuentes, magis præfectorum fisci auaritia, quam obsequij impatientia. Plebs inermis ea cæde velut authorata, ad publicas ædes impetu fertur, effractis foribus, arma telaque, in quibus mallei ferrei ad vsum belli eo tempore fabricati: corripiunt: hinc MALLEORVM seditioni nomen. His exactores confecti sunt tanto furore, vt nec sacer locus à cædibus immunis foret. Id quoque accessit vt sæuitiæ occasionem auaritia præberet, & qui ciuis locuples fuisset, fieret nocens; sui quisque periculi merces. Inde effracto carcere soluti & armati rei: Seditiosi Hugonem Ambrotum vrbis quondam Prætorem vinculis liberatum, sibi Ducem præficiunt, magni nominis virũ & extructis publicè operibus insignem. Verũ ille liber, haud ignarus quantum exitium furor populi suis tribunis ferè adferat, *multitudinemque defensores suos*

Tacit. in vit. ag. id 4. an.

Froiss. Paul. Æmyl. Polyd. Virg. Lilius Chro.

in præcipitem semper locum tollere, & in ipso periculi discrimine destituere: noctu profugit. Mox authore Matesio eloquenti viro, rabies illa paululum desæuiit. Sed noctu principibus seditiosis in Sequanã demersis, plebs iterum concitatur. Aberat Rex Carolus, & Flandriæ Comitem (vt dictum est) ab ALBATIS eiusdem generis hominibus vindicabat. Regressus victor seuero supplicio plebis furorem compescuit. Maresio ipso Regio in Senatu Aduocato, quem multi fouere & alere seditionem dictitabant, capite truncato: atque vt pœna ad paucos, metus ad vniuersos perueniret, de ccc. magna populi commiseratione ac consternatione supplicium sumptum est: nonnulli dimidia bonorum parte multati sunt. Vrbem totam, (adeò grauis ira Regum est,) ferro flammáque perderet: ni procumbentes ad eius genua populus & optimates, miserabili fletu eiulatuque, misericordiam ab irato extorsissent: & grauissimas pœnas inferentem, lacrymis exarmassent. Rothomagum similis furor inuaserat, salutato per licentiam popularem Rege Craso quodam, iubente eo tolli edicto vectigalium & subsidiorum nomen. In hos seueriùs animaduersum qui atrociùs peccauerant. *Vbi reuerentia excessit animis & summa imis confundimus, vi opus est vt vim repellamus: & vt cæteris quies sit, quædam vi tractanda.*

Liuius lib. 6.

Carolus VI. Francorum Rex A. C. 1303.

Curt. l. 8. c. 8. Tac. 1. ann.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Bellum Neapolitanum primum.

HOc tractu temporum vbique gentium atrocissimorum, diuisis in duas factiones Ecclesiæ rebus ac Comitis, Vrbanus VI. & Clemens VII. pro Summo Pontificatu contendebant. Vrbanus Carolum Dirrachium Hungarum Senatoria primum dignitate insignitum, Regem creat Neapolitanum. Omnia nouo Regi opinione faciliora fuerunt: vrbes oppidaque venienti patuere: ipsa Neapolis vrbs primaria eademque clarissima dedita. Ioanna tum Regina famosæ libidinis mulier & infelicibus quater nuptiis viro iuncta, Clementis consilio Ludouicum Andegauensem Franciæ Rectorem Caroli VI. Regis patruum in filij locum ascitum, Regem instituit. Sed mox ab Hungaro, priusquam in Italiam Ludouicus cum exercitu transcenderet; commisso infeliciter prælio, cum Brunsuico Othone coniuge intercepta, & in custodiam coniecta, ac breui; in vindictam Andreæ primi coniugis, quem illa pari fato sustulerat, ea parte vbi viro gulam fregerat, resti suspenditur. Nec demisit spem regni comparandi Andegauensis: sed copiis ingentibus, bellum promouente Clemente Pontifice, à quo Siciliæ, & Hiero-

Froiss. P. Æmyl. Onufr. Sabell. Mariana l. 18. c. 5. & 20. c. 11. Till. A. C. 1380. *A. C.* 1381.

Carolus VI. Francorum Rex A. C. 1382.

solymorum Rex coronatus est Auenione, subacta Prouincia, per Alpes Cottias Italiam ingressus est. Vbi multis incommodis affectus, cùm in hostili esset, ad hæc æstus impatiens Francus fatisceret, Italorumque inuidiâ magna pars copiarum mixtis, nefas! venenô fontibus interiisset: tandem cùm in dies Ludouici exercitus diffueret, atroci prælio commisso victi Franci, sublato è viuis in Apulia Duce, reuerti in propria compulsi sunt, ea vna res, vt maturam, ita infamem fecit victoriam. Nec ita multò post Hungarus in Pannonia à sicariis cæsus est. Neapolitani quasi excusso iam externæ seruitutis iugo liberi VI. viratum instituunt, vt optimatum consilio regerentur. Verùm dissoluta breui paucorum dominatione, Ladislaus à Ponifacio XI. Pont. Max. Rex inauguratur; quanquam regno minimè potitus fuerit: quippe Neapolitani Ludouicum secundum Andium Ducem Ludouici filium magnifico apparatu exceperunt, salutaruntque. Sed eo in Prouinciam reuerso Alberico Barbiano Duce iterum Ladislaus Regnum capta Neapoli occupauit. Quàm fœdæ earum rerum ac temporum tenebræ sint, vix credas. Authores in diuersa trahunt, quippe omissa cum Hungaris controuersia, Alphonsum V. Arragoniæ Regem cum Ludouico II. Andium Duce pro eo regno contendisse latet neminem. Andegauensis Ioannam Reginam Neapolitanam non eam quidem quæ suspendio necata est, vt dixi.

Marginal notes: A. C. 1383. A. C. 1384. A. C. 1386. A. C. 1390. Froiss. Paul. Æmyl. Onufr. Blond. Sabell. Maria. l. 18. c. 5. & 20. c. 2. Till.

mus: sed alteram Caroli Dirrachij filiam intra Neapolim obsedit. Ludouici adiutor præcipuus Sfortia magni nominis ea tempestate Dux. Iamque erat propè res confecta, cùm Alphonsus Arragonius Sardinia recens domita pacataque, aliisque præclarè gestis rebus, sed excellenti imprimis virtutum indole insignis, in auxilium euocatur: quò vt is promptius & alacrius aduolaret, spes regni Neapolitani ex adoptione obiecta est. Nec mora Arragonius missa è Sardinia classe Neapolitanam obsidionem dissipabit; Impensæ præmium operæ fuere in conuentu Principum tabulæ adoptionis recitatæ. Sic illa diuersos prout suaderet necessitas ad se illexit pertraxitque; callida alioqui mulier, si magis rectæ forent eius libidines. Sed quî occulta esse posset regnantium vita, ad quam versæ plerumque omnium mentes oculique? *peccare tacitè; tanta nobilitas nequit.* Hoc primum tot bellorum, quibus mox Italia conflictabitur ad vltimum interitum, seminarium fuit ab hoc principio diuturna atque internecina odia Gallis & Hispanis nata sunt, bellaque alia ex aliis ad nostram ferè ætatem nexa. Quorum dissidiis ex co fonte subinde emergentibus (*adeò miserum est nescire qui melius partas uti securius*) distrahetur misera gens, datura quod luctuosum est; & bello. Theatrum, & victoriæ pretium fiunt vt res cadant, quàm patriæ euastatione, libertatem amissura. Sed hæc strictè forsan & turbatè nimis;

Carolus 6. Francorum Rex

Sen. Thel.

neque enim animus eſt externa latè perſequi, ſatis oneris ſuſtinentibus, rerum noſtrarum, vt inſtituimus, tractatione.

CAPVT QVADRAGESIMVM

Bellum ſacrum VI. in Africa.

Pap. Maff. ann.l.4. Iuſtin.l. 44. Carolus VI. Francorum Rex

DOmeſticis compoſitis, Bellum quàm otium malum; ſi extraneus deeſt, domi hoſtem quærunt, externa ferè toto quà longe patet, orbe bella quærebantur. Sed nulla auidius, quàm quibus Barbarorum extingueretur impietas, & vera coruſcaret Religio, ſigna petebantur. Afri obiectam ſibi Italiæ oram, & eius maris quod inferum appellamus inſulas, aſſiduis incurſionibus vexabant infeſtabantque; Atque vt præcipuæ tum dignitatis (quam ad hæc vſque tempora illibatam tuentur (ea parte Ligures qui nunc Genuenſes; cenſebantur: ita illi maioribus damnis appetiti, præcipuè laborabant. Magna tunc Francorum Anglorumque ex vtriuſque gentis mutua vexatione, & continenti bellorum velut exercitatione, fama virtuſque. In hos Genuenſium ſpes omnis: quibus iuuandis contra vim Barbarorum, vtraque gens ſe impigrè accinxit. Igitur Carolus Rex, ingentes copias cum præcipuo, Equeſtris ordinis flore, Genuam mittit, Ludouico Borbonio maximi tum nominis Duce. Eò profecti, Aruernus & Fuxius Comites,

Conſſyus, Vido Trimolius, Ioannes Viennenſis maris Præfectus, Philippus Artcſius, Philippus Barrenſis, Harcurianus, Piguinianus, aliique multi nobiliſſimi Ordinis Principes: quorum virtute tam indignum otium, quàm victoriæ ac Triumphi digni. Nec inferiores Anglorũ copiæ: quos gentis noſtræ æmulatio accendebat. Horum Dux, Comes Saliſberienſis. Ob id Carolum inter & Richardum Anglorum Regem, induciæ in quadriennium cùm pax iniri non poſſet, prorogatæ ſunt. Copiis Anglicanis liber in Italiam & tutus per Galliam tranſitus, ſi maleficio abſtinerent, datur. Vtriuſque exercitus aduentu, & quod imprimis optandum fuit, tam concordi pro fœderatis voluntate, Læta Genua, Naues quibus tantæ copiæ veherentur, illicò expedit: Commeatus rerum omnium ingens apparatur. Nec mora; ſecundo omnes vento: in Africam appulerunt. Facta excenſione Africa oppidum, vnde nomen Genti, quò territi Barbari confugerant, corona cingitur. Erant Barbarorum Duces præcipui Adinguerus & Brahaliſtes, magnæ & ipſi apud ſuos authoritatis, illi quantò acrius oppugnati à noſtris tantò ſe obſtinacius oppidumque defendere. Nec verò vna Francis Angliſque hoſtium virtus reſiſtebat: inſueti aëris Gallorum alacer & promptus eſt animus ad bella ſuſcipienda: mollis ac minimè reſiſtens ad calamitates perferendas, mens eorum eſt, & ciborum ad hæc longè noſtris

Carolus VI. Francorum Rex.

diuersorum vsus, pro Barbaris pugnabat: diffluente etiam sensim exercitu, quodque omnium infestissimum tantæ expeditioni fuit, Genuensibus à Commeatuum præstatione, vti prius conuenerat, auersis abalienatisque. Alterum ferè mensem traxit ea obsidio, cumque in eo esset Borbonius, vt ab oppido re infecta descederet, commodè accidit vt Barbari pacem peterent, quæ numeratis decem aureorum millibus redditis insuper qui in vinculis habebantur captiuis data est: is fuit belli huius tam læto initio, tantoque apparatu gesti exitus. Reductæ in Franciam à Borbonio copię. Vel hoc tertiò constitit, quàm parum læto ac vtili exitu, tam longinqua in Barbaros bella hactenus suscepta sint. Nec felicius interiecto vix biennio à Ioanne Burgundi filio, aduersus Ammurathem Turcarum Imp. pro Pannoniæ Rege pugnatum est. Quippe is cum delecto Equitatu in Hungariam missus, cùm verè in hostem esset inuectus, fuso deletoque exercitu, victus captusque est ad Nicopolim: ingenti pecuniæ summa redemptus, magno Franciæ damno: namque is postea ciuilium bellorum fax & seminarium fuit.

Cæs. lib. 3.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Principum factiones secundò.

TOto ferè decennio indicta bellis in Francia quies: latentibus intra priuatas aulicorum inimicitias & simultates odiis. Nam in diuersas regiones velut peregrinatum missa arma, variis rerum euentibus occupata sunt, in Anglia, Scotia, Italia, Africa, Aquitania, Flandria, Hispaniaque quiescentibus domi rebus, foris Francica virtus enituit. Tandem velut belli extranei pœniteret, ad cædes domesticas ac ciuiles reditum est discordias: magno ac singulari Reipubl. damno: mox euocato ad partes Anglo veteri hoste, in vltimam Francicæ gentis cladem sæuierunt, transmisso penè in Anglicam dominationem regno. Ioannes Monfortius vulnerato Lutetiæ per Craonem quendam sicariū Clissono Equitum Magistro magnæ tum apud Regem authoritatis, Rempublicam turbauit. Quippe Rex ea re tanto dolore percitus, & vindictæ cupiditate motus fuit, vt cibo, potu, & somno abstineret: cúmque magnis diei caloribus comparato ingenti exercitu in Armoricum proficisceretur, mentis inops repente ac furiosus, lapsus in insaniam apud Cœnomanos, rebus gerendis finē imposuit. Tum patrui Regis Lutetiam reuersi, regni

Carolus 6. Francorum Rex. Froiss. P. Æmyl. Gagu. I. Iuu. urs. Argent. A. C. 1392.

administrationem suscepere; Aurelianensi duce Ludouico Regis fratre, quod nimium iuuenis videretur, ex ea prouincia excluso, Clissonus vir nunquam sine elogio honoris nominandus, procerum odia infracto inuictoque animo sustinuit: Armoricumque armis sic fatigauit priuatus, (nam in eius locum Philippus Essuorum Comes suffectus fuerat) vt pacem, &, nisi obstaret dignitas, legem à Magistro Equitum Britanniæ Dux cogeretur accipere, quo tempore Carolus in meliorem mentis statum Arselij cuiusdam medici industria receptus cum Richardo II. Anglorum Rege congressus eidem Isabellam filiam annos fere VIII. natam despondit: pactis in triginta annos induciis. Hunc mox Henricus Alencastrius regno deturbauit, remissa ad Carolum patrem Isabella. Genua etiam per Antoniolum Adurnum Regi Carolo se submisit. Immortales interim inimicitiæ Ioannem Burgundiæ, & Ludouicum Aureliæ Duces inuadunt: frustra Biturige annitente, vt inter consanguineos Principes, sed naturaliter dissimillimos, ac diuersa volentes crescente odio, discordiæ extinguerentur. Inde orto initio vnde omnia mala, ambitu auaritiaque Rectorum, ac dudum impotentiam rationis Rege. Nec odij finem fecit Burgundus, donec æmulū per summum nefas, in media Parisiorū ciuitate sicariorum manu iugularet. *Latuisset occultum scelus, si pari facilitate velari possent flagitia quã fiunt.* In Flandriam illico abiit, immane parrici-

A. C. 1394.

Carolus 7. Francorum Rex

A. C. 1395.

A. C. 1396.

A. C. 1397.

A. C. 1400.

A. C. 1407.

Aur. vict.

dium, si opus esset, defensurus armis. Vocatus ad causam, multo equitatu fretus, & longa militum turba septus adfuit. Armato data venia Ioan. Paruo Theologo parricidium inepte ac impiè defendente: frustra expostulantibus, Valentina vidua, & Aureliani liberis. Hinc ciuile bellum ob duarum familiarum controuersias enatum est, quo Francia nondum confirmata de tot morbis valetudine relapso in amentiam Rege, vltimo penè exitio confecta est. Immanes pecuniarum exactiones, pestilentia, nec non fames; ac ne vllum miseriarum genus deesset; atrocissimæ seditiones à vilissimis hominibus, Burgundi, factione excitatæ sunt, ferrum acuentibus in Aurelianos laniis, atque adeo Duce ipsorum Cabocheo euisceratore: Anglo insuper, ab Aurelianis in cædis vltionem accersito. Is quasi nocendi non iuuandi societatem iniisset, ne inito quidem inter partes fœdere quieuit; nec Ludouico Delphino regni administrationem occipiente, à mutuis simultatibus irritati proceres discessere: quo tumultu rerum Francicarum, facilè Anglorum copiæ ab Henrico V. in Galliam traiectæ, diuisis nostris grauissimum vulnus Reipubl. infixere. Nam Arifloro expugnato, ad Agincurtum circa Blangium commisso prælio, decem Francorum millia, cum multa nobilitate occubuerũt: totidem ferè capta sunt, Duces interempti Alenconius, Ambarus, Brabantinus, Niuernensis, Albertus magister Equitum: capti Aurelianensis & Bor-

A. C. 1409.
A. C. 1410.
A. C. 1411.
A. C. 1412.
A. C. 1413.
A. C. 1414.
Calorus 6. Francorum Rex
A. C. 1415.

bonius Duces, aliique complures. Tenet fama, pridie eius diei quo male à nostris pugnatum est; eum ipsum in quo concurrerunt locum, aquâ lustrali conspersum per Balduinum Ruifelli-villanum Abbatem, contrario, quàm creditum fuerat, sensu, omen dedisse futuræ cladis; fore scilicet, vt ibidem strati Francorum ordines tanquam in suo conderentur sepulchreto. Tentata per Sigismundum imperatorem pax: sed in irritum cessit tanti principis pro componendis regibus labor: cùm is iusto esset ferocior, ille valetudine infirma, suorumque controuersiis inualescentibus premeretur. Anglus Bedfordiensi cum
A. C. nouo militum supplemento in Norma-
1416. niam præmisso Francos nauali prælio vi-
A. C. cit, Ariflori nuper Rectore profligato ela-
1417. tos: tum ipse cum ingenti classe traiiciens in continentem, Cadomum, Bellocassum, Lexouium, & ipsam Normaniæ principem vrbem Rothomagum, aliasque vrbes expugnat. Lutetia interim proditione intercepta est à Burgundi satellitibus; Armeniacus magister Equitum cæsus, ægrè euadente
A. C. Delphino. Pudet hîc miserabilem, quæ tum
1418. sese offerebat, Franciæ statum referendo, refugiente potissimum stylo, continuare. Rex, Regina, Regnum penè totum, in Burgundi arbitrium cessere. Sed multis ac frequentibus seditionum turbis subinde iactata Francia, vt tanto facinori sua pœna redderetur, vrgebat parricidam & patriæ hostem dignum scelere fatum. Vocatus ad

colloquium per speciem componendæ pacis à Carolo Delphino, manú ferro imprudenter admouens, apùd Monteriolium ad ostiumIcaunæ fluuij vbi Sequanæ immiscetur, à Tanaquillo Castello interfectus est. Sic cædes cæde expiata, & manibus Aurelianensis Ducis parentatum. Sed cuius vita Franciç exitialis fuerat, mora æquè funesta fuit; Philippo filio, Carolum Regem, Reginam, Lutetiam, se suaque omnia imo Galliam penè totam Henrico V. Anglorum Regi permittente: tanta erat vindictæ cupiditas: innumera mala cladesque extiterunt. *I nunc, & discordias ciuiles, si potes, lauda: illæ Regem è libero seruum fecerunt: ecce tibi ille quos necessarios, & fratres natura genuerat, hostes & alienos discordia effecit, eoque bello commisit, quo cadere luctuosum est, vincere sceleratum.* *Mass.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Anglicum septimum.

HEnricus V. Angliæ Rex acceptâ in vxorem Catharina Caroli Regis filia Rector Franciæ appellatus, reuersus in Angliam magnificè à ciuibus suis quasi orbis terrarum Victor excipitur. Sed cæso Clarentiæ Duce fratre in Andibus apud Baugeum ab Caroli Delphini exercitu Ioanne Stuarto Scoto Duce, suffecto in eius lo- *P. Æmyl. Froiss. Monstrol. Fanin.*

A. C. cum Somersetensi, ipse cum altero fratre
1420. Bedfordiensi, iterum in Galliam trans-
A. C. misit bello certaturus in hæredem regni,
1421. quem irati ac furiosi Parentes proscriptum
A. C. in Tricassibus regno summouerant. Ve-
1422. rùm eo incredibili suorum luctu, Franco-
rum singulari voluptate è viuis sublato ad Vicennarum saltum, nec ita multò postCarolo VI. Regum sui temporis miserrimo, regni anno ferè XLII. extincto; partium
Carolus Duces creati præter Philippum Burgundiæ
7. Ducem, Bedfordiensis & Glocestrensis,
Franco- Henrici fratres: hi Carolum bis acie vin-
rum Rex cunt, dum fusi exercitus reliquias Carolus
A. C. colligeret. Angli fanum siue montem D.
1425. Michaëlis, cuius radices reciprocatis æsti-
busOceano alluuntur, arduo ascensu arcem frustra obsident. Apud Vernolium initio pugnæ victi à Francis Angli, mox Duce Bedfordio victoribus victoriam eripiunt. Broductum ad Ligerim Anglorum in Francia imperium, tantum fastum genti natura sua superbæ attulerat, vt Carolum VII. Biturigum, id est, vnius ciuitatis Regulum per deridiculum vocitarent. Quacumque Anglis iter erat, Franci fugere: vrbes (si
Carolus quæ supererant) expugnari: tam tristi ac
7. luctuoso rerum nostrarum periculo, vt
Franco- Christianissimo Regno, quod per M. &
rum Rex amplius annos steterat, interitus immine-
A. C. ret. Prosperis rerum suarum successibus
1427. inflati Angli Aureliam obsident: expu-
A. C. gnassentque deletis nuper in Halecum, vt
1428. vocant, pugna Francorum aliquot cohor-

tibus, nisi ciuium nunquam satis laudanda fides, ac singularis virtus, cæso Sarisberiensi Comite Anglorum Duce, eo bello enituisset. Tum Aureliæ oppugnatio segnior fuit: Ducum etiam discordia, Anglorum res in peius abiere: & superi Franciæ calamitatem commutare in melius cœperunt: vt *fortuna* quæ vt solet *quos diu persecuta est, velut fatigata repente destituit, tandem nobis aduersa, Anglos (quibus illa nimium fauerat) in medio cursu victoriarum desereret.* Vell. 2. Ioanna puella annorum XVIII. ad erigendos Francorum animos quasi missa diuinitus opportunè adfuit, quæ fluentem procumbentemque Remp. sustineret, erigeret. Hæc Anglos cum aliquot expeditis Equitibus adorta vicit: Archangelo insuper Michaële (cuius mox Equestris ordo in facti memoriam à Ludouico XI. institutus est) pro Francis depugnante. Aurelia liberata aliisque vrbibus receptis, profligatis A. C. 1429. iterum apud Pataium in Belsia Anglis, capto Talboto Anglorum Duce præcipuo, vires Francorum quæ tot aduersis penitus conciderant, erexit. Nec diu cunctata territis iam Hostibus instat. Regem Carolum per medios hostes Rhemos, vbi more maiorum inungeretur, ducit. Capta ab hoste Compendij cum in Anglos erumperet, ad Somersetensem Ducem mittitur: deinde virtutis in virgine inuidia & iniuria, Magiæ falso damnata, quæ Franciæ incendium A. C. 1430. virilis animi Puella extinxerat, Rothomagi incendio absumitur. Non inuiderunt A. C. 1432.

laudes suas Puellæ tam insigni viri Francici, adeo tunc sine obtrectatione gloriæ alienæ viuebatur: nam eius statuam ex aduerso Caroli VII. in medio Aureliorum ponte, vrbis seruatæ & partæ apud posteros famæ monumentum Ciues erexerunt. Dixisses in hac tantæ virtutis puella hæsisse aliquandiu velut deprehensam Anglorum felicitatem: qua tandem sublata, remotus ad Fortunæ cumulum obex credebatur. Ex Henrico V. & Catharina Caroli VI. filia natus Henricus VI. Angliæ Rex decimum ætatis annum agens in primario Lutetiæ templo Franciæ Rex coronatur. Nihilo tamen secius Res Anglicæ in pessum ruere magis magisque incipiunt. Induciæ in sex annos Legati Pontificij authoritate pactæ, post sextum mensem violatæ sunt, vt bellum magis recrudesceret. Traducto in Angliam Henrico Talbotus liber in Angliam remissus, ac breui in Galliam reuersus Normaniam omni bellorum iniuria vexat. Burgundionem interim tot malorum machinatorem pœnitere cœpit: ab Anglis seiunctus, in Francorum partes tandem traducitur præmiis ac promissis ingentibus sollicitatus. Factiones diuturnæ nimis inimicitiæ sopitæ penitus ac sublatæ. Mortuo Bedfordiensi pace ac bello illustri viro, Lutetia quæ nuper Henricum Sextum salutauerat, velut receptum ex naufragio Carolum VII. Regem suum faustis acclamationibus, vt *magna est vis post diuturnam ægritudinem, atque mæstitiam surgentium,*

Carolus 7. Francorum Rex

A. C. 1434.

A. C. 1435.

A. C. 1436.

Lumen. Paneg.

gaudiorum, excepit: in qua vindicanda ab Anglis vrbe, Villarius tàm se strenuum præstitit, quàm se in ea Hostibus prodenda perfidiosum præbuerat. Cæteræ Ciuitates Parisiorum exemplum vltro sequutæ sunt. Carolus res suas adeò prosperas & florentes è calamitosis ac propè perditis vidit, vt misso in Germanos exercitu, Heluetiis fusis reuersus in Franciam Victor, Carnutum, Rothomagum omnemque profligato ad Forminiacum vicum Anglo Normaniam, Burdegalam, aliaque Aquitaniæ oppida: ac tandem cæso in acie ad Castellionem in Petrocoriis Talboto, vniuersum regnum reciperet; tam felici Francis fortuna, vt nihil reliqui Anglis in tota continenti præter Caletum foret: hic Anglico bello finis impositus, ciuilibus discordiis in Angliam eiectis: vt ea viciſsim in factiones Eboracensis & Somersetensis Ducum distracta, perpetuis nobilium cædibus ac ciuium suorum cladibus funestaretur. *Sic vrbium, gentium, imperiorum fortuna nunc floret, nunc senescit & interit. Mars communis & victum sæpe erigit, & affligit victorem.* Nisi melius & Christianè magis, placuit summo Regum Regnorumque Principi Deo, sursum versum reponenda denuo in melius, quasi naturæ vanno exercere ac purgare. Cæterum CAROLVS tot rebus pro se ac patria gestis, relicto LVDOVICO XI. filio qui nuper à Parente secundò secesserat, post regni annum XXXVIII, VICTOR, AVGVSTVS, PATRIAE LIBE-

A. C. 1444.

A. C. 1450.

A. C. 1453.

Carolus 7. Francorum. Rex.

RATOR REGNI RESTAVRATOR, Magduni Biturigum, fato fungitur, metu veneni & longa cibi abstinentia enectus, visceribus nimirum multa fame arescentibus, ac penitus interclusis. Nullus eo Rege maius suis ciuibus, sui desiderium reliquit. *Heu quibus ille iactatus fatis! quæ bella exhausta! nunquam exhausta virtute ex casu & clade, fortior resurgebat.*

Iust. de Mithr.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Imperium Orientis translatum ad Barbaros.

DVm hæc in Gallia gererentur immanes Orientem turbæ fœdè lacerabant Byzantinis Regibus Triballis, & Mysiis maximo inter se bello ita flagrantibus; vt Turcicæ seruitutis quasi antelucana, nobilissima orbis terrarum pars præuideret. *Ioannes Catacuzenus* Ioannem Palæologum imperio exuerat; hic cum Turcis necnon Genuensibus inita societate hostem vicissim expellit, & sacris addixit frustra deinceps noua molientem. *Orchanes* Othomani filius redactis primum in ordinem fratribus Turcarum Rex, Moldauiæ Regulo Susmano profligato, Adrianopolim inuadit, in eaque imperij sedem designauit. Nec longo post tempore *Amuratus* Sulaimanis frater, quem vt ditionis, ita & cupi-

A. C. 1341.

ditatis suæ hæredem ac successorem reliquit, in Græciam progressus Bulgariam, vtramque Mysiam, aliasque passim regiones rebellantibus interim Asiaticis, imperio adiunxit, ex rebellio impetum morata est. Itaque relicto Sauze filio, in Asiam iter instituit ac compositis cum Satrapis rebus, in Sauzem, qui bellum pariter mouerat, reuersus; eumdem captum oculis mulctauit, pari pœna Andronicus Calo-Ioannis filius à Parente affectus est, qui idem cum Sauze admiserat; nam à suo vterque Patre defecerat ea coniuratione, vt si quid ingrueret alter alteri auxilio esse ne cunctaretur; erat quippe tum temporis magna Constantinopolitanorum cum Barbaris societas. Interfecto à vili mancipio Triballo, Miloen vocant, Amuratho, *Baiazetbum* filium illico Regij Satrapæ qui Ianizariis præerant imperatorem salutarunt, quo fere tempore Persæ religionis suæ sensu, à Turcis diuisi & Sophi eorum Principes primum appellati. Interim Andronicus cæcus Constantinopolim intercipit, Patrem cum Emmanuele fratre coniicit in vincula. Sed mox à Barbaris liberati sunt, quorum insolentiam ac fastum ferre cum Emmanuel non posset, bellum ortum grauissimum excitatis in Turcas Sigismundo Imperatore, Gallis ac Germanis Pannonibusque quamplurimis: quorum ingentes copias Baiazetes ad Danubij ripam capto Burgundionum Duce totius belli imperatore profligauit. Turcæ Bizantium corona

A. C. 1370.

A. C. 1377.

A. C. 1380.

A. C. 1384.

A. C. 1391.

A.C. circumſident, quo tempore Græcorum Im-
1395. perator, in Galliam auxilia in Barbaros petiturus profectus eſt. Sed Rege Carolo VI. in furorem lapſo, re infecta diſceſſit, Anglis etiam nobiliſſimum regnum bel-
A.C. lo infeſtantibus; exactoque ferè decennio re infecta, Baiazethus à TAMERLANE
1397. Tartaro Sangalis tenuiſſimæ ſortis viri filio; victus & in cauea ferrea incluſus indigniſſimeque diu habitus, Regis infelicita-
A.C. tis exemplum fuit: huic ſucceſſit IESVA filius qui ea re imprimis memorabilis eſt
1403. quòd Chriſto, vt ferunt, exuta barbarie nomen dederit. Luſtralibus aquis tinctus Conſtantinopoli. Sed vix exacto anno cæſus in acie occubuit, *Muſulmane* fratre imperium arripiente: ſed hæc veriùs Ieſuæ minori, quàm illi priori aſcribenda puto: quem conſtat Chriſtianorum ſacris fuiſſe initiatum. Cruentas inde dedere tragœdias Barbari, mutuis cladibus occumbentes, donec fratrum vltimus Mahumetes, imperio potitus eſt. Sed breui raptus è viuis eodem quo Emmanuel Græcorum Imperator anno, exceſſit: hunc ſe-
A.C. cutus *Amurathus* II. is qui Ætoliam, Bœo-
1410. tiam, Atticam, Epirum ac totam pene Græciam inuaſit. Nec longè abfuit ab vlti-
A.C. ma pernicie Conſtantinopolis, obſeſſa arctè quidem; ſed graſſante in caſtris lue
1419. Barbari abſcedere ab ciuitate coacti ſunt. Ioannes Palæologus tum imperabat. Amurathum nonnulli authorem eius militiæ ferunt, quæ prætorianæ cohortis inſtar, Tur-

carum imperatorem perpetuò comitatur; Ianissarios vocant, tantò Principi fidos magis & deditos, quòd ignotis parentibus, eius sumptibus, educantur; verum eam Otomano illi magno nuper tribuimus: hic Europam ingressus, flagrantibus Christianorum ob Religionis dissidium rebus, occupato scilicet contra Hussitas hæreticos Sigismundo, ab Alberto Austriaco Imperatoris genero grauissima strage affectus: sed ab Ioãne Huniade diuersis præliis prostratus est; Constantino Palæologi Imperatoris fratre Peloponnesum cõmodè barbaris eripiente. Demetrij fratris singularis perfidia extitit: hic contractis Turcarum copiis Byzantium aggreditur. Inde pulsus in Peloponnesum se recepit: sed ea breui ab Amuratho eiectus est. Excurrisset in Europã longius Amurathus, nisi eum ad se Georgij Calcioli, siue, vt notiori nomine designetur, *Scanderbergi* Ibanici filij rebellio euocasset: hic Turcicis moribus, legibus ac disciplinis institutus, Epiri seu Albaniæ principis filius, in Turcarum exitium multorum adoleuit. Nam eos multis præliis quamuis multitudine longè esset inferior vicit prostrauitque. Amurathus interim xxxij. ferè dominationis anno extinguitur. *Mahumetus* II. in eius successit locum, Christianè quidem eruditus ab optima parente, sed cito perditus adolescens à bonis ad mala desciuit: hunc etiam pari cum Amuratho parente fortuna & clade afflixit *Scanderbergus*. Itaque versus Turca-

A. C. 1436.

A. C. 1441.

A. C. 1443.

A. C. 1445.

A. C. 1450.

A. C. 1451.

rum & Byzantium impetus. Nec multis vt nuper annis opus fuit, quibus caperetur; LIV. obsidionis die clarissima ciuitas, Roma
A. C. altera, orientis diu caput Constantini il-
1453. lius magni singulare opus à Barbaris expugnata est sub Constantino Palæologo. Scilicet hoc velut fatale erat, vt quæ vrbs in-
A. C. crementum ab Constantino Religionémque
1481. acceperat, sub altero Constantino Christiana esse desineret. Barbarus hoc elatus successu, multas terra marique regiones occupat, Rhodum etiam aggressus, sed frustra, cùm in Ægyptum moueret fato functus est.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Imperij Occidentalis status.


A. C. CArolus IV. Boëmiæ Rex is qui Fran-
1346. cis in pugna Carisiacensi contra An-
A. C. glos (vt dictum est) militabat, ascitus in
1377. Imperatorem Franciæ & Angliæ Reges positis inimicitiis componere conatus est, nam Parisiis cum Venceslao filio magnifico apparatu exceptus est. XXXII. Imperij anno fato functus Venceslaum filium reliquit degenerem virtutis successorem: cùm enim
A. C. stupidus esset & ignauus, Cæsareo insigni
1400. priuatur: suffecto in eius locum Friderico, quem statim vix mense in Imperio posito coniurati interfecere. Venceslaus interim

Luxemburgensi Ducatu Carolo Francorum Regi tradito, à Sigismundo fratre Hungariæ Rege captus, ac traditus Alberto Austriæ Duci, in custodiam mittitur. Cæso Friderico procerum delectu imperio assumitur Robertus Comes Palatinus vir strenuus & impiger, qui cum vigilantiam Venceslai ignauiæ opponeret, contrariis artibus quàm ille amiserat imperium, seruauit. Huius tempore graues turbæ ab Hussitis exortæ, Boëmiam, Hungariam, aliasque Germaniæ gentes fœdissimi incendij instar peruaserunt. Hunc secutus Sigismundus Brandeburgus Marchio, hic componendæ Francum inter & Anglum pacis causâ vtrumque adiit: sed infectâ re, cum Anglus imperium augeret: Francus quod ereptum fuerat recuperare armis (cùm nulla alia honesta ratio esset relicta) statuisset: in Germaniam reuertitur, vt Hussitas in Constantiæ Concilio eius studio óperaque coacto damnatos, omnia bello permiscentes, comprimeret: verùm ita aduersa fortuna vsus, vt à Rebellibus sæpius atrocissimas clades acciperet, illi latè diu populati omnia, suis tandem fracti contentionibus in ordinem redacti sunt. Horum reliquiæ in Poloniam reuersæ, tum interiecto fere quinquennio Sigismundus religionis amantissimus è viuis ereptus est XXVII. imperij anno, nec diu cunctati Germaniæ principes Albertum Austriacum Generum imperio præfecere, eo cum Casimiro Ladislai Poloniæ Regis fratre pro Boëmiæ re-

A. C. 1410.
A. C. 1416.
A. C. 1417.
A. C. 1419.
A. C. 1432.

A. C. gno armis contendente, Amurathus Hun-
1438. gariam ingentibus copiis ingressus popula-
tur: magna Albertus II. pollicebatur cum
A. C. imperij secundo anno sublatus est: in eius
1439. locum suffectus Fridericus & eadem stirpe
A. C. oriundus ac III. appellatus. Fœdæ interim
contentiones Boëmiam conuellunt ob La-
1440. dislai posthumi Regis infantiam, nec leuius
A. C. in Hungaria Poloniaque turbatum: magnæ
2443. res gestæ Ioannis Huniadæ in Amurathum
Turcarum Imperatorem memorantur: vt ab eo pacem petere Barbari ter magna victi pugna cogerentur. Breui tamen totis vtrinque viribus in Bulgaria apud VVarnam concursum est dubia victoria, Turcarum XXX. millia, Christianorum VI. cum Vladislao Poloniæ Rege, cæsa sunt. Huniades captiuus, mox persoluto captiuitatis pretio liberatus est: variis inde cladibus Barbaros afflixit. Fridericus interim otio deditus vt propterea pacificus diceretur: in contemptum ciuium lapsus ab iis indignissimè habitus est. Mathiæ Hungariæ regnum concedere vi & armis cogitur: qui victis Turcis, Friderico imperatori,
A. C. Viennam atque adeo Austriam omnem eri-
puit. Fridericus imperij diuturnitate quàm
1476. rebus gestis felicior. LIV. annos imperato-
A. C. ris nomen sedemque tenuit: excessit è viuis
1486. anno CIↃ. MCDXCIII. Maximiliano Rege
A. C. Romanorum relicto.

1493. *Finis Libri Tertij Flori Francici.*



FLORI FRANCICI
LIBER QVARTVS.

CAPVT PRIMVM.

Bellum Ciuile nonum inter Proceres.

LVDOVICVS XI. post sextum ferè secessus sui annum, audito Caroli patris excessu, è Flandria in Paternum regnum illico reuersus, Ioanne Alenconio, quod Anglorum in Galliam exscensionem sollicitasse diceretur Perduellionis reo, vinculis quibus detinebatur præter omnium spem soluto, non vulgarem Regiæ humanitatis ac clementiæ famam ipso regni initio concitauit. Carolum fratrem Biturigibus, Carolum Carcellensem Philippi cognomento Boni, Burgundiæ Ducis filium Normaniæ præfecit; Ruscinonési comitatu ccc.

LVDOVICVS FRANCORVM REX.
P. Æmyl. Phil. Com.
A. C. 1462.

aureorum nummûm millibus oppignerato sibi; Ambianum, Fanum Quintinianum, aliaque ad Somonam amnem oppida & castella, Philippo Burgundo eodem modo ex Atrebatensi fœdere à Patre transmissa, numeratâ pecuniâ recepit. Ea res Carcellensem primùm ab Rege disiunxit; eo accessit Croiorum (quorum ampla numerosaque erat familia) à Duce ad Regem defectio: tum aliæ atque aliæ conceptæ subindè suspiciones ac simultates, quæ breui in aperta vtrinque odia ac bella desciuerunt. *Adeò rara est inter Principes consanguineos concordia.* His igitur initiis, vix recuperatâ de tot malis valetudine, Francia ciuili Procerum discordia in grauissimum morbum recidit. Ludouicus ad hæc cùm fidissimos Caroli Patris ministros, quorum operâ res Anglicæ corruerant penè sperneret, præfecturas nouis hominibus (*quasi verò non esset is nobilissimus qui optimus, aditusque ad magistratus regni vni tantum nobilitati pateret, virtuti præclusus.*) deferret, fortium virorum animos à se diuertit alienauitque. Coniurationis & belli Principes extitere, Dux Biturigum, Carolus vnicus Ludouici Regis frater, qui Turonibus, quasi venatum iret citatis equis ad Britanniæ regulum persuasus ad Odeto Lescuno euaserat, Carcellensis Comes Carolus, quem vt prædiximus initio Principatus Rex Normaniæ præfecerat; sed leuibus ex causis ortæ inimicitiæ, vt affectus Principum sic & publicam quietem turbauerant; Franciscus

A. C. 1463.

Ludouicus XI. Francorum Rex A. C. 1464.

Britanni

Britanniæ dux, cæterorum longum agmen:
inita inter tot tantosque Principes poten-
tiæ societas quæ Galliæ vniuersæ, nec mi-
nus diuerso quoque tempore ipsis exitialis
fuit: quòque facilius ad se Francorum ani-
mos pertraherent; hanc vulgo belli in Re-
gem mouendi causam obtendunt BONVM
PVBLICVM, quod egregiè simulantes
pro sua quisque potentia ac dominatione
certabant: vt appareret satis, queri magis
quorum in manu quam vt incolumis esset
Respubl. Palam insuper iactabatur in vul- *Tac. 1.*
gus, tolli vectigalia oportere, quibus mise- *1. ann.*
ra plebs premeretur: quasi arma ciuilia, aut *id 4.*
parari, aut haberi possent, vel per bonas ar- *Hist.*
tes, libertas ac speciosa nomina prætexe-
bantur: nec quisquam alienum seruitium
& dominationem sibi concupiisset, vt non
eadem ista vocabula vsurparet: frustra an-
nitente Ludouico vt positis inimicitiis ho-
nestoque turbarum obtentu, ad obsequium
reuerterentur; nam irritati dudum animi *Ludoui-*
eò erigebantur magis, quò blandiùs & hu- *cus*
maniùs ab Rege tractarentur. Primus om- *XI.*
nium in armis Burgundus, rem promouen- *Franco-*
te haud segniter Ludouico Lucemburgensi *rum Rex*
Fani Paulini Comite: is cum ingenti exer-
citu Lutetiam aduolat terretque. Sed Re-
gis præsentia confirmata vrbs primaria,
cuius ferè exemplo cæteræ aut continen-
tur, aut nutant, mansit in fide: Biturigum
Dux & Britannus magnis copiis instructi,
ad Burgundum accelerant. Ludouicus Rex
veritus ne hostes castra iungerent, ac spe-

cie sanctissimæ causæ vrbem Regiam adeoque regnum vniuersum in partes traherent, positis ad Letericum montem castris, quanquam viribus esset inferior, & solâ fortis maiestate videretur, copiam tamen pugnæ fecit. Acriter pugnatum est, ex partium contumacia, ac primo conflictu ita discessum vtrinque, vt dubia esset victoria. Burgundus, vt erat generoso imprimis animo præditus, in primis ordinibus fortissimè pugnans summum vitæ periculum adiit; graui vulnere aduersum pectus ictus ac penè captus dissipatis suis fugit. Cecidisse ferunt hostium duo millia. Prælium nox diremit. Rex in Normaniam ad maiores copias conscribendas profectus est, Coniurati absente Rege iunctis copiis Parisios iterum tentant, ac deditionem faceret populosissima ciuitas, ni rex validissimis copiis subnixus commodè adfuisset: Heluetio milite nulla maiorum ætate ad id tempus viso vsus. Sed prodito Carolo fratri Rothomago, vltro ad pacem omnes animum adiecere: ac Ludouicus quidem imprimis, qui ex Ludouici Sfortiæ consilio, callidè quouis modo pretioque distrahi oportere coniuratos intellexerat. Igitur in gratiam cum Rege reuersi omnes, singuli diuersis temporibus à callido Rege oppressi sunt. Carolo fratri Normaniam; Carcellensi Comiti pugnâ infeliciter ad Nancium Lotharingiæ primarium oppidum commissa cæso, Burgundiam & Belgij partem maximam eripuit. Britanni fors di-

A. C. 1465.

Marian. l. 23. c. 12.

lata magis quàm omissa. Inde per triennium ferè Gallis domi quies fuit: militum quæ supererant copiæ in Hispaniam aduersus Arragonios longis itinerum internallis Renato Andegauensi cui à Catalaunis delatus fuerat principatus, Ioanne Armeniaco Duce dimissæ sunt: initiis lætis, sed non ita pari exitu gestę res in Hispania, Barcinone vltrò deditâ, obsessa Gerundâ, Ferdinando Arragonio insuper ad Villademarium oppidum acie superato: cui inter tot mala, melioris fortunæ omen, restituto derepente (erat enim cæcus) oculorum, vsu quem insinuata sensim albugo eripuerat, apparuit. Susceptam ex Regis sanitate lætitiam excepit soluta Gerundensis obsidio, hyemisque incommodo & rerum difficultate omnium Gallorum alacritas extincta est. Hoc primum bello, Gallorum primi impetus plusquàm virorum validi, arte potiùs quàm viribus sustentati sunt ab Hispanis.

Ludouicus XI. Francorum Rex.

CAPVT SECVNDVM.

Bellum Burgundum tertium.

COmparatis ad arma in Carolum Burgundiæ Ducem Eburonibus id moliente tacitè Ludouico Rege, vt bellum semper ex bello sereret, & hosti inquieto noui semper belli materies prębeeretur, Belgicæ regiones, haud exiguis damnis conflictabantur. Carolus ducto secum Rege, qui

P. Æmyl. Phil. Com. Monstrel. Belca.

A. C. 1468. A. C. 1469. Peronam ad colloquium Ducis cum paruo comitatu, accepta, vt moris eſt, fide profectus, imprudentiùs ſeſe hoſti commiſerat, ferro ignique vrbem delet. Ludouicus reuerſus data Carolo Biturigum Duci fratri Aquitania, inſtitutiſque S. Michaëlis Equitibus, in Burgundi perniciem cum regni proceribus cõiurat; habitis Turonibus omnium ordinum comitiis: ac potiſſimum vehemens fuit Ludouici Lucemburgenſis fani Paulini Comitis, ac magiſtri Equitum ira. Vocatus igitur Burgundus ad Comitia, cùm Regis imperium eluderet, & quod multo grauiſſimum eſt ſperneret: momento temporis in eum inuectus Mag. Equitum, Fanum Quintini, Ambianúmque reſtituta nuper Burgundo oppida occupat: hoc velut præludium fuit bellorum, quæ longè vehementius exarſiſſent, vocatis à Burgundo Anglis, niſi Caroli Regis fratris exceſſu inſperato, factio infirmior extitiſſet. Ea mors Burgundi furorem auxit; Ludouici potentiam: plus irarum Burgundo, plus virium atque conſilij Regi Gallo. Induciæ ſæpe ante diem ruptæ. Carolus comparato ingenti exorcitu Bellouacum fruſtra aggreſſus, in Normaniæ fines copias direxit; Regionem omnem fœdiſſimè populatus: viciſſim Burgundia ab Regiis copiis euaſtatur, ſic procerum otia luentibus populis. Quo ferè tempore Francorum imperium excutere conati Perpiniani ciues poſt VIII. obſidionis menſem iugum recepêre, Magiſter Equitum belli Burgundum inter

A. C. 1470. *A. C. 1471.* *Ludouicus XI. Francorum Rex* *A. C. 1472.* *A. C. 1473.* *Marian. l. 4. c. 22.*

ac Regem ferendi optimus artifex, vtrique hostis, & semper ex ancipiti mutatione temporum pendens, in vtriusque odium simul incurrit malo suo fato. Nam cum diu ita se dubium mediumque partibus præstitisset, vt omnia ex proprio vsu ageret temporibusque insidiari videretur: & huc atque illuc vnde spes maior adfuisset potentiæ, se exercitusque deflecteret, nec Regis vitauit odium, nec apud Burgundum gratiam iniit: breuique apparuit, quid illi profuerit dissimulatio. Ad vltimũ cum in Burgundi fidem se Montibus in Hannonia tradidisset, Ludouico redditus, indignissimo tanti viri exitu publice obtruncatus est, has pœnas vtrique dedit, nihilo magis ei ad quem transfugerat fidus, quàm illi quem deseruerat. Anglis interim pro Burgundo in Galliam transmittentibus, turbari cœptum est: sed Ludouici Francorum, & Eduardi IV. Angiorum Regum ad Piqueniacum in finibus Ambianorum congressus, pactæ in IX. annos induciæ, otium reddiderunt: nihilo tamen secius desitit Francus Burgundo hostes, bella, odiaque callide cõparare, Germanos, Lotharingos Heluetiosque in eum concitat, ab his vna alteraque acie profligatur. Tandem cum Renato Lotharingiæ Duce Heluetiorum copiis victricibus innixo, temere conseruit apud Nancium: quod oppidum alieno anni tempore, atroci hyeme, male augurantibus suis obsidebat: quo prælio prostratis vastissima cæde Burgundis, Dux magni

A. C. 1475.

A. C. 1476.

A. C. 1477.

Burgũdicus populus ó, è florentissimus fuit supra CXX. annos.

Carolus eũ exercuit, defatigauit, exhausit. c. 25. Phil. com. l. 7. vit. Lud.

quidem animi, sed paulo audacioris interemptus edocuit, *nihil minus in perfecto Duce, quàm festinationem temeritatemque conuenire.* Ferunt Angelum Cathonem Neapolitanum, Viennæ Antistitem, cùm sacro adesset, porrecto pacis, vt moris est, symbolo, Regem ita alloquutum, *Pax tibi & requies, ô Rex, hoc puncto temporis cæsus in acie Burgundus occubuit:* hic finis opum, deliciarum, & triumphorum Burgundicæ domus: nam diuisa est in multos potentia, quæ Regiæ maiestati propè pâr, grauissimis bellis Galliam totam turbauerat.

CAPVT TERTIVM.

Bellum Burgundum quartum.

P. Æmyl. Phil. com. l. 8. 9. Gaguin. Chro. Fland. Belcar.

BEllum pro Burgundia quanquàm continua temporum serie gestum, quia cum diuersis susceptum est, distinximus. Carolo igitur cæso, Augusta Veromanduorum, Perona, Tornacum, Atrebatum, Cameracum aliaque Belgij multa oppida, Regis imperium, partim vltro, partim vi, aut persuasione callidissimi Regis, accepere: magna vbique Ludouici felicitas erat. Nam Ioannes Auraliorum Princeps, Diuionem aliaque Burgundiæ oppida Regis imperio facilè subiecit; sed cùm promissa non præstarentur, defecit à Rege, ac Mariæ Burgundiæ partes amplexus, res omnino

præclarè se habentes turbauit. Hæc Maximiliano Austriæ Duci Cæsaris filio Gandaui nupsit; Flandria, Burgundiaque, & quicquid paternæ ditionis fuerat in dotem cessit. Inde atrox bellum. Arausius à Regiis copiis primum fusus est, mox victor apud Dolam graui clade Francos afflixit, Cranio Regis legato rem segniter gerente. Rex inito cum Heluetiis fœdere, totam Burgundiam Carolo Ambosio exercitus Duce, quem reuocato Cranio summiserat, Rupeforti, Dôla, Auxona, & Belna expugnatis recipit. Inde in Flandriam belli se turbo deflexit. Maximilianus Theroanam clarissimum Morinorum oppidum magnis copiis obsidebat, ac propediem victor, recepto oppido videbatur futurus; sed audito Francorum aduentu relictis castris obuiam progreditur. Prima hostium acies à nostris facilè profligatur, namtota ex Equitibus quorum est illud proprium, citò parare, citò cedere victoriam, penè constabat. Maior circa pedes impetus ac labor. Potuere tamen frangi, & ea fuisset, quæ in primo conflictus ardore, fortuna, nisi Francus quasi iam parta victori, diripiendo quàm decertãdo intentior, ab irruentibus vndique hostium globis pressus rem totam in anceps dubiumque periculum adduxisset, *adeò fortibus viris dignum est, & ad victoriam pronum, contemptu sarcinarum damno fortiter dimicare nam qui acie vicerit, non sua solum recuperaturus est, sed omnia quæ hostium sunt, occupaturus.* Itaq; sumptis animis vtrinque pugna

A. C. 1784.

Ludouicus XI. Francorum Rex.

Curt. l. 4.

recrudescit. Nostri omissa direptione, in Burgundos irruere: illi egregiè Francorum impetum sustinere occipiunt: nusquam maior pertinacia, sed sensim inclinante in Francos victoria, impulsa hostium acies, frons laxata, & fiducia in pedes versa est. Tum illi ire præcipites ac fugere, Franci instare gladiis, hastis punctim cæsim ferire cominus: quos ferro non poterant, iaculis eminus toto campo dispalatos trucidare. Vasta cædes edita, Maximilianus propè victor cum sanguine & spiritu suorum, malè partam reuomuit victoriam. Hostium millia XII. desiderata sunt, DCCCC. bello capti. Nec tamen inulti hostes animam amisere, sed virorum more depugnantes, cruentam atque luctuosam
A. C. victoriam Francis reliquerunt. Nam ar-
1479. matorum V. ferè millia è nostris occubuere: apud Guinegastam (vt vocant) commissum est prœlium: certatum inde leuibus pugnis, quæ Caroli Delphini & Mar-
A. C. garetæ Flandricæ triennis puellæ nuptiis
1482. penitus extinctæ sunt, frustra Anglo ipso-
A. C. que Maximiliano indignantibus. Interie-
1483. cto deinde ferè anno, vltimum diem obiit Ludouicus XI. apud Turonas, Plessiaci, cùm regnasset annos ferè XXIII. Rex prudentia singulari, sed quàm suspicio labefactaret: Imperij Francici diuisis extinctisque callidè factionibus restaurator. Erat in eo vis ingenij summa, vt eo magis prouidus, & acutus nemo esset. Rerum omnium (quod maximum in Rege est) simulatos, &

dissimulator egregius: quod identidem ore circunferebat, *nescit regnare, qui nescit dissimulare.* Cæterum huius mores eleganter depinxisse mihi videtur, qui Alexādri M. scriptorem suppleuit. *Nulla apud eum turpis ratio vincendi, blandus pariter & insidiosus alloquio: qui plura promitteret, quàm præstaret: amicitias vtilitate non fide colebat* Suet. *gratiam fingere in odio, instruere inter concordantes odia, apud vtrumque gratiam quærere, solennis illi consuetudo.* Curt. Carolus VIII. filius in regnûm successit.

CAPVT QVARTVM.

Bellum Armoricum, siue Britannicum secundum.

FRanciæ pars haud spernenda Britannia Armorica, eo quo nuper Normania, Aquitania, Burgundiaque iure, CAROLO VIII. filio quasi testamento regno annectenda à Ludouico patre relicta est. Itaque peractis in vrbe Turonum regni Comitiis, bellum in Britannos ab Rege prope infante adhuc susceptum est. Franciscus Britonum Dux iam ætate grauis, dudum suspectus, & Anglicarum partium, reiecto nuper Equestris ordinis torque grauem sibi Regis iram conflauerat. Itaque artis paternæ gnarus Carolus; misso in Flandriam aduersus Maximilianum Austriæ Ducem exercitu, in media Armorica, quo Dux An- CAROLVS VIII. FRANCORVM REX. A. C. 1484. A. C. 1485. A. C. 1486. A. C. 1487.

relianensis dissidio exorto contenderat, tumultus excitat, alit, fouet: quin aliquot oppida in finibus, Rhedonum, feliciter expugnat. Franciscus pressus ab Regis exercitu Venetum, inde Nannetas se fuga recipit. Britones Regem hactenus sequuti serò ad Ducem suum reuersi, & copiæ ingentes à Maximiliano (cui Anna Armoricæ hæres promissa coniux fuerat, Maria Burgunda equi lapsu obtrita & mortua iam inde à quinquennio) in Britanniam missæ, Franciscum aliquandio recreant. Verùm vrgebat Nannetarum obsidio, qua primaria gentis vrbe capta, Armorica destituta valido propugnaculo, in Frãcorum partes facile venturâ erat. Placuit igitur ad extorquendum oppido (cui pertinaciter incubabat) hostem, acie decertare, & fortunam bello experiri. Acris pugna ad D. Albini fanum commissa est, his pro libertate & patria, illis pro Rege ac gloria nominis Francici strenuè certantibus. Victus Brito, cæsis aut captis clarissimis Ducibus: Aurelianensis & Arausius in potestàtem Regis eo prælio venere: hac clade consternatus Franciscus, paucis post diebus desperatis rebus fato obiit. Nec dum bello finis. Quippe Armorici Henrici VII. Anglorum Regis (qui nuper Richardo exacto Angliæ regnum Francorum opibus nixus occupauerat) & Maximiliani insuper Archiducis copiis freti bellum restaurabant, cum Alani Labreti Aquitani opera Nannetensi arce occupata, Rex inita consilia perfregit.

P. Æmyl.
Gagu.
Argent.
Belcar.
Carolus 8 Francorum Rex.

A. C. 1488.

Tandem Aureliani Ducis nuper è carcere soluti industria effectum est, vt Anna Regi vxor, Armorica dotalis Franciæ accederet. Maximilianus eo nuncio accepto mentis inops, in vindictam iniuriæ ac ignominiæ, Atrebatum, fanum D. Audomari, aliaque in Belgio oppida expugnat. Tandem pace inita quæsitaque adfinitate, Regis soror cum Atrebatensi Comitatu Archiduci Maximiliano datur, sic ab armis discessum est.

A. C. 1489.

A. C. 1490.

CAPVT QVINTVM.

Bellum Neapolitanum secundum.

REbus cum Maximiliano Romanorum, Henrico VII. Anglorum Regibus compositis: redditis haud satis prudenter, nec ita ex vsu Reipublicæ Ruscinonis & Perpiniani Comitatibus Ferdinando Arragonio Regi; vt *auaritiæ gloriæ, & insatiabilis cupido famæ nihil inuium, nihil remotum videri sinit*, Franci, auida bellorum gens, domestico liberi, externum quæsierunt, incredibili celeritate gestum confectumque, sed exitu parum felici. Author fertur expeditionis Ludouicus qui vt dominationem Ioanni Galeacio Fratris filio callide ereptam, quem Arragonij assere re in Principatũ moliebantur, quauis ratione tueretur; gentem bellicosam in Italiam euocauit: consilio tam sibi postea ac suis,

Carolus 8. Francorum Rex. Paul. Iou. Ferro. Be car. Guich.

A. C. 1492.

Curt. l. 9. c. 1.

quamtoti Italiæ; imo & ipsi Galliæ exitiali vendicabat sibi Neapolitanum Regnum Carolus Rex repetito ab Andegauensibus iure in id Regnum Ioanne quodam Reginæ adoptione ascitis. Sfortia Dux Mediolani, Rex comparatis ad bellum necessariis; Petro Duce Borbonio
A. C. 1493. Franciæ Rectore instituto, frustra dissuadentibus regni Proceribus, ipsisque Arragoniis iure potius quam armis ad Pontificis summi arbitrium finiri controuersiam per legatos postulantibus, per Cottias Alpes robore iuuentutis præmisso, in Italiam transmisit: tantus Gallici nominis terror fuit: Is postea Regnum est adeptus victis terra marique per Aurelianum, Aubigniumque egregios ac rei militaris peritissimos Duces hostibus, vt Arragonius à prælio conferendo auersus, de fuga cogitaret: Rex magno applausu Florentiæ exceptus, Tuscos supplices admisit. Reddita Pisanis libertas, Romam ingressus trepidantem regiâ humanitate confirmauit. Alexandro VI. S. Pont. qui Christianissimum Regem docuit, honorem detulit. Capuæ ignouit, mox Neapolim cum exercitu, terrorem quacumque pergeret latè circumferens, festinat, Alphonsus Neapolitanus Rex inspe-

Carolus 8. Francorum Rex

rata Caroli felicitate perculsus, relicta Ferdinando filio Calabriæ Duci qui mox patrem est insequutus, rerum summa, in Siciliam profugit. Tandem Neapolim cum triumpho & pompa ingressus, arcibus regnoque demum toto, potitus est

Carolus, receptus in fidem regni proceribus. Verum *vt simul parta ac sperata decora vnius horæ fortuna euertere potest*: sic partum celeriter regnum, pari celeritate amissum est; Summo Pont. Alexandro, Maximiliano Cæsare, Ferdinando Hispano, Venetis, ipsoque belli fomite Sfortia, vniuersis denique Italiæ Principibus ac prope ciuitatibus in Regem conspirantibus, vt obsessis itineribus Francos reditu in Galliam intercluderent, Rex à Pisanis & Lucensibus maximis honoribus exceptus, superato post quintum diem Apennini dorso cum tormentis bellicis ad Forum nouum in ripa Tarri amnis cum modicis copiis consedérat, millia vix VII. armatorum aderant, hostium ad LX. quo mirum magis ea tum mente Italos extitisse, vt cùm haberent arma vixque hostem deni; tamen licitarentur Francorum capita, Regisque ipsius nefas! percussorem emere voluerunt. Præcipuus hostium Dux Franscicus Gonzaga Mantuæ Princeps. Rex tanta multitudine nihil motus, ardorem animi vultu oculisque præferens, suos hortatur vt strenuè & more suo decertarent: Italum se habere hostem toties visum ac fusum: peruenisse eos vnde fugere non possent: iter in patriam & penates manu & ferro faciendum, relictam vnam, sed quam virtus per stratos hostium aceruos inuenerit viam. Tanta erat apud eos veneratio Regis, vt facilè periculi quod

Lin.l.30

horrebant cogitationem, præſentia eius excuteret. Tantum etiam animi Francis vox Regia vultuſque Deo proximus addidit, vt apparatus admirabiles ac formidoloſos, exiguæ Francorum copiæ profligarent. Inde victor Aſtam peruenit: mox liberata Nouaria: quam Mantuanus cum fœderatorum copiis ingentibus (quinquaginta millia delectorum hominum in caſtris fuiſſe ferunt) Ludouico Aureliano ſtrenuè propugnante obſidebat, pax inita eſt. Rex victor in Franciam reuertitur. Nec manſit diu in fide Neapolis, reuocato in Regem Arragonio, Gilbertoque Mompenſerio, ex immodicis æſtibus febre ſublato Galli in patriam rediêre. Indignati Franciæ proceres, regnum Neapolitanum citò partum, citiùs amiſſum, ad Arrágonios rediiſſe, ſecundam expeditionem moliebantur: verùm Caroli VIII. apud Ambœſiam mors, noua belli Italici conſilia interrupit. Regnauit annos ferè XIV. ſuccedente Ludouico Aurelianum & Valeſiorum Duce.

Carolus VIII. Francorum Rex
A. C. 1495.
A. C. 1496.
A. C. 1497.
A. C. 1498.

CAPVT SEXTVM.

Bellum Mediolanense primum.

LVDOVICVS XII. is qui PARENS PATRIAE appellatus est, Aureliæ Dux, repudiata priore vxore Ioanna Caroli filiâ; Annam Britannicam in vxorem accepit, annuente summo Pontifice Alexandro VI. consensu partium, omnium ambitu ordinum. Sic compositis in Francia rebus, quia regnum suspicionibus sollicitum, suspensum metu, perturbatum nouis consiliis Carolus reliquerat, toto animo in Mediolanense bellum incubuit. Commodè accidit, vt Ludouicus Sfortia à sociis Principibus varias ob causas desereretur. Sed à Venetis potissimum, quibus ille Cremonam, non alio quàm viciniæ & opportunitatis iure eripuerat, ab iis sollicitatus Rex, vt in Italiam transcenderet; eò ingentes copias præmisit, Aubignio Triuultioque Ducibus clarissimis. Peditum xxv. Equitum vi millia fuisse in armis ferunt. Hi post superatas Alpes variis itineribus ditionem Mediolanensem ingressi, multa oppida feliciter expugnant. Alexandria fugato olim Friderico I. imperatore ferox, Francorum impetum sustinuit aliquamdiu. Sed strata tormentis murorum parte, dilapso Galeatio Sfortiæ genero vi capta est. In Sfortianos, vt hostes sæuitú, à ciuibus temperatum

LVDOVICVS XII. FRANCORVM REX. A. C. 1499.

Paul. Iou. Ferron. Guicciard. l. 4. Ferron.

est. Ticinum aliæque vrbes facta vltro deditione imperium accipiunt. Sfortia malè sibi conscius, Venetis, quibus Cremona à Rege restituta fuit, parte alia haud segniter vrgentibus, ad Maximilianum Cæsarem fugere coactus, cætera victoribus prona reliquit. Sic breui Mediolanũ in Francorum potestatem venit: cuius arx à Triuultio, auro ictu fulmineo potentiore expugnata est. Subiit cum Insubria tota Francorum imperium Genua opulentissima Italiæ ciuitas. Cæterum post v. exilij mensem *adeo velox Italis omnibus à natura ingenium concessum est*: reuerso in Galliam Rege diffidentibus (vt ferè fit inter æquales) & diffidentibus sibi Aubignio Triuultioque Ducibus; Sfortia ab insubribus reuocatus est, ea fuit breuissimi temporis felicitas, vt Germanorum auxilio ad quos se profugus receperat, Mediolanum recuperaret: Sed acie apud Nouariam victus, & Heluetiorum proditione captus, adductusque in Galliam cum Ascanio Cardinali fratre, in carcerem coniectus, ac decennio post in Locensi arce, vt non prius vinculis quàm vitâ exueretur, cuius arbitrio res quondam Italicæ steterant. Dignum mehercule Tyranno supplicium! nam iugulato immaniter Duce propinquo suo, Mediolanensem principatum inuaserat: Expertus demum *sequi superbos vindicem à tergo Deum, & alieno in loco haud esse stabile regnum*. Huius frater in arcem Biturigum inclusus est.

Ludouicus XII. Francorum Rex A. C. 1500.

Sen. Herc. Fu.

CAPVT SEPTIMVM.

Bellum Neapolitanum tertium.

V*Etus ac iampridem insita mortalibus potentia cupido, cum imperij magnitudine adoleuit erupitque,* Ecce tibi. Domitis Insubribus, vt *sunt Regum cupiditates insatiabiles: & sordent priora dum maiora expetuntur*, Ludouicus Rex ad Neapolim recipiendam animum facile adiecit, Ferdinando Hispaniæ Rege in societatem belli admisso. Apulia omnis Ludouico Armeniaco, Aubinioque Ducibus breui in Gallorum potestatem redacta est. Ferunt Ludouicum Gilberti Montpenserij filium, raro pietatis in patrem exemplo ad paternum tumulum mœrore ac lachrymis expirasse. Capta cum Fabricio columna. Capua, recepta deinde Neapolis. Fridericus Rex pactus cum Frãco annuum stipendium xxx. aureorum M. in Galliam profectus exceptusque liberaliter, feliciorem se regno adempto (*quanquam in seruitutem cadere de regno grauissimum sit*) quàm seruato & incolumi dictitabat, ratus optabilem regni sui ruinam, vt tam feliciter renasceretur: eum Rex Andegaui Ducem fecit. Hoc tractu temporis Rex auctore ac suasore S. Pont. Philippum Rauaisenum in Turcas misit: sed Venetorum culpa ad Mityienem victi à barbaris Galli, domum reuerterunt. Non diu Hispa-

Tac. 2. hist. *Curt. l. 10.* *A. C. 1501.* *P. Iou.* *Guicciard. l. 5.* *Belcar.* *Ferron.* *Ludouicus XII Francorum Rex* *Sen. Theb.*

ni cum Francis in regno Neapolitano quieti esse potuere: Ambigi cœptum de finibus. *Quicquid enim huiusmodi est in quo non possunt plures excellere, in eo plerumque fit tanta contentio, vt difficillimum sit sanctam seruare societatem.* Itaque ab vtriusque gentis Ducibus, ex propinquis præsidiis ad arma acerrimumque bellum ventum est. Ferdinandus vt sunt impotentia atque imperandi auida ingenia Hispanorum: qui cum semel incœperint ad summam semper potentiam cunctis artibus contendunt, Apulia Calabriaque contineri non potuit, qui jam spe regnum Neapolitanum, totamque adeò Italiam inuaserat. Consaluus eius hortatu serebat belli vndique occasiones: Dux prudentia singulari & patientia periculorum admirabilis, cætera perfidus ac minimè generosus: Itaque præmissis aliquot leuibus præliis, cùm Franci superiores euasissent sæpius (nam & vndeni depugnarunt velut misso in compendium bello vbi Bayardi notissimi Equitis virtus maxime enituit) tandem à Venetis aliisque exteris proditi, ad Criniolam pugna temerè commissa, cum fraude Hispanorum Ludouicus Armeniacus Nemorosi Dux cecidisset, capto Aubignio, Alegrio feroci & rapido in consiliis linguaque immodico, fuga sibi (vt antea Dux Nemorosi fuerat vaticinatus) consulente; vt est metus pudore potentior, Galli profligati: inde capta deditione Neapoli vix Caieta seruata, toto regno pulsi sunt, frustra misso postea à Re-

A. C. 1502.
Cic. l. 1. off.

A. C. 1503.
Ion. l. 1
Ludouicus XII. Francorum Rex

ge exercitu. Sic recuperatum secundò regnum, secundò amissum est, generositati prudentia minimè respondente. Quo temporum tractu Franci Hispanique, hi Aquitaniam, Ruscinonem illi infestis armis aggressi sunt, sed pulsi vicissim in propria redire. Vtinam vincere Italiam tanti non putassent Franci! magis turpiter amissa est, quàm gloriosè acquisita, nec clarius vnquam Gallicæ indolis argumentum fuit, eam gentem, vt ad deuincenda regna inuictam haberi, ita deuictis acquisitisque celeriter carere; tantò melius studet acquirere imperia, quam retinere. A. C. 1504. Flor. l. 4. c. 14. Iustin. l. 25.

CAPVT OCTAVVM.

Bellum Genuense primum.

LVdouicus sumpto in gentem Francisco Valesio, Caroli (eius qui in Galliæ perniciem penè vltimam moribus Francicis imbutus, adolescet,) tutor à Philippo Castellæ Rege institutus: bellum in Genuenses aggreditur. Genua quam superbam Itali vocant, in excipiendo nuper Rege alacris ac læta, mox vt sunt incertæ hominum voluntates in furorem versa, diras suorum strages ac cædes luxit. Ciues, *Vana gens & nouandis quam gerendis rebus aptior*, Francicum imperium cuius humanitatem tanto olim studio sub Carolo VI. ambiuerant, exosi: cæsis præsidiis, calcatis- A.C. 1505. A. C. 1506. Guicciard. l. 7. Ferron. P. Iou. Gal. l. 7.

que Francorum insignibus, Maximiliani vexilla attollunt. Sed nondum maturæ rebellionis ac libertatis intempestiuæ pœnas acerbissimas dedere. Seditionis author fuit Paulus Nouus, sordido quidem genere natus, sed audaci ac solerti ingenio vir, inquies & vltra sortem temerarius. Rex admonitus *nihil in vulgo modicum, terrere ni paueant, vbi pertimuerint impune contemni amotisque Principibus nihil ausuram plebem:* ne latius ac diutius tantum malum impunè grassaretur, præmissis copiis adeo ciuitatem exterruit, vt eos iam suæ audaciæ pœniteret. Flagranti seditione, munitissimum propugnaculum extruxerant, eò Regii irrumpunt irrito impetu, nam facilè ab oppidanis prosternuntur. Sed Lautrecus vir animi singularis, & supra modum auidus, admotis machinis, immissoque peditatu, Genuenses inde expellit. Tandem expugnata arce, dedita ciuitas Regis imperium accepit. Rex vt erat armatus Genuam ingressus victor, coercitione magis quàm pœna dissensiones ciuium extinxit, ac memorabili humanitatis & clementiæ exemplo, ratus plura corrigi posse humanitate, quàm vllâ crudelitate; verè patriæ ac suorum parens, iniuriarum omniū obliuionem palam edixit: *tanta vilissimi sanguinis parsimonia vt meliùs sanare vitiosas partes parcendo vellet, quam perdendo exsecare.* Paulo Nouo, Demetrio, Iustiniano, aliisque seditionis Authoribus præcipuis supplicio affectis. Arx extructa, mobilem & ad mu-

A. C. 1507.

Tac. An. 1.

Ludouicus XII Francorum Rex

Sen. de Clem.

randum pronam ciuitatem (quippe Genuensis populus ad omnes rerum mutationes facile inclinatur) à defectione quasi iniecto freno continuit.

CAPVT NONVM.

Bellum Veneticum secundum.

PEr id temporis, Ferdinandus Hispaniæ Rex cum Ludouico apud Sauonam Ligurum, de Venetis inuadendi, consilium iniit: ad id fœdus præter Summum Pont Iulium secundum pridem infestum Venetis, Cæsar accessit, priuatim & is inimicus. Quis crederet, tot Regibus, tot ac tantis opibus & copiis succinctis, propè parem extitisse Rempublicam Venetam? Hæc fuso nuper Maximiliano Cæsare, per Bartholomæum Liuianum egregium imperatorem ferox ac superba, tanti belli, tantæque in se initæ coniurationis famam intrepida excepit. Prima belli alea Franco obtigit. Erant in armis Ludouico Regi XL. hominum millia: Equestris ordo penè omnis. Venetorum copiæ multitudine superiores: nam quinquaginta & amplius armatorum millia Francis occurrere. Leuissimis pugnis & aliquot oppidorum direptionibus certatum priùs: donec miles concepto belli ardore maioribus se stragibus accingeret. Traiecto à Francia Abdua fluuio, dirutis ac recisis imperio Regis

A. C. 1508. Guicciard. lib. 7. Galeaz. Cap. Belcar. A. C. 1509. Ludouicus XII Francorum Rex

pontibus, quo strenuè Franci decertarent, sublata retrocedendi spe: Cum Veneti præter spem pugnandi copiam facerent, aciem Francorum penè turbarunt. Verùm Regis oratione confirmatus miles, martem acerrimum induit. Rex tormenta bellica ita in hostem direxit applicuitque, vt inito prælio, maximo impetu prouoluta, ferocissimos quosque, nec opinantes sternerent. Vbi classicum audiri cœptum est, tum vrgere Galli, immissoque Equitatu hostem loco pellere. Liuianus, is Venetorum Dux cum Vrsinio Petiliano Comite, suos accendere, vltrò citroque quà maximè opus erat, expeditos mittere: ipse nonnunquam occurrere. Sed per Equitatum & tormenta bellica, nulla hosti quies, nullus respirandi locus. Versi in fugam Veneti, palantes ac dispersi cæduntur occidione. Captus Liuianus amisso ex vulnere altero oculo: desiderati ex hostibus optimi quique Duces, cæsa hominum decem millia, præda immensa: apud Carauagium in loco Aignadelli, certatum est. Tantò ea victoria insignior, quò Francorũ minor numerus in acie cæsorum. Vix quingentos è suis Rex desiderauit, *tantulo impendio ingens victoria stetit.* Accepta ea clade Veneti turbati, velut iam ad portas hostis, trepidare magis quàm consulere occipiunt. Vrbes innumeræ victoris fortunam sequutæ sunt: harum præcipuæ Brixia, Bergomum, Crema, Cremona, Verona, Rauenna, Ariminum, Vincentia, & quæ mox à Venetis recepta est Padua, studiorum no-

Curt. l. 3. c. 11.

bilitate insignis. Nec maior Venetorum maritimo prælio felicitas: nam ab Alphonso Ferrariæ Duce Francis innixo, victi ac profligati sunt. Perierat his temporibus res Veneta, si pari cum Francis fortuna Maximilianus Cæsar bellum gessisset, profuit etiam afflictis Iulij II. Sum. Pont. amicitia & fauor: ne latius Reip. clarissimæ fines Christianissimus Rex popularetur. *Ludouicus XII Francorum Rex.*

CAPVT DECIMVM.

Bellum Sociale in Francos.

VEnetis conciliatus Iulius Pont. Max. moxque eius opera Ferdinandus Hispaniæ Rex; vt *fluxa est hominum fides qui omnia vtilitate magis quàm honestate metiuntur*: Germanis insuper & Heluetiis aduersum Francos sollicitatis: Ludouicum Regem in Franciam reuersum, belli Ferrariensis specie adoriuntur. Rex cùm Alphonsi Ferrariæ Ducis oppressi partes tueretur, Pontificis hostis extitit, *adeò impotens in potentibus viris odium est*, quod ita Pontificem inuasit, vt Ludouicum Regem optimum, tot immemor beneficiorum, exercitumque Francorum sacris, ac piorum cœtu excluderet: Regnum primo inuadenti concederet, quasi æquè facilè raperentur aliena, ac darentur. Digna omni hominum memoria Regis Christianissimi modestia eluxit: quanquam enim irati Pontificis

A. C. 1510. *P. Iouis. Guicchiard. Belcar. Paul.* Ferron. *Bomb.*

minas parui faceret: tamen ne à maiorum suorum pietate videretur recedere longius, lædi à suis Pontificem, aut ditionem Romanam Pipini & Caroli magni donis ac Regia liberalitate opulentissimam euastari vetuit: quò Iulij animus (si Deus velit) flecteretur. Sed cùm finem nullum turbandæ, ac concitandæ in Regem Europæ facêret iratus Pontifex, ad arma tandem quanquam ægrè itum est. Huius controuersiæ, quæ huic bello tanto argumentum dedit, is fuit tandem exitus, vt profligato per Triuultium clarissimum Ducem Pontificio exercitu: Bononia nobilissima ciuitas nuper à Francis Rom Pont. restituta, eriperetur ac Bentiuolis traderetur. Ea res ita vniuersos propè Europæ Principes accendit, vt vndique legiones opem Iulio allaturæ in Italiam mitterentur, ad id bellum conficiendum delectus à Rege, egregiæ quidem & posteris memorabilis, sed ex ætatis feruore immaturæ virtutis adolescens Gasto Fuxius Nemorosi Dux, qui nuper Heluetios in agrum Mediolanensem instinctu Pontificis transeuntes fuderat, Bononiamque ab Venetis corona cinctam, cæsis hostium ferè VIII. millibus insigniter liberauerat, is paucorum dierum spatio recepta de Venetis Brixia, ad oppugnationem Rauennæ, quam M. Antonius Columna tuebatur, pugnæ conferendæ cum hostibus auidissimus, copias deduxit promouitque: quippe Fuxio nunciatum erat, Pontificis, Ferdinandi, Venetorumque copias,

A. C. 1511.

Ludonicus XII Francorum Rex

pias deduxit promouitque: quippe Fuxio nunciatum erat, Pontificis, Ferdinandi, Venetorumque copias, haud longè à Rauennâ paratas opprimendis Gallis. Occurrit incautis, adortusque confertos, immanem hostium stragem edidit. Rauennatum agros insigni quidem & egregiè parta victoriâ, sed tristi tamen suo funere nobilitauit: nam cùm admisso equo in hostes properat ferro obuium quemque demetens, cæsus & ipse à gregario milite is qui prius imperator quàm miles, occubuit. Nec segnior in hostem Francorum impetus. Manibus Fuxij cruore hostili insigniter parentatum est. Rauenna ab furioso & Ducis morte accenso milite præter Palicij voluntatem edictumque diripitur. *Regi frenis nequit & ira & ardens hostis*: sumptis semel armis ab offensis ac longa patientiâ exacerbatis frustra modum exigas. Arx dedita à Iulio Vitellio. Fuxij corpus Mediolanum summo apparatu, tubarumque sonitu perstrepente delatum ac magnifico elatum est funere. Ferunt audito tanti adolescentis casu Regem amissi eius desiderio vehementer affl.ctum sic exclamasse, *hostibus tales eueniant victoriæ: si sic iterum vincimus victi sumus, victore ab ipsa victoria perdito.* Tanti profectò iuuenis damno constitit, nullum esse eundem ac diuturnum & præcocem fructum: plerumque etiam magnam indolem virtutis priusquam Reip. præesse possit, extingui. Tunc sanè filo pependit fœderatorum felicitas, aut labes pro certo

Senec. Thucyd. l. 27.

Curt. lib. 8.

Cic. Phil. 5.

non defutura, nisi præmatura mors iuuenem orbe toto ampliorem, anno ætatis vix xxv. decurso abstulisset: adeò ille adolescentulus grauissimis bellis animum & corpus indefessum applicuerat.

CAPVT VNDECIMVM.

Bellum Nauarricum primum.

Ludouicus Francorum Rex. A. C. 1513. Guich. Ferro. Bella. Marian. l. 30.

HIs temporibus visa est omnis propè Europa in Francos armata. Maximorum Regum ac populorum in nos tantò infestior coniuratio videbatur, quod Pontificis authoritate & odiis firmata, in eam gentem ferox assurgebat, quæ à Pontificum Romanorum iugulis & ceruicibus, Barbarorum Principum nefarios enses districtosque remouerat. Maximilianus Cæsar, Ferdinandus Hispaniæ, HenricusVIII. Angliæ Reges, Veneti Heluetiique pars sociorum haud vltima, Galliam vno vndique tempore hinc atque illinc, vt non suffecturam ad omnia, ex compacto, irruentes aggressi sunt. Terror ingens ex tot simul tantorumque populorum coniuratione conflatus omnium animos inuaserat. Eo bello Francia olim cum singulis gentium, nunc aceruatim, tamen sic quoque par omnibus, vires suas experta est. Diuersis eam bellis inuasuri hostes, ac funesta populatione direpturi erãt, nisi à prudentissi-

mo Rege obuiam itum foret. Hispanus comparatis ingentibus copiis, cùm aliò belli molem vertere se velle affingeret, ductu Friderici Toletani Nauarram aggressus, Ioannem Albretum II. Regem, quòd Franco adhæsisset à summo Pont. diris deuotum regno exuit. Pompeiopoli regni Principe ciuitate deditione capta. Terruit Aquitaniam ea hostium felicitas, creuitque metus occupato D. Ioannis Fano, eiusque arce munitissima, ad radices montis sita Baiona ex finitimorum naufragio tempestatem proximam reformidat. Sed Ludouicus habito delectu ex Germanis, Rhætis & Heluetiis, euocatis veteranis qui in præsidiis erant, Franciscum Valesium generum suum hosti opponit. Is rebus quantumuis arduis maior, Pompeiopolim recipere, & Ioannem in regnum restituere conatus est. Itaque comparatis ad oppugnationẽ vrbis necessariis rebus castrisque positis, tormentorum impetu mœnia quati cœpta, tanta vi, vt deiectis muris multi hostium, ruina obruerentur. Admotis scalis irrumpunt Franci in vrbem; sed malè ab oppidanis excepti, qui pro nudata mœnibus patria Saguntinorum more corpora obiiciebant, cessere: cúmque opinione maior difficiliórq; in dies expugnatio videretur, penè astu intercepto Valesio re infecta Regius exercitus obsidionem soluit. Quis neget eximiam quoque gloriam sæpiùs fortunæ, quàm virtutis esse beneficium? *Quippe illa ibi tunc deficere visa est, vbi vir-*

Ludouicus XII. Francorum Rex

tus superer at, quæ in bellicis rebus, quicquid est prosperè gestum, id penè omne ducit suum: sub id tempus Iulius II. Pontif. Rom. Francorum immortalis hostis, cùm eius gentis perniciem quibus poterat modis ac viribus moliretur, fato functus est. Heluetij Maximilianum Sforttiam Mediolianum reduxere.

CAPVT DVODECIMVM.

Bellum Anglicum 8. *nauale.*

A. C. 1513. *F. Belcar. Ferr. Polyd. Virg.*

PVdebat Anglum nobilem populum sublatâ Normaniâ, ereptâ Aquitania, tota continenti Caleto dempto arceri, & suam in insulam velut in exilium pulsum relegari. Itaque Henricus VIII. Rex instructa classe oram Armoricæ maritimam populatur, interiora regni subiturus si aditus patuisset: occurrit Anglicæ classis Gallica, numero inferior & ad tantum certamen imparata. Heruæus præerat, is quanquam impar, pugnam strenuè init: hostium aliquot naues mergit, alias in fugam emissis machinis grauioribus vertit, nonnullæ incensæ sunt: quo igne ipsa Prætoria Anglorum cum Galliæ Cordigera, vt vocabant, arsit. Anglus ita exceptus omissa Armoricæ populatione ad suos cùm se reciperet, ad Briuatem portum, Brestum vocant, Aquitanicæ classi occurrit. Citissimo cursu regnum repetebat, cúm ausis fu-

Ludouicus XII. Francorum Rex

gientem insequi Gallis, distractis fortè tempestate nauibus ereptus est.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Bellum Heluetium primum.

AGitabat Ludouicus consilia quibus artibus Mediolanensem Principatum nobilissimum reciperet: nam, vt prædiximus, Maximilianus Ludouici Sfortiæ filius Heluetiorum ope in paternam ditionem restitutus fuerat. Itaque collectis vndique copiis Tremolium Triuultiumque clarissimos Duces præfecit: quo tempore per Adurnos expulsis Fregosis Genua libertatis suæ præ cæteris Italiæ ciuitatibus appetens Gallis restituta; moxque vt sunt incertæ rerum vices, recepto Octauiano Fregosa eisdem erepta est. Franci interim Nouariam perueniunt: cepissentque nisi ad præsidium vrbis, nouus à Sfortia Heluetiorum delectus submissus foret. Hi suis adiuncti Gallorum paucitate explorata, in castra de improuiso irrumpunt, à Gallis primùm in fugam coniecti, nam equitatu longè præualebant; sed restaurato virtute peditum conflictu, post anceps diu prælium ab effusis vndique Heluetiis Galli profligati sunt impedimentis direptis, nec non amissis aliquot bellicis tormentis quæ victores cedentibus extorsere. Ante illam cladem die-

A. C. 1513. P. Iouius. Guich. Ferro. Bemb. Belcar.

bus eiectis Sfortianis, Mediolanum Francis conciliauerat Sacramorus; verùm ea strage nostrorum territi, vt *eò facilè inclinant hominum animi quò se fortuna converterit*, secuti victoriam ciues Sfortiam iterum reuocant. Nouariam rursus tentare statuerat Tremolius, iamque eductis in aciem cohortibus itineri se accingebat, cùm ob Heluetiorum in Burgundia tumultum, Regiis literis in Galliam reuocatus consilio abstinuit, quippe qui melioribus ac præstantioribus parere, sine vllâ turpitudinis nota, salutare ac decorum putabat, maiorem obsequendi quam victoriæ gloriam arbitratus. Cæterum omnia sibi Mediolano recipiendo faciliora Rex Ludouicus adiunctis Heluetiis existimabat, quasi in vna gente tãtùm momenti esset, vt maximi imperij subuersi & rursum recepti author esset; & vnde stetisset, eò se victoriâ transferret: fieretque cum ea mira quædam fortunæ inclinatio: iamque illi accepta pecunia Franco militabant, cum Maximiliani Cæsaris industria, & Sfortiæ promissis ingentibus, summi insuper Pontificis authoritate persuasi, spem omnem auxilij Francis præciderunt. Igitur stipendio aliunde conducti, & ad bellum vltro Regi inferendum sollicitati, Burgundiam infestis armis adoriuntur, Tremolius regionis Prorex, locum munitissimum Oxonam commeatu velut in moram belli longioris, machinisque bellicis instruit. Inde Diuionem vrbem Burgundiæ nobilissimam ac Primariam profectus, quò

Ludouicus XII. Francorum Rex A. C. 1513.

munitior esset aduersus externam vim, oppidi mœnia quà erant conuulsa aut disrupta refici diligenter, aut cætera quæ vsui erant comparari oportere existimauit. Heluetij rati euerso gentis capite cætera faciliora sibi fore, copias quamprimum vrbi admouent: mœniaque assiduè machinis ingenti fragore ac terrore explosis, quatefaciunt: neque segnior oppidi propugnatio: namque emissa ex vrbe telorum nube, hostes maxima strage summoti sunt. Tremolius diruta mœnia vallo aggeribusque secundò circummuniit: nouis militibus ad vrbis defensionem receptis, ac pro nudata mœnibus patria corpora sua oppidanis alacriter opponentibus, sicque libertatem, patriam parentes, liberos fortunasque suas, armis tegentibus difficiliorem vrbis expugnationem Heluetiis reddidit; incensis etiam suburbiis ne illis velut præsidiis vterentur. Ausus insuper cum aliquot expeditis equitibus erumpere, captos Heluetiorum aliquot nobiles, & in vrbem abductos, remissa mercede ac militari pretio condonato (quæ res illi magnam & gratiam & authoritatem apud eas gentes conciliauit) ad suos redire voluit: ratus, vt erat, ea liberalitate hostem vinci posse, qui viribus non nisi difficulter potuisset, ad hæc captiuos, si placet, reddere, honestius dono dari quàm pretio remitti. Nec hominem gentilitiæ indolis gnarum spes decepit: nam per eosdem qui cognita Francorum virtute, cognouerant etiam liberali-

Ludouicus XII. Francorum Rex.

tatem; agi cœptum est de Heluetiorum animis armisque Francô Regi conciliandis. Vnica pro stipendiis quæ debebantur controuersia, hanc facile Tremolius dato in obsidem Maserio nepote, donec à Rege cum fide persoluerentur, diremit; bellumque cum his solutione pecuniæ, non armis, finitum est. Sic magni Ducis prudentia & industria, liberata hostibus acerrimis Burgundia, inuictam gentem ex inimica infensaque amicam & beneuolam reddidit conciliatrix animorum liberalitas: *adeo consilio* Tac. 1. hist. *pugnare quàm impetu tutius est; quippe omne consiliis robur, & sine quibus quamuis egregia inualida sunt.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Bellum Anglicum nouum.

HEnricus Octauus Angliæ Rex Heluetiis Burgundiam ita, vt dictum est, infestantibus, acceptas nuper à Francis maritimo prælio iniurias vindicaturus bello aliquo insigni & clade, in Galliam valido subnixus exercitu transmisit. Equitum millia VI. peditum amplius XL. in armis habuisse dicitur. Caleto igitur egressus, Flandriæ insuper nobilitate ad arma vocata, late Gallorum agros populatur. Contraxit & Rex copias quibus Franciscum Longuevillanum, Valetiumque spectatos bello

Duces præfecit. Angli Taruannam Morinorum vrbem obsident, vrgentque. Præsidio quidem militari tuta ab hostibus erat: sed commeatûs, atque annonæ inopia laborabat. Delecti ex toto Francorum exercitu fortissimi quique, commeatum strenuè intulerunt, hosti ignauiam ferociter obiicientes. Verùm haud par fuit reditûs fiducia, experti sunt *nihil in hoste tutò despici, cum negligentiâ plerumque nostra fieri valentiorem*. Abire illi cum gloria poterant, si vnquam temeritas felix, inueniret modum. Ecce enim quasi in amœno equitarent, positis armis, ac bellatoribus equis remissis mannis insidentes, circumuenti vndique ab hoste ita profligati sunt, vt velut panico terrore perculsi huc illuc dispalati errarent. Pugna inde CALCARIS dicta quod solis fidentes calcaribus, hastis abiectis Franci ignauissimè fugerent. Sed ad fugam non suffecerunt equi; Itaque Longueuillanus Dux, Palicius, Bayardus, & Bussius clarissimi Equites captiui in Angliam abducuntur. Dedita illicò Taruanna, ac oppidanis aliò migrare iussis, excisa præter pactum fuit. Inde Tornacum ab Anglis receptum expilatumque est. His rebus gestis Angli ouantes in Patriam rediere, quasi victo orbe à suis excepti sunt, famam ingentem in re tenuissima (vt mos est genti) aucupantes. Pax deinde & adfinitas nuptiis inita ac firmata est Ducis Longueuillani captiui opera, sed mox Ludouici Regis obitu excepta. Is ea moderatione annos XVII.

LVDOVICVS XII. FRANCORVM REX.

Curt. l. 6. & 8.

A. C. Francis imperauit, vt *integri Principis ac*
1514. *Patris Patriæ populique sui*, agnomen adeptus
AC. sit. Georgij Ambosij Rothomagensis
1515. Antistitis & Cardinalis opera præcipuè vsus, negotiis ingentibus & arduis se expediuit. O sæculum fœlix hoc Rege, & tam excellenti viro Regis adiutore! Nullis negotiis, aut belli necessitatibus, quæ in Italia plurima obtigerunt, adduci Rex potuit, vt Tributa suis augeret ciuibus, etiam intra regni fines à vicinis bello lacessitus. *O Regem optimum, ô Patrem Patriæ, ô Pastorem populi! cuius est tondere non deglubere*, oderat ille cum Alexandro hortulanum qui ab radice olera exscinderet. Diuersis etiam cladibus affectus; Italia amissa, Nauarrus Regno pulsus ab Hispano non alio iure quàm quod eivtile ac cōmodum esset, Galli ad Nouariam & Morinorum vrbem fusi, Genua erepta, vires eius frangere non potuere tot aduersa. LVDOVICO XII. successit FRANCISCVS VALESIVS magnis animi & corporis dotibus, quas secum ipsa certans natura congesserat, nec initio tantùm regni, sed continua temporis successu admodum insignis, imò etiam cladibus: quemque non tam felicem secunda: quam aduersa Magnum probarunt fecceruntque.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Bellum Mediolanense secundum.

FRancica dignitate & nomine indignum cum Heluetiis fœdus à Ludouico socero percussum reputans FRANCISCVS I. ac certior insuper factus Heluetios Delphinatum fines incursionibus vexare: copiis ingentibus instructus, equitatu imprimis ornatissimo, solo terrore nominis ac virtutis hostes exegit. Sed Mediolani armis repetendi cupiditate ardebat Rex: quare ægrè transmissis tormentis bellicis, Alpes incredibili celeritate superauit. Maximilianus Sfortia haud ignarus quāta sibi impenderet tempestas, inito cum Maximiliano Cæsare, ac Leone X. summo Pontifice fœdere, Heluetiorum copias numerosissimas opera Sedunensis Cardinalis conductas Francis opponit. Missus à Pont. in Sfortiæ subsidium cum expeditis M. D. Equitibus Prosper Columna Romanus, qui visis priùs quam auditis Gallis, à Palicio & Hunbercutio Ducibus egregiis apud Villam Francam captus & in Galliam abductus est, deletis ad internecionē, aut captis suis. Odethus Lautrechius magni nominis Dux, Aquitaniæ Præfectus Nouariam capit Petri Nauarri industria, Heluetiis penè Regi conciliatis; sed Sfortia, pactus maiores

FRANCISCVS I. FRANCORVM REX.
Paul. Iou. l. 15.
Ferrò.
Guicciard. l. 12.
Fr. Bacar.
Parad.
A. C. 1516.
Marian. l. 30. *c.* 26.

pecunias, gentem Mercenariam, maiora offerentibus se addicentem, facile ad bellum Francis inferendum impellit. Venales manus, ibi fas, vbi merces maior, ex diuerso fidem exuentes, reputabant. Erant fœderatis Heluetiorum xxv. Hispanorum, Germanorum, Italorumque x. millia. Francorum copiæ numero quidem impares, sed bellicis tormentis abundabant. Ad Marignanum quatuor ferè à Mediolano milliaribus distitum oppidulum castra promouit Franciscus, primaria gentis vrbe capta, cætera prona fore ratus. Tanta arrogantibus animis virtutis, ac victoriæ fiducia inerat, vt potentissimi Regis validissimas copias feroces despicerent. Verum (vt *frequentissimum est initium calamitatis securitas, celeriusque nemo opprimitur quàm qui nihil timent*) atrocissimi prælij euentu, barbaræ incultæque virtutis homines intellexêre, quantùm Equites Galli, generositate excellerent. Fiducia in solicitudinem versa, vbi prima pugnæ aggressione turbari incepêre, trepidare, nutare ac fugam cogitare: nisi Germanis peditibus, Lanskenetios vocant, ab prælio recedentibus, hostium animus paululum rediisset, nostris pene excidisset. Sed Caroli Borbonij Equitũ Magistri (is primam aciem ducebat) virtute nihil turbatum est. Pugna igitur vtrinque atrox committitur. Fatigati Heluetij impetu tormentorũ obterebantur: in ea facto globo irruunt, sed acrius displosa, in subeuntes munimenta Heluetios fecêre latè stragem.

Franciscus I. Francorum Rex.

Velle. l. 2.

Rex inter primos Duces bellum acerrimè ciebat: dumque vehementius hosti fugienti instat, penè hastis aduersariorum obrutus est. Heluetij nunc fugam capessere, nunc redintegratâ pugnâ redire: tanta vtriusque gentis pertinacia & vincendi rabie pugnatum, vt ad mediam fere noctem prælium traheretur, incertâ victoriâ nisi quòd Heluetij vicisse non crederent. Franciscus ad primã aciem prouectus, in armis noctem egit, vt inuicto animo, sic indefesso corpore; ne detracta quidem galea, aut somno capto, gustato per 27. horas cibo. Vbi illuxit incõdito clamore & pari vtrinque ferociâ inuictæ gentes iterum concurrunt. Franciscus paratis in defessorum subsidia (vt erat rei militaris peritissimus, nec tam manu quàm consilio præstans) Equitum alis, quò vis hostium maior incumberet, eò admisso equo properare, nec Regis magis quam strenui militis munia exequi. Nusquam ancipiti, magis belli euentu dimicatum est. Incertum diu vtri parti victoriam Fortuna, quæ in bellicis rebus maximam partem quasi suo iure sibi vendicat, assignaret. Tandem immissus ab Rege Equitatus omnia, præter hostium opinionem, vt *subita conterrent hostes, vsitata vilescunt*, tanta vi Heluetios ex improuiso adoritur, vt iam dubia non esset, fugam facientibus hostibus, victoria. Tum illi fusi ac cæsi magna strage; equis huc illuc volitantibus deiecti protritique, abeunte in Germaniam Sedunensi Cardinale tanti

Franciscus I. Francorum, Rex.

Veg. l.3. c.17.

belli authore & concitatore, ea victoriâ cæsis XV. Heluetiorum millibus Mediolanenses consternati animo, ne quid deterius ab irato victore paterentur, ciuitatis deditionem repente faciunt. Arx post XXX. oppugnationis diem à Sfortia reddita, tota denique Insubria denuò subacta est. Fœdus initum cum Heluetiis ea lege, vt certa pecuniæ pactione quæ singulis annis pensitaretur, Francis militarent. Rex insuper Bononiæ cum Leone X. conciliatur, abrogata Sanctione (vt vocant) Pragmatica: sacri in Gallia ordinis magno gemitu, Flaminum creandorum potestas Regi, cæteraque victori & armato facilè concessa sunt.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Tumultus Mediolanensis.

A. C. 1517. *P. Iou. Guich. Ferro. Belcard.*

FRanciscus, relicto Insubribus Prorege Carolo Borbonio Equitum Magistro, victor in Galliã reuersus est. At Maximilianus Cæsar siue sponte, siue Henrico VIII. Angliæ Rege eò impellente, adiuncto etiam partibus Sfortia, bellum Mediolano inferre statuit. Ad eum ingentes ex Germanis copiæ confluxerunt: maturè facto erat opus, ne Borbonio maiores illico mitterentur è Gallia copiæ. Itaque rei fortiter gerendæ auidus, magnis itineribus, penè improuisus Mediolanensis principatus fi-

Franciscus I. Francorum Rex

nes ingreditur. Terruisset Francos repente orta belli tempestas, si alio quam Borbonio Duce militandum in Cæsarem foret. Is donec fœderati Heluetij adfuissent, ne rerum summam cum tantulis potissimum copiis, quibus succinctus erat, fortunæ, nulla præsertim cogente re committeret, ab amne Abdua Mediolanum se recepit. Cæsar elatus spe victoriæ vrbisque potiundæ in qua turbatum iri, si ad vrbis conspectum signa fulsissent, frustra sperauerat, magna sibi pollicebat, sed Heluetiorum aduentu, ouantis iam ac prope triumphantis superbiam Borbonius citò compescuit. Itaque elusus, ne vndique Equitatu Gallico premeretur, frustratis militibus noctu diffugiens, in Germaniam ignominia aspersus, se proripuit, fugæ turpissimæ prætextum obtendens, quasi mortuo Ladislao Rege in Hungariam vocaretur. Borbonius extremũ Cæsarianorum agmen carpens, impeditos tardiusque properantes oppressit. Adfuerunt Francis hac in expeditione Veneti: itaque ne vicissim officio deesse viderentur Galli, Brixiæ, Veronæque recipiendis mutuam operam strenuè Duce Lautrechio nauarunt. Hoc tempore sacræ in Turcas expeditionis occasione, Lutherus in S. Pontificem detonare incepit: & quasi monstrum terra quæ genuerat detestaretur, negatis fructibus suis sterilis, validam per Germaniam omnem famem intulit. Henricus Francisci alter filius eo anno apud Sangermanum

A. C. 1518. Till. Caro.

nascitur, ibidemque fonte sacro aspergitur.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Bellum Nauarricum secundum.

Franciscus I. Francorum Rex. *A. C. 1519.* *Guich.* *Ferron.* *Parad.* *Belcar.* *Dion. l. 29.* *A. C. 1520.*

SEquentibus bellis totos ferè XL. annos Francisco Galliarum & Carolo Hispaniarum Regibus, mutuâ æmulatione atque inde odio immortali accensis, Christianorum Respub. diuerso vtriusque affectu distracta, præter alia bene multa cladium exempla, experta est imprimis, *duas res pacem & amicitias confundere, metum & inuidiam; idque demum fieri, cùm vel de gloria vel de potentia certamen initur.* Leo X. Summus Pont. pacem inter Reges in quinquennium composuerat: sed Imperatoris Maximiliani excessu, Franciæ Hispaniæque Regibus eam dignitatem anxiè ambientibus citò dissoluta est. Carolus Francofurti Imperator, supplantato callidè æmulo designatus, rebus feliciter compositis ferox, quod fœdus non voluntas, sed necessitas expresserat, apertè violans, belli consilia in Franciscum agitare cœpit. Is ademptum maioribus suis Burgundiæ Ducatum querebatur, Principatum Mediolanensem, Cæsarum (vt dictitabat) patrimonium occupari; Rex pecuniæ Neapolitanæ prædes prout ex fœdere quondam conue-

nerat, postulabat. His aliisque eiusmodi initiis excitata primum odia: inde exarse- runt vtrinque minæ ac verborum contu- meliæ, eruperuntque ea, nefas! bella, quæ A. C. orbem Christianum grauissimis damnis 1521. ac malis immerserunt. Nam eo tempore laborantibus intestinis odiis ac bellis, Re- gibus ac Principibus Christianis, Alba- græca ciuitas Hungariæ nobilissima, A. C. Christianorum propugnaculum munitissi- mum, à Turcis expugnata est. Rhodos insu- 1523. la clarissima à Solymanno Turcarum Im- A. C. peratore post longam obsidionem dedi- 1526. tione capitur. Hungaria vastata igne & ferro, Buda direpta, Ludouico Rege cum exercitu profligato ac cæso: Vienna obses- sa, aliaque id genus publica detrimenta percepta sunt, duorum vitio Principum. Franciscus quia saluis cum Cæsare fœderi- *Francis-* bus, Henrico Nauarræ Regi adesse in re- *cus I.* cuperando regno poterat, flagrante apud *Franco-* Hispanos seditione Andream Foxium, *rum Rex* aliosque spectatæ virtutis Duces cum præ- A. C. cipuo Franciçæ iuuentutis robore eò mit- 1521. tit. Antequam Cæsar contractis copiis im- petum sisteret, *quia conuersis ad ciuile bellũ* *Tac.* *animis, externa sine curâ habebantur.* Pom- *hist.1.* peiopolim frustra nuper tentatam, egregiâ oppidanorum nobiliúmque operâ vsu re- cipit: ac breui totâ penè Nauarra potitus est. Hispani positis inimicitiis, quibus equestris ordo in plebem exarserat, iras ci- uiles in hostem publicum vertunt. Iunctis animis armisque ad Francos, quippe qui

vlterius progressi totam Hispaniam terruerant, suis (vt aiunt) focis ac tectis exigendos, tanquam ad cõmune incendium extinguendum vndique concurrunt, singularum vrbium pericula, mutuis viribus propulsaturi. Ad Noyum vicũ ignobilem pugnatum; clade insigni fusi fugatiq; Franci. Amissum celeriùs quàm recuperatum fuerat Nauarræ regnum; mox capto Fonte Arabico munitissimâ gentis vrbe superior deleta clades aut reparata foret quodammodo, nisi statim proditione Petri Nauarruli, Hispani eandem recuperassent, interiectis aliquot mensibus quasi vicem Gallis Hispani reddituri, Duce Arausio Principe,
A. C. 1522. Aquitaniæ fines haud meliori successu adoriuntur. Arausius actuaria naue in Italia vectus, ab Andrea Doriâ tum partium Francicarum (nam breui ad Hispanos vir Genuensis deficiet) captus & in Galliam reductus est. (Hic mihi necessariò monendus lector: diuersis ac distinctis bellis eorumque temporibus, velut permixtis, historiæ ac rerum ipsarum ordinem perturbari nonnunquam: id verò visum est cùm ad confusæ & permixtæ narrationis perspicuitatem, tum ad rerum quæ explicantur facilitatem, quasi necessarium: ne scilicet velut desultoriis equis, in hæc atque alia bella temerè transeuntes, in diuersa intentos animos, si omnia suis locis ac temporibus redderemus, hinc inde distraheremus.)

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Bellum Flandricum septimum.

AB Aquitania sese in Belgium belli adhuc nascentis turbo, maiori fragore, quàm partium damno inflexit. Cæsar copiis præfecerat Henricum Nansoum. Is Mosone ad Mosam vrbe per deditionem ab homine ignauo capta, Maserias expugnare statuit: ea vrbs Mosa amne vndique alluitur, nisi quà Arduennas respicit: nam ea parte à terra aditum habet. Castris positis cùm vrbem acriter defendi ab Anna Mommorantio & Bayardo fortissimis ducibus perspexit, post XL. oppugnationis diem, seditione à Germanis orta, & Francorum aduentu territus, soluit obsidionem: Mosone mox à nostris recepta, cum aliquot oppidis expugnatis, terrentur vicissim qui terruerant. Franciscus auidus pugnæ, Schaldim clarissimum Belgicæ amnem traiicit, Cæsaremque diu expectauit frustra: nam is citato cursu Valentias se proripuit, vt eius oppidi mœnibus, qui sua virtute tutus esse non poterat, tegeretur. Per id ferè tempus Hisdinum in Morinis à Borbonio nondum transfuga vi expugnatum est, magna Cæsarianorum strage, arx tormentis bellicis per aliquot dies concussa deditione capitur. Tornacum

Franciscus I. Francorum Rex
Guich.
Ferro.
Bellay.
Parad.
Belcard.

vicissim ab hoste captum, cùm Rex ingenti tunc aquarum eluuie interclusus, copias auxiliares & commeatum inducere in oppidum non posset. Sic mutuæ vicissim vrbium quassationes, parem penè vtriusque gentis fortunam fecere. Infamia tamen penes hostem fuit, quem non sua virtus, sed *fuga omni clade turpior ac indigna Duce*, Francorum manibus ereptum seruauerat. Inde principum discordiam ac populorum arma in Belgio aliquot velitationes magis quàm pugnæ exercuerunt, nullâ re memorabili gesta. Quo tempore vt bellis externis turbæ domesticæ miscerentur: Latrones militari more incedentes, & omnia longè latéque diripientes, Duce quodam Macloueo qui se Regem Guillotum dictitabat, apud Petracorios vincuntur & capiuntur: horum Rex truncatis prius manibus, Parisiis supplicio capitis afficitur, reliquo cadauere in quatuor partes diuulso.

Franciscus I. Francorum Rex A. C. 1523.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Mediolanense tertium.

Guicciard. Gal. Capel. Ferron.

SVperioribus bellis, quasi præluderent, vires experti suas Franciscus Rex & Carolus Cæsar, arma sua in Italiam communem certantium Regum velut arenam transferunt. Nam leuiora inter illos ha-

ctenus fuere discrimina; nec vsquam ad vniuersæ rei dimicationem ventum: sed ad singulas prouincias oppidaque circumferendo arma sua, Martem sollicitauerant verius, quàm commiserant: vnum certamen, ex quo cætera pendebant, intuente ac festinante Fortuna: vterque Rex paruo rei discrimine, summæ experiebatur euentum. Orto primum inter vtriusque legatos dissidio: mox Francisco agmen ducente bellum improsperè gestum, singulari Christianorum damno: namque, vt iam prædiximus, à Solymanno capta Rhodos, cui seruādæ à publico Religionis hoste melius militassent Reges. Nunquam maioribus odiis animisque, neque acrioribus Ducibus, tantisque cōpiis decertatum: totum terrarum orbem facile subacturis, si contra Barbaros ducerentur. Pugnatum est ingenti contentione, sed victi ad extremum Franci, Italiamque Francorum esse sepulcretum nostræ clades cōfirmarunt. Nec defuerunt præuia Francicæ cladis signa: nam Mediolani arx fulmine de cœlo tacta corruit. Inito igitur Leonem inter Pontificem & Carolū Cæsarem fœdere; Parma totis vtriusque viribus obsessa est à Federico Mantuano Principe, qui aureum D. Michaëlis Torquem Francisco Regi remiserat: Prospero Columna, Ferdinando Daualo Piscariæ Marchione fœderatarum partium Ducibus, parum felici exitu: nam ad eam tuendam Lescunus à Lautrecio Mediolani Rectore præmissus cum expedita Equitum

A. C. 1521.

Franciscus I. Francorum Rex

manu pari vigilantia incubuit. Fuit illa prima Francorum, sed non longi temporis felicitas: nam breui fortuna reflauit. Nihil adeò vires Francorum debilitauit quàm Heluetiorum ab Rege defectio; hos Medicæi & Sedunensis Cardinalium industria à Francis disiunxerat: prodentibus etiam nostrorum consilia Venetis, quò faciliùs hostes breui Mediolano mutatis oppidanorum animis potiti sunt. Sequutæ fortunam multæ ciuitates, Lautrechio ad Venetos dilapso, Alexandria, Ticinum, Parma, Cremonaque, quæ frustra deinceps à Francis oppugnatæ sunt: fusis insuper ad Picocham castrum ignobile nostrorum copiis. Rex audita suorum in Italia clade nihil motus, exactis Gallia nuper Anglis Cæsaris fœderatis, Carolum Borbonium cum aliquot nobilibus ad Cæsarem transiisse
A. C. 1522. vehementer doluit. Is (vt sunt procliues hominum ad dissidia voluntates) velut pœniteret eius fidei ac virtutis, quam bellis superioribus præstiterat Regi, præfracti vir animi, perire quam parere malens,
Tacit. *vt est animus violentus obsequij ignarus*, subito prauus ac præceps è Gallia frendens discessit: à Carolo Quinto ita benignè ac liberaliter exceptus est, benigniusque in dies habitus, quò maior ira in suos eminebat, crebræque nunc querelæ, nunc minæ percipiebantur. Itaque summa Hispanici exercitus ei protinus commissa est. Hoc instructus, rerum maritimarum Præfectum Boniuetum à Rege in Italiam præ-

missum profligauit. Digna immortalitate Bayardi Equitis clarissimi Delphinatis (cui Boniuetus primo conflictus ardore, plumbo ictus, summum copiarum imperium A. C. serò transtulerat) vox memoratur: hic 1523. moriturus, cum Borbonius misereri se tanti Equitis quem lethaliter ictum aduerterat dixisset; minimè (inquit) omnium: sed tui te pudeat, perfuga, quem in Regem tuum, in communem patriam armatum, fi- *Francis-* dei quondam datæ immemorem, Ciues *cus I.* horrent, ipsi hostes tacitè detestantur. In- *Franco-* de Massiliam oppugnatum contendit Bor- *rum Rex* bonius: sed re infecta discedere cum Pisca- *A. C.* rio post XL. obsidionis diem coactus est. 1524. Reuersus in Italiam, reliqua partium Gallicarum in Mediolanensi agro oppida, ad defectionem compulit. Rex appetente iam hyeme, frustra suadentibus multis, vt per legatos tantum bellum gereret: semetipsum ad ea seruaret, quæ magnitudinem suam caperent, eos aut cum gloria eius perdomituros Italiã omnem: aut si aliter euentus ferat, sine eiusdem infamia hostibus cessuros, nihil motus, quasi status imperij aut salus prouinciarum in discrimine verteretur, ire se, & Regiam maiestatem opponere hostibus debere respondit: minora bella, minoribus Ducibus delegãda: haud dubiè potentior author præsens futurus suis copiis impigrè bellũ capessendi, quod ægrè per Præfectos suos moliebatur. Itaque probato Bonniueti consilio Alpes transgressus, diffugiente Carolo Lanoie-

Neapolitanorum prorege Mediolanum repente occupat, Cæsarianis partim Ticinum, partim Laudem Pompeij compulsis: quos si turbatos (vt par erat) ac fugientes esset insequutus, fuisset eâ die bello finis impositus, cum nominis Francici gloria, non Francorum strage, ac tanti Regis captiuitate quæ mox sequuta est redemptus. Igitur quasi suo fato obsecutus, relicto Mediolani Tremolio, cum præsidiis, Ticinum infeliciter oppugnat. Ioannem Stuardum Scotum Albaniæ Ducem, cum x peditum millibus ac M. ferè Equitibus Neapolim: tum Michaëlem Antonium Salutianorum Principem cum aliquot expeditis cohortibus in Genuenses mittit. Ita sparsæ Gallorum vires, quas coire oportuerat, aduersus tot hostes, ipsamque adeò fortunam. Sed profectò, *ineluctabilis fatorum vis, cuiuscumque fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.* Tandem fato vrgente, factaque ex vrbe eruptione, inde vehementer vrgente, cum recentibus è Germania copiis Borbonio desertore, exteris trepidantibus, quasi fugiendi non pugnandi societatem iniissent. Rex suffosso semel atque iterum equo, certamen pedestre intrepide, vbi Mars atrocissimus erat, iniit; vt nullum fortissimi militis officium omitteret, qui constantis nuper Ducis munere functus fuerat. Irruente demum turba, Lanoio Neapolitano Proregi diffisus Borbonio ob implacabile in se odium, sui deditionem fecit. Sic tamen interritus, &

Vell. l. 2

Franciscus I. Francorum Rex

par

par tantæ calamitati, vt nullo modo oris maiestas deformaretur: perinde ac si victus de victoribus triumpharet. Tot talesque Francicarum partium cæsos aut captos viros, non recipit enarrandos hic scripturæ modus. Fama est Regem Borbonio ad se venienti, non tam captiuitates suæ, quàm singularis in Magistro Equitum quondam suo perfidiæ pudore affectum ita locutum; Egregiam verò laudem, Borboni, egregia spolia refers, tuis oppressis, victis, dissipatis: illum ad hæc, Ego quidem (ô Rex) si me nemo coëgisset ad ea molienda, libens abstinuissem. Diu agitatum inter Proceres Hispanorum, quò primum duceretur tutò custodiendus. Tandem transuectus in Hispaniam, vbi contracta ex nimio captiuitatis tædio ægritudine vitæ periculum adiit: vnde mox recreatus, receptis quas fortuna suadebat (cogente sane durissimo necessitatis telo) conditionibus, in Galliam aliquantò pòst liber dimissus est: datis tamen antea obsidibus liberis. Spes erat quieturos Principes nisi Francisci animum Cæsaris seueritas exasperasset. Quis credat vllum populum, aut hominem in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutiùs quàm necesse sit mansurum? adeò *odium certaminibus ortum vltra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neque ante inultum esse desinit, quàm esse desiit.* Liu. l. 8 Vell. l. 1

CAPVT VIGESIMVM.

Bellum Italicum secundum.

Francis-cus I. Francorum Rex A. C. 1526. *Flor. l. 3. c. 5.* *Iustin. l. 31.*

BEllum Italicum capto altero Duce, Gallorumque viribus haud leuiter debilitatis, extinctum videbatur; sed eo iniquissimis pactis libero, vehementius exarsit. Itaque vt *extincta parum fideliter incendia, maiore flamma reuiuiscunt*: ita ille de integro Principum fœderatorum copiis, totâ denique regni sui mole, in Italiam rursus Præfectorum Ductu bellum transmisit. Nec mouit Franciscum Regem liberorum captiuitas: alia esse Patris officia, alia Patriæ iura, quæ non liberis tantùm, verùm etiam vitæ ipsi præponuntur. Cæsar priùs geri quàm parari bellum audiit: tantâ celeritate instructo paratoque exercitu Franci in armis fuerunt, vt quos venire non senserant; videre se vix crederent Cæsariani. Carolus itaque re insperata territus Borbonium egregium sane imperiorum suorum administrum ac potentia struendæ adiutorem, ex Hispania in Italiam cum copiis dimittit: qui tentatâ Florentia vrbe nobili ac copiosa, cuius direptionem pro stipendio à biennio ferè militibus Germanis non persoluto (namque modò seditionem incœptauerant direpta eius supellectile vnde paulum recreatus egens miles)

destinauerat: dum inter Primores pugnam ciens, scala muro fixà Romam expugnaret, emissa glande plumbea, dubium à suis an ab hoste, interficitur; tristi vitæ exitu qui honestiùs pro patria occumbere potuerat. Hunc exitum fortuna esse voluit, corrupto eius animo in diem, quæ illi omnes belli ac pacis virtutes, vnius temeritate facti abstulit: qui si (vt par erat) Regi militasset eximius bello vir, quantùm ille Francisci I. ac ciuium suorum partes debilitauit; tantùm Cæsaris fortunam depressisset. Caietæ sepultus hac Epigraphe. *Aucto imperio, Gallo victo, superata Italia, Pontifice obsesso, capta Roma, Carolus Borbonius in victoria cæsus hic iacet*: tantulo tempore quo Hispanis se applicauerat, gentis fastum adeò induerat: debuit etiam sepulchro apponi. DESERTA PATRIA, PRODITO REGE. Arausiacus Princeps, cui primæ à Borbonio partes, vidit cadentem Is (vt P. Volumnium P. Valerio Cos. cæso fecisse quondam ferunt) dato negotio suis, vt corpus ducis pallio iniecto obtegerent, ipse in locum vicemque Borbonij prouolat, pro ardore impetuque, tantæ rei sensus ad militem non peruenit: priùs vrbem cepit ac vicit, quàm se pugnare sine duce sentiret. Roma igitur à Cæsarianis barbarum in morem diripitur: nec parcitum flaminibus purpuratis: non virginibus Deo sacris, non ipsi, nefas! Pontifici: capitur, vincitur, circumducitur, quantò clementior ac humanior Totila qui Româ potitus, libera ciuium

A. C. 1527.

Franciscus I. Francorum Rex Lib. l. 3.

corpora, inuiolatam mulierum pudicitiam esse iussit. Quid animi fœderatis interim Pontificis indignissima captiuitate, & Roma fœdè direpta vehementer accensi, per Fecialem apertè bellum indicunt faciuntque. Franciscus etiam Rex præfatus antea

Dion. *multò melius esse, multoque iustius vnum pro multis, quàm pro vno multos interire*; Cæsarem si sanguinis impendio sui bellum vellet dirimere, ad singulare certamen prouocauit. Eo rem eludente, missus cum exer-

A. C. 1528. citu Lautrechius in Pontificis subsidium. Hic Boschum, Alexādriam, Genuam mox ab Andrea Auria (qui à Rege ad Cæsarem defecerat) proditam, Liguriamque omnem recipit: Ticinumque tantâ sui laude expugnat, vt regiæ nuper cladis acceptam superiori bello labem obliterasse ac deleuisse diceretur. Inde Regis imperio obsecutus, quanquam inuitus, Neapolitanam expeditionem aggressus est. Terra marique res feliciter satis primùm gestæ: nam Melphis, prostratis vi tormentorum mœnibus capta direptaque; recepta Capua, Samnium totum, Calabriæ pars, Campaniaque ad Neapolim in Francorum potestatem cessere: donec immodicis caloribus, cœlique inclementia fatigati Galli, erepto viuis Lautrechio, grassante in exercitu grauissima lue,

Franciscus I. Francorum Rex. Neapolitanam obsidionem deserere coacti sunt. *Francis enim æstus valde est inimicus & grauis, neque libentes æstate bellum gerunt Brumæ verò tempore vegetantur, validioresque fiunt, & tunc commodissimè labo-*

res ferunt. Nec feliciori successu Francorum arma Genuam, Mediolanum, Ticinumque, recepta ab Hispanis oppida, tentarunt: vt tot aduersis, ipsa Fortuna velle videretur. Italiæ imperium è Gallorum manibus vindicari. Tunc secure ac tutò Hispanorum Rex Italiam penè omnem Francisco Borbonio, quem Rex eum decem circiter millibus miserat, in Cæsarianorum manus incidente Francis ereptam, ad nostra vsque tempora, quo iure, qua iniuria occupauit. Interim exhausti tot bellis Reges, remissa à Cæsare Burgundiæ petitione, qua vehementer animo torquebatur, redditis Regiis liberis, quos paternæ libertatis sponsores obsidesque acceperat; ad pacem, quam *reduci velle victori expedit, victo necesse est*, animum adiiciunt: quæ apud Cameracum sancita, breui (vt inter viros summos ratò conuenit) violata est. Italia interim penè vna tot delirantium Regum iras odiaque luente.

Agath. l. 1.

A. C. 1529.

CAPVT VIGESIMVM PRIMVM.

Bellum Sabaudum primum.

VEctus in Italiam Carolus V. Cæsar à Pont. Maximo Clemente VII. Bononiæ Imperatorio diademate coronatur, designatóque in Cæsarem fratre Ferdinando, rebusque cæteris, prout collibuerat,

A. C. 1530.

A. C. 1531. compositis in Italia, Franciscum bonarum artium ac literarum studiis curandis penitus intentum, quasi aliquid præter pactum moliretur, in cæterorum Principum inuidiam trahere conabatur: cumque in Germaniæ *A. C. 1532.* Principes sæuiret Cæsar, miserorum partes (quod verè regium est magnificum & ingens) amplectitur Franciscus. Sed nullâ re magis commotus est Carolus, quàm Henrici ac Francisci Regum, Bononiæ primum, deinde Caleti, ac tandem *Franciscus I. Francorum Rex.* Clementis Pont. Massiliæ congressu: missus etiam à Solymanno Turcarum Imperatore ad Franciscum Regem Legatus, vehementer exterruit. Armis tamen cassatum est ab Rege, qui Tunetensi in Africâ expe- *A. C. 1533.* ditione occupatum opprimere poterat, si Francis æque promptum foret violare fœdus, ac inuadere aliena Cæsari. Itaque vigente adhuc cum Cæsare Cameratensi fœdere, antequam *continuum inter æquales discordiæ malum*, ad veteres inimicitias vtrumque reuocaret, & concoctæ diu inter æmulos Reges, odij atrocioris faces erumperent, Sabaudiam ac Pedemontium arma *A. C. 1535.* Francica perlustrarunt. Mortuo Sfortia, is violato gentium iure Francisci Regis legatos interfecerat, & ad vindictam atrocissimæ iniuriæ Regem armauerat; in Carolum Sabaudiæ Ducem belli *procella grauis versa est. Is totum se à Gallis auerterat, amicitiarum iura non fide, sed successu ponderans, Cæsaris (vt ferè fit) florentes opes sequutus. Rex materno iure

ibi principatus partem vendicabat. Nicæam, Villam Francam, multaque Taurinorum oppida in fide ac clientela Comitum Prouinciæ, ab Sabaudo occupata contendebat. Illatæ insuper Gallis ex Italia redeuntibus contumeliæ, adeo *acres habent aculeos iniuriæ quas imponit inferior*, non leuiter Franciscum accenderant: cuius dolori Marchio Salussianus, & idem perfidè ad Cæsarem deficiens, faces admouerat. Itaque vt ex morbo Rex conualuit, præmisso qui res more militari repeteret, Franciscum Borbonium Fani Paulini Comitem cum multis peditum Equitumque millibus sequi iussit. Tanta fuit vincendi celeritas, vt cùm nullus fugæ locus Sabaudo esset relictus; Franci vix exerto gladio potiti Sabaudia, capto peditione Monte Meliano, in Taurinorum fines profecti, pari celeritate Regionem omnem subigerent; Vercellas Antonius Læua nomine Cæsaris tuebatur: is Francis renunciat saluo fœdere expugnari vrbem non posse. Quare Ioannis Cardinalis Lotharingi consilio, quasi vetuisset Rex aliquid è Cæsaris ditione attingi, copiæ ab oppido remouentur: *adeò illa Francis sancta sunt, quæ ab hostibus impunè toties violata sunt*: namque is contra pactum Ticinum amnem cum copiis nuper traiecerat. Sed dudum familiare huic genti omnia recta & honesta negligere dummodo potentiam consequantur. Quo tempore vt non regna solum, sed & ciuitates passim turbarent, Geneuates ad

G. Bellayus. F. Belc. Ferro. Parad.

Galli omnium gentium ac nationum fide sunt maximè integra & constanti. Scalig. exerc. 167. sect. 1.

Lemannum lacum & Rhodani fluenta siti, eiecto vrbis Antistite omnique clero, neglectaque Ducis sui authoritate, in factiones prolapsi, in libertatem se asseruerunt: ignoscerem si suas Religioni partes reliquissent, à qua desciscere, desipere est.

CAPVT VIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Prouinciale Massiliense.

P. Iouius. Ferro. Belcar. A. C. 1536.

Diuturni belli malis Franciscus Franciæ Rex & Carolus V. Imperator fessi, in multos annos pacem pepigerant; sed tam longum otium tam altis defixæ radicibus inimicitiæ non tulerunt; Itaque quinto fere anno rupto à Cæsarianis fœdere, ab Italia vbi grauissime detonnerat, in Franciam Hispanici fulminis turbo se deflexit. Nec tamen citra terrorem malum fuit: cùm Franciæ fines optimis præsidiis Franciscus Rex muniisset, facta etiam agrorum euastatione, vt nihil præter saxa & solitudines hostibus relinqueretur: salutari imprimis consilio, & vt patuit exitu Cæsarianis exitiali, quò factum vt deinceps illuserit Cæsari nimia imperij propagandi cupiditas. Recepto igitur per Antonium Læuam Fossano, relictisque ad Taurini oppugnationem decem circiter armatorum millibus, cum reliquis copiis in tres partes distributis, Galliam eo tractu quo Italiæ adhæret,

ſtatuit Cæſar adoriri. Incitatus Italorum vocibus, elatuſque animis ingentibus, Galliæ totius, & (ſi poſſet) Europæ cupiditate flagrabat: hic fortiſſimi Imperatoris hærebat felicitas, vna hæc fortunæ mora, quàm ſi tolleret aliquando, nullum voluntati cupiditatique obicem repertum ſe confidebat. Igitur Iulij Cæſaris Triumphos meditatus, inde Picardiam, hinc Aquitaniam per Legatos, ipſe aggreditur Prouinciam, in qua celebris Phocenſium Colonia Maſſilia, mediterranei maris Hiſpaniam inter & Italiam fluctibus commodiſſime alluitur; profeſſus (quo erat ille animo in Chriſtianiſſimum Principem affectus) *aut ſe vnum è Germanis m·ſerrimum, aut Franciſcum Regem vnum è Gallia infimum breui fore.* Quieſcere poterat & victoriis frui ſuis Imperator, ſi aduerſus immodicas cupiditates ſtaret terminus: ſed ea erat Principis auaritia, ea dominationis cupiditas, vt adhuc implere vellet, quod iam circumfluebat. Rex donec iuſtæ coirent copiæ Lugduni ſubſiſtens, Mommorantium, Aubignium aliosque inſignes viros ac militari vſu præſtantes Cæſarianis opponit. Prima hoſtium acies capta expilataque Antipoli. Brigolium tenue oppidum expugnat: cæſis aut captis leui occurſu, quas offenderat cohortibus. Tum quaſi bello confecto triumphare Cæſar & leuem illum conflictum pro ingenti gloria numerare inſtantibus. Nec dubiè ouantem vidiſſet & doluiſſet. Francia

Franciſcus I. Francorum Rex.

nisi superbiam & insolentiam Franciscus compescuisset. Fama est plerosque è Cæsarianis, prouolutos ad genua, orasse agros sibi feracissimos vberrimosque, ac nobilissimas regni præfecturas attribueret: Cæsaremque patriæ superbiæ haud oblitum, quia satis videretur instructus ab obterendum hostem, annuisse: quasi vicisset, qui hostem non vidisset, inter viarum anfractus angustiasque montium, ab regionum incolis & locorum peritis, damna passus grauissima, vt singulis penè miliaribus eius acies sisteretur. Nam ea est regionis natura, vt leui præsidio ingentes exercitus, facile coërceantur: tandem Aquas Sextias perducitur. Tentatum frustra Arelatum: mox tota belli moles Massiliam delata, huic præerat Antonius à Rupe Fucalda, cum aliquot viris insignibus. Cæsar fortissimi cuiusque delectu habito; cum omni nobilitatis flore eo fertur: opportunam sane huc illuc commeantibus ad Italiæ Hispaniæque commercium triremibus stationem ratus Massiliam. Oppidanorum singularis in Regem fides, in hostem eximia virtus eluxit: iamque admotis grauioribus machinis mœnia quassabantur, cùm Henrici Delphini (Francisco fratre nuper Antonij Læuæ, vt dictitabant, opera veneno sublato Turone ad Rhodanum) aduentu, obsessi recreati sunt: retardati ab oppugnatione tantæ ciuitatis hostes. Auidus pugnæ cum Cæsarianis conferendæ Delphinus, vt erat iuuenili ardore plenus, Mommorantij Re-

Franciscus I. Francorum Rex Non minus est imperatoris consilio quàm gladio superare Cæs. l. 1. bell. ciu.

ctoris prudenti consilio, quo plura quàm vi perficiuntur, abstinuit: nullo loco, nisi quantum necessitas cogat, committi rem Fortunæ oportere arbitratus: *potior quippe victoria moderata sine vulnere, quàm eadem si decertes & vincas, summè optima & cruenta.* Fremebat interim miles, quòd conspectum Francorum hostes ferre possent, tantulo spatio interiecto, signum belli ferociter exposcentes edocet, quanto detrimento, & quot virorum fortium morte necesse esset constare victoriam: hostem sponte iri superatum sine ferro ac periculo: *sibi nunquam adeo vllam opportunam visam esse victoriæ occasionem quam damno amissi pensaret militis: imo semper visum esse gloriosum, quod esset tutissimum.* Sic milites consolatus paratos ad dimicandum reducit in castra continetque. Cæsar verò vt præuisum fuerat ac prædictum, omni commeatu interclusus, ac rerum penuria omniũ pressus, audito Regis aduentu, ad eam desperationem adductus est, vt vasis minimè conclamatis, turpi agmine, stratis suorum, qui partim fame, partim ferro, aut morbo perierunt, multitudine, itineribus, in Italiam re infecta, incenso Aquensis Senatus tabulario reuerteretur. Par accepta à Cæsare clades, ac si iusta acie funestoque prælio victus & profligatus aufugisset: vt videretur manifestè aduersa nunc fortuna velut in ostentationem fragilitatis humanæ destruere, quæ modò rebus supra vota fluentibus secunda adstruxerat.

Nunquam consilia Ducis iudicio exercitus, sed exercitus prouidentia Ducis regendus est Pater l. 2.

CAPVT VIGESIMVM TERTIVM.

Bellum Flandricum octauum.

Franciscus I. Francorum Rex. SVo præteritum loco referatur: neque enim tam graues tumultus expertes turbationis vel in exiguo opusculo esse queunt. Dum in Prouincia circa Massiliam *A. C. 1536.* improspero impetu Cæsar dimicaret, haud impari fortuna res Belgicæ à Cæsarianis gerebãtur. Henricus Nansous, coactis raptim subitario delectu multis Germanorum *Ferron. Belcar. P. Iou. l. 35. Till. Latini. Pac.* millibus, quò certior ac paratior Cæsari foret Galliæ inuasio, de intercipienda Ferona cogitabat, ea capta Lutetiæ Parisiorum admoturum se copias, & victorem victori tot bellorum Cæsari occursurum professus. Ita nimirum est, *vix vnquam contigit & abundare fortuna; & indigere arrogantia.* Diceres diuersis partibus vna se eaque grauissima execratione obstrinxisse, non prius quàm Lutetiam Galliarum primariam vrbem expugnassent, reuersuros: tantùm sibi vel de viribus suis, vel de fortuna spondentes: *adeò rebus secundis quæ non habent vnquam modum, etiam egregij bella duces insolescunt.* *Tac. 2. hist.* Ferunt etiam per hos ferè dies, vt diuersis in locis hostium superbia quæ tãdem extiterit innotescat, Fossano in finibus Pedemontij expugnato, Cæsarem plus æquo superbientem, festiua &

ad propositum arguta cauillatione, ab Franco Equite elusum & irrisum fuisse. Interrogatus nimirum Francus, cui à Rupe Cenomanensi cognomen fuit: post lustratum à Cæsare exercitum, quot dierum interuallo à Parisiorum vrbe distaret: tum acutè ille & lepidè, si vt præliorum (ait) ita & dierum rationem habes, duodecim dierum itinere & amplius dissitum te esse puta, ni forte illico hostium Dux prima congressione occubuerit. Rex antequam Cæsarianis occurreret multis ac firmis præsidiis loca omnia finitima hostibus munierat, Borbonio, Vindocinensi ac Guysio Ducibus, summa imperij tradita: imperatumque ne iusta acie contenderent, sed extremum hostium agmen, carpentes infestantesque fatigarent, Nansous Guysiam tenuerum oppidulum & penè solo nomine celebre expilatis ciuibus occupat Fanum Quintini, & situ & oppidanorum virtute firmatum ac munitum aggredi non ausus; Peronam perrexit. Latus parte vna ingens, vrbem alluit defenditque; vrbs modica, arx paruula, sed cincta validis mœnibus. Sæpe hostes quassatis muris irruerunt, pari audacia quâ irrumpebant pulsi: Oppidanis ipsisque mulieribus vltro militum munere strenuè fungentibus. Acta deinde res est cuniculis: sed inanis hostium conatus fuit, actis in contrarium iisdem operibus. Ita post longum tempus soluta obsidio est. Irritus etiam circa Richarij Fanum labor. Hisdinum à Francis receptum post lon-

Franciscus I. Francorum Rex

gam oppugnationem. Fanum Paulinum non longè dissitum, fossa, aggeribus & propugnaculis, validoque præsidio munitur, sed breui conflato ingenti exercitu Cæsariani, vi & armis expugnant: hinc Monstrolium deditione capiunt: vtrumque incendunt: mox pactis vtrinque trimestribus induciis dum Morinorum ciuitas obsideretur, soluta obsidione, vt ab oppido sic ab armis discessum est. Eodem tempore Henrici Delphini auspiciis, Suza, Moncalerio aliisque arcibus & oppidis vltra Padum. Cæsariani pellebantur, quare trimestres induciæ in triennium productæ, atque inde Pontifice Paulo III. Rege, ac Cæsare apud Nicæam Prouinciæ vrbem congredientibus, in decennium prorogatæ, cum post multas & longas disceptationes pax conciliari nisi intuta posset. Nec ita multò post flagrante in Belgio seditione, cùm à Gandauensibus Franciscus euocaretur, eluso vanis pollicitationibus Rege, qui fœderis religionem commodis suis anteposuerat: Carolus accepta Regis fide in Flandriam transit. Huic à Rege, Regiis liberis, & tota nobilitate obuiam itum est, ad radices vsque Pyrenæorum: exceptus Parisiis vt vbiuis locorum regia pompa, incredibili apparatu, magnificentia singulari; vt saltem armis sæpe victi, nonnunquam etiam victores liberalitate vinceremus. Cæsar in Flandriam Valentianas vsque nobilissimo ac frequentissimo comitatu deductus, Tribunis supplicio affe-

Belli ea irritamenta, non Pacis blandimenta induciæ sunt. Iust. l. 31

A. C. 1539.

Franciscus I. Francorum Rex

ctis, arce inusitatæ magnitudinis extructa, ferocissimos quosque in officio continuit.

CAPVT VIGESIMVM QVARTVM.

Bellum Italicum tertium.

SErebat dudum belli semina Franciscum inter & Cæsarem discordia, quæ maxima excreuerunt ob Cæsarem Fregosium & Antonium Rinconium, hunc ad Solymannum, illum ad Venetos Legatos, à Cæsarianis nefariè contra ius gentium occisos, mansit id factum altiùs apud Regem quàm credi posset: vlturusque erat quamprimum pro viribus grauissimam iniuriam nisi Cæsare in Africam profecto, publico Christiani nominis bono, quo nihil sibi sanctius esse toties ostenderat, iram ac iustum dolorem remisisset. Reuerso ex Africa Cæsare re infecta, amissis atrocissima tempestate CXL. nauibus, cùm Legatorum cædes inulta per Cæsarem abiret, de belli ratione inter Proceres consultatum est. Consilium Regis fuit, vt variis à locis Cæsarianos pelleret, dubitantesque vbi moles belli verteretur, fatigaret: quamquam vtilius foret, vno loco hostem acerrimè impeti, quàm copias variis bellis distrahi, tentatū inani oppugnatione Perpinianum. Carolus Aurelius in Leucorum fines cum

A. C. 1540. *Paul. Iou. Parad. Ferro. Belcar. Bellay. Monluc. Till. Chro.* *A. C.* 1541.

Guysio missus, multa oppida qua vi, qua deditione capit, Luxemburgum, vastam vrbem fusis primum Cæsarianis ingentique præda abacta cum vexillis, verso in fugam Arausio, occupat: tantus terror iniectus Antuerpiæ; vt de deditione cogitarent oppidani. Parte alia Borbonius Cæsarianos ex improuiso adortus variè afflixit: sed reuocatus ab Rege Aureliorum Dux paruit cùm res magnas regnoque vtiles gereret, *plus in imperio quàm in victoria positum esse* ostendit: gnarus iam tum *parendo potius quàm imperia Ducum sciscitando, rem militarem contineri*. Quo tractu temporis bellum in Italia trahebatur occupatione castellorum munitioneque: captis receptisque vix credas semel ac iterum à diuersis vnis iisdemque vrbibus, quę tum pugnandi pertinacia extiterit: hyeme summa, tempestate perfrigida, imbribus assiduis non animos à rebus bellicis ac curis Franci Hispanique remittebant. Cæsar quò maturius vicissim regnum Galliæ omnibus modis euerteret, sollicitatis longâ oratione in Regem Germanis, quàm potuit maximas cõtraxit copias, ac tripartito agmine Franciscum aggreditur: initoque cum Anglo fœdere Galliam pro vtriusque præda fore edixerat, eâ coniuratione motus Franciscus, Turcarum classem Duce Ænobarbo famoso in stipendiis habuit: Nicæa capta receptaque, ferenda tot mala, nisi indigna Christianissimo Rege aliquot Piorum captiuitas accessisset. Barbaris cum ingenti

A. C. 1542.

Franciscus I. Francorum Rex Fl. l. 1. c. 14. *Tac.* 1. *hist.*

A. C. 1543.

præda recedentibus. Rex Anguianum Comitem, Franciscum, Borbonium rei militaris peritissimum in Italiam cum copiis misit. Is Carignianum ad Padum corona cinctum oppugnabat, cum Cæsarianis pugnæ copiam offerentibus, apud Cerisolium eam cladem intulit, vt x x. ferè millia hostium quorum Dux Alphonsus Aualus Vasti Marchio erat, memorabili virtute, illustrissimaq; victoria cæderentur. Tanta palantium cędes fuit, vt plus vulneris eo prælio Hispani acciperent, quàm superioribus dederant. Ac primo quidem congressu hostes in nostros summo impetu inuecti ordines turbarunt, sed mox toto robore connixi Franci, in Germanos proruentes, dissipatos magna strage conciderunt. Equites inde à latere prouolantes perturbatis hostibus institere, Heluetiisque additi magnum victoriæ momentum attulere: quamquam Gallis haud incruenta victoria obtigerit DCCC. Equitibus desideratis. Carignianum ab Aualo maximis impensis qua Padus ponte iungitur, munitum deditione captum: Monferratensis Principatus, Cazali Trinoque exceptis in potestatem Francorum cessit. Dum hæc tam feliciter in Italiâ gererentur. Luxemburgum à Cæsare receptum est. Santodiserium deditione in eiusdem ditionem venit. Vnde Cæsar infamia aspersus tertia iam oppugnatione irrita discessisset, nisi sulphurei pulueris inopia, indignantes oppidanos ad deditionem compulisset. Tum auidus

A. C. 1544.

Franciscus I. Francorum Rex

Cæsar Lutetiæ diripiendæ, Matronam traiicere parabat, cum tandem inita pax Franciæ populationibus à Cæsarianis finem imposuit.

CAPVT VIGESIMVM QVINTVM.

Bellum Anglicum IX. Bononiense.

A. C. 1544. *Parad. Paul. Iou. Belcar. Monlu. l.2. Till. Chro.*

DVm in Gallia Cæsar armis superbè grassaretur, Henricus VIII. Angliæ Rex icto cum hoste fœdere, nuper Landricio pulsus, proximam Oceano Belgicæ partem variis cladibus infestabat. Eius impetum Henricus Delphinus, quamquam copiis longè impar hosti quandiu adfuit, repressit: sed recentibus in dies viribus auctus Anglus, reuocato Delphino, Monstrolio tandem Bononiaque diuersis temporibus potitus est. Bononiæ irrita fuisset oppugnatio, Vindocinensi Duce crebris subinde cladibus hostes oppido incubantes infestante, nisi vel metu Coucyi Veruini Rectoris, aut eiusdem ignauia perfidiave post tertium obsidionis mensem deditione caperentur. Veruinus biennio post capite truncatus est. Hinc Richarij fanum incendit, & omnem agrum miræ fertilitatis euastat. Franciscus re audita, Henricum Delphinum eò redire iussit, aduentante Regis exercitu, in Angliam cum copiis Henricus Rex properè reuersus est. Quo tempore

classis Gallica trecentis & amplius nauibus instructa & valida, maris imperio potitur, ac ora Britannica perlustrata, Anglos in portus refugere cogit: Bononiam quoque Rex cũ ingenti exercitu proficiscitur. Adfuit & Bielus, qui vt Bononia (cui quondam præfuerat) hostem extorqueret, cùm vi oppugnari nõ posset, propugnaculum frustra ab Anglis petitum extruxit: eoque velut fræno continuit. Tandem Claudij Ennebaldi maritimarum rerum Præfecti opera, pax ea lege inita est, vt Anglus accepta in singulos annos à Francisco pecunia, Bononiam aliaque oppida Gallis restitueret. Interiectis deinde aliquot mensibus Henrico VIII. Angliæ Rege mortuo, Franciscus I. fato functus est, in arce Rambuletana an. Sal. MDXLVII. Rex virtute eximius, bello acerrimus, aliquando fortuna, semper animo maximus, consiliis Dux, miles manu imperio singularis, literarum amantissimus, quarè situ tenebrarum vindicauit, accitis vndique viris clarissimis, quos amplissima mercede conduxerat, quippe ante eum Regem ita abiectæ ac prostratæ fuerant, vt vix vllum extaret earum vestigium: sed eo authore ac parente, vniuersæ vno quasi impetu lacertos mouere, & in apertum prodire visæ sunt. Cæterum in eo præter cæteras virtutes, artem vnam egregiè mirabilem reperire est, semper ei maiorem in aduersis, quam in secundis animum extitisse: neque enim tantus Rex tantæque virtutis ac scientiæ

A. C. 1545. Franciscus I. Francorum Rex

A. C. 1546.

Sigon. l. 2.

Tac. 2. hist. ignarum erat *fortes & strenuos contra fortunam insistere spe; timidos & ignauos, ad desperationem formidine properare.* Nec defuit tamen in tanto Rege tantisque virtutibus ornato quod iure reprehendas: nimius in aulicarum mulierum conuiuia, mundum, & luxum affectus, sæpe maximarum rerum momenta euertit; adeò *nihil est tam*

A. C. 1548. Plin. Panegy *perfectum, vt non alicuius vitij censurio offendatur.* HENRICO II. longo iam rerum vsu tantæ molis capaci filio regni habenas commisit. Henricus seruatum ex naufragio imperium, sed propè lacerum restituit, ornauit, auxit.

CAPVT VIGESIMVM SEXTVM.

Seditio Popularis tertia.

Henricus II. Franc. Rex. A. C. 1548. Thuan. Cormer. Belcar. Sleidan.

ABerat in ordinandis Franciæ Italiæque (quæ ditionis suæ erant) rebus HENRICVS II. circumferens regno tot bellorum fluctibus iactato diu, præsentia sua Pacis bona: peragratione tot itinerum ac lustratione prouinciarum optimo Principatus vsu consilioque praua consilia, si quæ tacitè molirentur hostes, anteuertens aut euertens: cum grauissima seditio Aquitaniam propè omnem, ac principem gentis Burdegalam ob vectigal Salinarium inuasit: huius primum tributi authorem vt præmonuimus ferunt Philippum Vale-

ſium cùm atrociſſimis ab Angelo bellis premeretur. Eò proueↄt s eſt multitudinis furor, vt trucidatis ad vnum exactoribus, nonnullis etiam nobilium qui regias partes tuerentur interfectis, creſcentem in dies numero iuſtum exercitum componerent. Vaſtatis agris, incenſis pagis, direptis etiam nonnullis vrbibus, flagrabat latè incendium, Burdegalæ cæſo Præfecto, Triſtano Monnennio dum accenſas furoris popularis faces extinguere conaretur, longè atrociſſimè vexilla ſeditionis attollunt: graſſataque latiùs popularis audacia foret, niſi à magiſtro Equitum Anna Mommorancio, vi armorum oppreſſa plebs in obſequium principis tandem rediiſſent: mulctata grauiſſimis pœnis in ordinem redacta eſt, Hoc tractu temporum in perſuaſionis reos Lutheranos, VValdenſes, alioſque hæreticos igne & ferro animaduerſum eſt: tutiùs fortaſſe ſi priùs, naſcente adhuc ſub Franciſco I. malo; nimirum externa vulnera tot præliis ac cladibus accepta, domeſticorum curationem impediebant: geſtæ etiam pro Scotis fœderatis his temporibus res, haud ita magno ſucceſſu: itaque Henricus Rex maius in animo quàm quod cum Britannis bellum meditatus, Petrum Strozzam, & Colinium Andelotium in Galliam reuocat Capellabironio qui Scoticis rebus præeſſet relicto. *Henricus II. Francorum Rex*

CAPVT VIGESIMVM. SEPTIMVM.

Bellum Germanicum quartum.

A. C. 1549. *Buchã. Corn. Thuan. Belcar.* Restituta Henrico II. Franciæ Regi ab Anglo Eduardo VI. Bononia, pax numerata ingenti pecuniæ summa, initur inter Reges; Cæsar commisso nuper ad Albim Germaniæ notissimum amnem prælio, captis in acie Saxoniæ Duce Friderico, Philippo Lantgrauio Hessæ, aliisque Germaniæ Principibus, insignem victoriam reportauerat. Germaniæ Proceres indigna sociorum calamitate commoti, ad hæc nimiam Cæsaris potentiam veriti, Henricum II. Francorum Regem, DEFENSOREM ET SACRI IMPERII PROTECTOREM renunciant. Insignè quidem nomen & egregius titulus, nisi Lutheranis deferentibus sumeretur. Eò facilè inclinauit Rex toties à Cæsare prouocatus, gloriosum id sibi ac genti Francorum ratus, si Germanicæ libertatis author haberetur. *A. C.* 1550. Itaque præmisso Anna Mommorancio Equitum magistro, *A. C.* 1551. Tullum, Virodunum, & Mediomatricum amplissimam vrbem Mosellæ ac Sellæ fluentis hinc inde irrigatam, occupat relictaque Catharinæ Medicæ coniugi rerum Francicarum cura præcipua, Carolo Lotharingiæ Regulo in Galliam mis-

so, cum exercitu subsequitur. Metim antiquam dominationis Francicæ partem nec ignobilem, Austrasiæ regni quondam caput Rex progressus, receptis in fidem ac clientelam suam oppidanis, deiecta Aquila cum Herculis columnis, implexas ter vna crescentis Lunæ effigies cum eo titulo. *Donec totum implebat orbem*, appendi imperauit. Inde Treuirorum finibus peragratis Alsatiam (vt vocant) ingressus; caput gentis Coloniam Argentinam: eo quod Metim modo intercepisset, ni aliorum exemplo facti prudentiores ciues, aditum Francis præclusissent. Commeatus tamen Regio exercitui abundè ministratus. Henrici aduentu cum numerosissimis copiis, Cæsar ob continuam rerum felicitatem antea visus pertinacior, ad pacem cum Germanis Principibus æquis legibus ineundam compulsus est Solutis primum carcere Principibus, cum Mauricio Saxone conuenit. Rex data Germaniæ pace ac libertate, in Galliam reuersus est: captis ex itinere aliquot Cæsaris oppidis. Vastatisque Luxemburgensium agris, vlsiscendi magis quam prædæ studio ob recentes adhuc Mariæ Hungariæ Reginæ Cæsaris sororis, quæ profecto cum exercitu in Germaniam Rege, Campaniæ fines aliquot excursionibus infestauerat, iniurias. Fœda res his ferè temporibus Luteriæ Parisiorum contigit. Lymphaticus quidam Genuensium delirio laborans Virginis statuæ caput gladio amputare

Henricus II. Francorum Rex

in frequenti hominum concursu conatus, cum non resipisceret, post tertium quàm captus est diem, execta lingua, viuus pro templi vestibulo exustus est.

Till. Chr.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Obsidio Metensis.

A. C. 1552. Sleidan. Belcar. Parad. Corm. Thua.

CArolus V. Imperator, indignatus vehementer tot ditionis Germanicę oppida Francorum Regibus accessisse, constitutis in Germania rebus, centum armatorum millibus subnixus Metim expugnare, quamquam alienissimo animi tempore, appetente iam hyeme, summo rerum apparatu constituit. Rex cognito Cæsaris consilio Franciscum Guysium rei militaris Ducem peritissimum cum præsidio valido, & equestris ordinis flore delibato vrbi præfecit. Is comportari in vrbem ad belli subsidium necessaria illico imperat, ne virtute tot nobilium virorum munitum insigniter oppidum, annonæ inopia vinceretur, Fossis insuper, vallis aggeribusque se communiit: ipse nonnumquam humeris suis egestam humum exportabat, vt paribus operibus cæteri se accingerent, tanti Ducis exemplo incitati. Dirutis si quæ hosti vsui forant extra vrbis promœria locis, maximum fortissimumque Imperatorem expectauit. Albertus Brandeburgus, primus Rhenum cum

Henricus II. Franc. Rex.

cum ingentibus copiis transmisit: Gallicarum partium primò visus; mox cùm suspecta esset Guysio eius fides, totum se Cæsari apertè sublatis dolis addixit ab eo. Claudius Lotharingius Guysij frater Dux Aumalius leui prælio profligatus captusque est: quæ primùm blandita felicitas Cæsarem festinauit. Castra igitur posita, & corona vndique cinctum oppidum. Cæsaris aduentu, admotis illico maioribus ac grauioribus machinis, magno fragore ac terrore muri deiecti; sed virtute Francorum ac Guysij prudentia partim refecti muri, partim hostium irruentium impetus repressi sunt. Ausi etiam nonnunquam feliciter erumpere obsessi, Cæsarianos non leui clade affixerunt. Francisco Cliuësi Niuernensi Duce aliisque Principibus viris, hostes ad castra subinde lacessentibus. Iam difficillimum anni tempus, imbres propè continui, assiduæ Francorum eruptiones Cæsaris exercitum debilitauerant: sed omnia incōmoda virtute superaturum se confidebat. Cuniculis actis munitiones vrbis subruere tentauit; sed repertis inde aquis, hinc rupibus, in irritum labor cessit. Tum Gallis cum spe defensionis, propugnandi studium accessit maius, & hostibus eadem de causa spes potiundi oppidi discessit. Itaque cùm inopia etiam obsidentibus quàm obsessis esset grauior & maior, variè à Guysio elusus Cæsar, desperata vrbis expugnatione, re infectâ, ac summa suorum ignominia & iactura, amissis XL. & amplius ar-

matorum millibus, ab oppido abscedere
A. C. 1553. coactus est. Fuit hoc ferè vltimum Caroli operum: nec *plus vltra* in Francum mouit, allisa ad hoc saxum tanti imperatoris fortuna, cuius immensæ cupiditati ea meta METIS imposita est; sic lepidè cauillante Poëta,

Henricus II. Francorum Rex

Carolus Herculeas fertur transisse columnas,
Siste viam Metis: hic tibi Meta datur.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Bellum Italicum quartum.

Corm. Parad. Belc. Mon. l. Popel. *A. C.* 1554.

HEnricus cum Carolo Cæsare in Galliarum finibus, vario rerum euentu & prope æquali, sed sæpius Francorum prospero confligebat; cùm ab vtriusque legatis bella Italica haud pari felicitate gererentur. Quis credat fortunæ in Cæsarem iocum? Ducibus blanda ac fauens, ipsi adeò aduersa, vt nunquam ea consilia ac bella feliciter succederent, quibus ipse præfuerat; palmasque non suis, sed alienis manibus colligeret, Carolum Cossæum (Brissacum vocant) Tribunum militum post Iani Carracioli excessum copiis ac ditionibus Italicis Rex præfecerat, is multa eaque illustria virtutis testimonia edidit: nam Mirandulanum Parmensemque Principes à Cæsarianis ac Pontificis pressos liberauit. Pedemontij arces vrbesque innu-

rieras, Vercellas, & Montisferrati caput Cazale intercepit. Sed morbo impeditus: insuper inimicorum insidiis appetitus, vt *eminentissimis viris ac factis adhæret comes inuidia*, in Franciam à Rege euocatur, Termensi in eius locum suffecto. Vix biennio exacto, Brissaco rerum summam iis in regionibus resumente, Valentia aliæque vrbes expugnantur. Sed inita mox pace, tantæ felicitati modus est impositus, vt post Quintinianam cladem dicturi sumus. His ferè temporibus: pro Senensi republica bellum exarserat. Eam vrbem Gallis ob primos conditores Senonas cognatam, præsidio imposito Cæsar inuaserat. Ciues libertatis appetentissimi, Hispanicas cohortes multa cæde vi expellunt: hanc tacitè aggressus frustra Imperator: sed Florentinus Dux occupatis Corsico bello (quod à Termensi gerebatur) pro Francis Senensibus, arce interceptam vrbem inuasisset, ni commodè Petrus Strossius rerum gestarum fama illustris, periclitantibus opem ciuibus attulisset. Hic Marignanum Marchionem acie fudit cæsis hostium x. millibus. Verùm reparatis animis ac viribus, iterum Senas expugnatum contendit. Strossius auctus nouo Francorum delectu, castris periculoso in loco positis, ad hæc ab Italo exercitu proditus, vt victoriam armis, sed pretio comparatam habere se mox hostes gloriarentur, ad depugnandum acie non tam coactus est, quàm Thomæ cuiusdam Albenæi consilio persuasus;

Henricus II. Francorum Rex.

Monlucio per expeditos Equites identidem in castra missos frustra dissuadente. Poterat Strossius aut abstinere prælio, aut
A. C. in tutiorem locum copias reducere noctu
1554. potissimum ex consilio plurimorum: sed nimirum *ineuitabile est fatum.* Apud Marcianum ea clades accepta, quà nostrorum V. millia ceciderunt, Strossio Duce grauiter sauciato, capti quingenti, præter Termensis Tribuni cohortes eò præmissas, à Friderico Columnâ ex occursu prostratas ac concisas. Tum Senæ obsessæ & tormentis vndique laxatis verberatæ, egregiè defensantibus puellis ipsis, ne quis sexus à certamine cessaret. Nec sine grauissima clade hostis integra victoria potitus est, à Cerillaco egregio iuuene Monluci (is vrbi præerat) nepote, ex improuiso in ipso vrbis conspectu fusus ac profligatus. Sed nec cessit; peruigilio nascentis Seruatoris, nocte concubia affixis scalis, in vrbem diuersis partibus irrumpere conatus, magna internecione repellitur. Tum machinis quati cœpta tanto impetu mœnia, vt de deditione ciues cogitarent. Continuit aliquandiu trepidos Ducis sui Monlucij authoritas: sed penuria vltima rerum omnium fessa
A. C. tandem ciuitas deditionem sui fecit Cæsa-
1555. rianis. Quo tempore maritimis præliis victi Hispani à Francis. Altero in Mediterraneo mari, in Oceano altero à Normanis Dieppensibus. Deductæ in portum Hispanorum captiuæ naues, victoriam nobilitarunt.

CAPVT TRIGESIMVM.

Bellum Belgicum, siue Flandricum.

SOluta (vt diximus) Mediomatricum obsidione, Cæsar quanquam alioquj deinceps quiescere statuisset, tamen abolendæ tantæ infamiæ cupiditate motus, Binecurrij præstantis viri ductu auspiciisque, aliquot Belgicæ Galliæ oppida ditionis tum Francicæ aggressus est. Initium à Morinis: horum ciuitas post varias hinc inde acceptas clades, tresque hostium quassatis vi tormentorum mœnibus irruptiones, tandem à Cæsarianis capta, deleta incensaque tristissimum sui spectaculum præbuit: tanto fini timorum in miseram vrbem odio, vt lapidum (quæ vix supererant) frustra, quo suum in diruendo oppido studium ostenderent, demum comportarent: nec iusta vltio, sed credulitas diceretur: aut si visa vltio fuit, priuato odio magis quàm publicæ vindictæ illata. Cruenta & sanguinaria inter se bella, vterque popul. & viribus copiarum & Ducum artibus gerebat, quæ rabies finiri solo partis alterius interitu, sine ruinâ finitimorum non poterat nec verò mirum: quippe vt eam penitus hostes deiicerent, fundamenta murorum ab imo molliuntur, ne quod vrbis vestigium extaret: vasta soli-

Henricus II. Francorum Rex. Corm. Sleid. Parad. Thua. Popel. Belc.

tudo & ſterilis humus excuſſis etiam radicibus linquebantur. Hiſdinum pari propè ſorte captum direptumque eſt, à Philiberto Caroli Sabaudiæ Ducis filio, quem Henricus Rex vniuerſis Principatibus exuerat.

A. C. 1553.

Apud Rentiacum in finibus Ambianorum à Gallis viciſſim Cæſariani profligantur, captis aliquot oppidis expilatiſque. Sic Galli Hiſpanique aſſiduis prœliis in diuerſiſſimis regionibus confligebant. *Adeo pugnax gentium illarum indoles eſt: adeo diuerſi mores, vt altera niſi alterius pernicie quieta eſſe non poſſit.* Fruſtra diu S. Pont. pacem ſuadente, cum graues & ſuſceptas pridem inimicitias exercerent; nec quidquam inter diſſimiles voluntatibus amicum eſſe poſſet. Cæſar inde ſeu rerum ſuarum faſtidio, ſeu vitæ tranquillioris deſiderio, ſeu malorum conſcientia ductus, pio certè & ſingulari exemplo, vt nullis deinceps negotiis permiſceretur, quæ inſignis trāquillitas vitæ eſt, ſe ſuis omnibus regnis Bruxellis abdicauit. Hoc facto indicta videbatur orbi Chriſtiano alta quies, cùm à Phillippo filio res iterum turbari cœptæ ſunt. Paulus IV. Pont. Max. Francis impensè amicus, ab Hiſpanis premebatur: miſſi ab Henrico ad Philippum qui aut Pontificis pacem aut bellum reportarent: ſed cùm nihil conſilia proficerent, & alter iuſto eſſet ferocior, alter niſi quieto ſummo Pontif. quietus eſſe non poſſet, ad arma vtrinque ventum eſt. Franciſcus Guy-

Henricus II. Francorum Rex

A. C. 1556.

A. C. 1557.

ſius ſpectatæ dudum virtutis cum validiſſimo exercitu in Italiam miſſus, facilè amiſſa prioribus bellis recuperaſſet; niſi ſummo Pont. conciliatus Philippus in Francos belli Italici molem ſollicitatis etiam ad partes Anglis vertiſſet. Igitur Fanum Quintini XL. armatorum millibus obſidetur, præter Anglorum ex affinitate fœderatorum appendices, Annæ Mommorancio Equitum Magiſtro rei ſumma à Rege demandata eſt. Is ſubſidium oppido inducere per paludes fruſtra conatus, ad pugnam cum hoſte conſerendam, vix explicatis ordinibus compulſus eſt. Atque vt *acies ſi ſapienter diſponitur, plurimum iuuat: ita ſi imperitè, quamuis optimi bellatores, mala diſpoſitione franguntur*, hoſtes, priuſquam totis viribus fulta conſtaret noſtrorum acies, ſigna inferunt: adortique fluctuantem turbam huc atque illuc; addito turbatis mentibus clamore atque impetu inuadunt, Magna internecione victi Franci captique inſignes viri ex Franciæ Primoribus, oppidum expugnatum. Ea clade Rex permotus, edicto nobilitatem omnem in armis adeſſe iuſſit: quod non niſi in ſumma rerum deſperatione fieri ſolet. Lutetiam Pariſiorum promoueri hoſtium exercitus potuiſſet. Euocatur ex Italia Guyſius, qui Ciuitellæ obſidioni diligentius eo tempore incumbebat, qua repente, ſoluta, cùm res in Gallia ob infeliciſſimam pugnã vrgerent, eò citatis equis aduolat. Huic

Veget. l. 3. c. 1.

Henricus II. Francorum Rex A. C. 1557.

belli summa, capto Equitum Magistro, nullo iam repugnante à Rege committitur, vt (quæ agendi ratio formaque, vltimæ semper necessitatis habita est) videret, caueret, ne quid detrimenti res Gallica vltra pateretur: quam ille sua virtute & fortuna dudum perspecta in tuto ac securo posuit. Tulit protinus & voti & consilij sui pretium Francia: neque diu latuit, aut quid posset tanto Duce freta, aut quid pateretur, destituta. Namque in eadem arte fallendos hostes ratus, qui nihil tale opinantibus Gallis Quintini Fanum obsederant, oppugnauerantque; Iccium portum, Caletum vocant, cum aliò molem belli vertere se velle affinxisset, ab Anglis prope CCXI. annos occupatum, intra octauum diem insigniter recipit. Inde Cuynam eiecto Hispanorum Anglorumque præsidio, aliaque oppida tanta felicitate ac celeritate, vt omnium ore, DVX MAXIMVS VINDEXQVE GALLIAE diceretur. Tandem post aliquot leues in Belgio conflictus, omnium voto cruentissimis bellis quæ cum exteris, gesta sunt, finis impositus, Anno scilicet rep. Sal. MDLIIX quo tandem licet sero, magna Gallicæ Hispanicæque gentis, tum verò Reipublicæ Christianæ voluptate, innata mutuò vtrique genti odia conquieuerunt: Pax, adfinitates, aliaque mutuæ vincula amcitiæ, quæ tandiu exulauerant redière. Hoc tractu temporis, Venetiis controuersia inter Henrici II. & Philippi II. Franciæ Hispaniæque regum oratores oborta est,

Omniū consensu receptum est Christianissimum Regem primum esse inter Reges, &

vt non armis modò, sed etiam dignitatibus contenderent: vterque enim primum & honoratiorem locum apud Principem senatum publicè sibi exhiberi postulabat. Francus iure pridem recepto nitebatur: Hispanus tot regnorum accessione ac potentia Gentis suæ: quasi lex naturæ, vti inter pecudes, sic inter homines potestatem & imperium valentioribus dedisset. Diu id patres decernere recusarunt: vicit Francus: nihilque ex antiqua priorique consuetudine, quodque omnium memoria obseruatum fuerat, immutatum à Senatu. Tam ægrè id tulit Hispanus, vt propterea Oratorem suum reuocaret. Atque is fuit orbis vniuersi sensus, ea conciliorum vox; Constantiensis anno Chr. MCDXVI. Basiliensis: Romani anno Chr. MDXIII. Tridentini anno Chr. MDLXV. Id Pontif. S. toties decreuêre Pius IV. Summum Gallo locum assignauit. Sixtus V. anno Christi MDXXCVIII. Ea denique Gentium omnium sententia. Petrus Arragoniæ Rex Philippo III. anno Chr. MCCXXC. Sanches Castellæ & Legionis Rex, Philippo Pulcro anno Chr. MCCXC. Angli anno Chr. MDLV. primum locum Franciæ Regi spreto Philippo II. qui Mariam Reginam vxorem duxerat, assignarunt. Apud Varsauiam in Polonia anno Chr. MDLXXVII. decretum fuit, vt Pont. Max. Legatus Primus, Cæsaris Secundus, Francorum Tertius, Hispanorum Quartus audirentur ac admitterentur. Apud Verbi-

primum ei deberi locum post imperatorem. Campeg. c. 16. Tract. de auct. Sac. Con. Super omnes Reges Christianorum. Rex Francorum obtinet Coronã libertatis & gloriæ. Baldus Cons. 31. Rex Francorum Regum censetur

Dignissimus Matt. Pa. hist. Ang. Dominus Rex Francorum est super omnes Reges. Bald. Quantùm cæteros homines

num anno Chr. MDXCVIII. Clemens VIII. S. Pont. Legatus, ius suum Francis Oratoribus quanquam diu reluctantibus Hispanis seruauit. Cæterum eo ordine Romæ Christiani Principes numerantur: vt constat ex Rom. Ecclesia libello (vt vocant) rituali.

IMPERATORES CHRISTIANORVM.

Imperator Romanorum.

Imperator Constantinopolitanus.

REGES CHRISTIANORVM.

Rex Francorum.

Rex Angliæ.

Rex Castellæ, Legionis, &c.

Regia dignitas antecellit, tantò cæterarum gentium Regna, Regni Francici culmen excellit S. Gregor. Regist. l. 5. c. 106. Liber Rom. Ecclesia.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Orient. Imperij status.

MAhumeto II. (vt dictum est) Nicomediæ mortuo, fraterna primum odia Zilimium & Baiazethem liberos, inde bella commisere. Zisimius bis acie victus primò Rhodum, mox in Franciam ad Ludouicum XI. delatus, exactis aliquot cum Carolo VIII. Innocentio VIII. & Alexandro IV. Summis Pontif. annis, è viuis excessit. Versa in Caytbeyum Ægyptiorum Sultanum Baiazethis Turcarumque arma, ob exceptum & copiis adiutum Zilimium: eiusmodi vel tunc erant tempora, vt qui misericors esset, fieret nocens. Sed infelici Turcarum exitu constitit, esse superis curæ innocentiam. Tum Dalmatas & Hungaros vario fortunæ euentu Baiazethes infestauit. Quo fere temporum tractu, Veneti Peloponnesum recepere. Sed non fuit diuturna felicitas: nam Methone vi expugnata; frustra submissis à Franciæ, Hispaniæ Lusitaniæque Regibus copiis auxiliaribus, pace composita insula cessere. Baiazethem hausto veneno quod Selimus filius miscuerat extinctum ferunt. Nec verò mitius ac humanius erga fratres fuit Selimi ingenium, hos à Persis adiutos acie vicit cepitq; captis laqueo illata mors.

Henricus II. Francorum Rex

Paul. Iou.

Io. Ramus.

A. C. 1482.

Hist. Melit.

A. C. 1491.

Luctatus cum Perſis haud ita proſperè, in
A. C. 1491. Tomombeyum Ægyptiorum Sultanum
mouit: victum captumque apud Memphim hoſtem, omni ſuppliciorum genere excruciauit: ad vltimum fractâ gula. Sultani fatum ſequuta Ægypti ſeruitus, clariſſima regio Nilo præterfluente nobilis ac
A. C. 1520. ferax, Turcico imperio acceſſit. Nec multis interiectis annis Syria omnis ſub iugum miſſa: fato functus eſt VIII. dominationis anno: tantulo imperij ſpatio, tanta geſſit Baiazethes. Huic ſucceſſit Solymannus haud degener filius, rerum geſtarum ma-
Henricus II. Franc. Rex. gnitudine longè maior, humanitate iuſtitiæque imprimis (ſi illa ineſſe poteſt in Barbaro virtus) ſtudio tam inſignis, quàm crudelis perfidus ac ſceleratus Pater extite-
A. C. 1522. rat. Hic & ſua virtute, & noſtra diſcordia Magnus, flagrante Franciſcum inter & Carolum, hunc imperatorem, illum Galliarum Regem bello grauiſſimo, Taurunum in Pannonia deditione cœpit, Rhodum expugnauit: Ludouicum Hungariæ Regem, regno vitaque exuit. Captâ deinde Buda hortante ſucceſſu Viennam Auſtriæ corona cinxit. Sed claſſe Turcica ad Danubium ab VVolſgango Hodero diſſipata, ſolutâ obſidione in Perſas continuos Turcarum hoſtes remigrauit. Arabiam felicem imperio adiecit; Corſicam inſulam quàm potuit maximâ belli iniuriâ vexauit: Babylonem nobiliſſimam ad Euphratem fl. vrbem, Meſopotamiam, Aſſyriamque Perſis ademit; Quam tamen bre-

ui reparatis animis Persæ CD. Turcarum millibus, diuersis subinde prœliis concisis recuperarunt Melitam insulam quò se Rhodij Equites receperant, primum per Legatos, mox ipse adortus classe, infecta vtrobique re, in Pannoniam reuersus est, vbi morbo sublatus dux bello clarissimus, vitæ finem, cupiditatibus modum, vexandis Christianis terminum imposuit; cùm paulò ante Mustapham filium, nullius sceleris compertum, sed suspectæ virtutis adolescentem, Rosæ Pellicis instinctu, furiosus Parens interfecisset. Selimum alterum filiorum imperio reliquit. Hic primo Principatus facinore, Cyprum Venetis violato fœdere eripuit, multis Christianorum in miseram abductis seruitutem. Ea clades fusis ad Naupactum maritimo prælio Turcis reparata insigniter, LXXX. Triremibus suppressis, CXXX. captis, Ioanne Austriaco Caroli V. Imp. Notho Duce, tanta Turcarum ipsiusque Selimi consternatione, vt de summa periclitari se, si leuiter Christiani adnixi forent, faterentur. Sed dissensione Ducum inter conflatas ex diuersis gentibus copias ortâ, Veneti (quanquam victores) ad Pacem cum Turcis ineundam compulsi sunt.

A. C. 1556.

A. C. 1571. Onufr. in Pio. V. hist. Melit.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Ciuile pro Religione primum.

FRANCISCVS II. FRANCORVM REX.

Eiusmodi est hominum vita, nullum vt solidum gaudium vlli mortalium possit accidere: sed dulcissimæ rei quæque, acerbitate quadam semper condita sunt. Ecce tibi Regios nuptiarum apparatus singularis mœror repente turbauit, cùm Henricus II. fragmine lanceæ per imprudentiam ab Equite Mongommerico ictus in Ludihastio apud Turriculas anno regni XII. vitam quam felicissimè degere potuerat immatura morte finiuit. Hoc initium in Francia ciuilis sanguinis fuit, & multorum pro Religionis sensu malorum: quæ vbi totos ferè LXX annos Franciam agitarunt atrocissimis cladibus: tandem prostrata Rebellione impotenter grassari, expugnata per Ludouicum XIII. perduellium arce Rupella desierunt. Et quamuis dolorem adferant renouata vulnera: vltróque ab referendis Patriæ cladibus, quia domestica mala tristitia operienda, stylus abhorreat: neque vetera peccata reperi iã obliterata placeat, cum noua expiata sint Perduellium suppliciis: iuuat tamen nonnunquam ea legi audirique, quæ videre, audire, nedum pati refugeret animus. Maius erat Francorum imperium, quàm vt externis viribus frangi

A. C. 1559.

possent, ciuilibus bellis quæ *nec haberi nec parari possunt per bonas artes*, concussum ac penè confectum est: vbi primum à maiorũ ritu ab improbis discessum est, Ludouicus Borbonius Condæus Princeps, & Colinius rerum maritimarum Præfectus, Sectariorum partes sequuti, nouam illam viuendi rationem summum in modum auxerunt: frustra indictis ab Rege ac Senatu grauissimis pœnis. Ita *malum sponte sua & cladibus crescebat, & remediis intempestiuis accendebatur.* Nec verò in vna Gallia pro Religione turbæ ortæ sunt: in Conuallenses etiam Alpinos Valdenses à Sabaudo, in Protestantes Belgas ab Hispano, arma his temporibus sumpta sunt. Erupit primum Ambœsiana in Regem FRANCISCVM II. qui Henrico patri successerat, atrox coniuratio. Sed perduellium suppliciis statim ingrata, statim, extincta est à Guysio: hinc ille à Senatu Parisiensi PATRIAE CONSERVATOR appellatus. Comitia Aureliæ indicta habitaque, mox interrupta, & ad Esiæ pontem translata coniecto in vincula Condæo, turbarum initia extitere: infensis in Guysianos proceribus. Quo tempore, vt nostra mala cœlo monstrarentur, dirus cometes XXVIII. dies Decem. mense fulsit, certissimus Regis mortis nuncius, quippe Franciscus II. post XVI. regni mensem fatis concessit: ac breui soluto Condæo, CAROLI IX. Francorum Regis authoritate Possiacensi cum Hæreticis inito colloquio, frustra ad Pacem ineundam quæsitæ rationes,

A. Thuan. F. Belca. Serrius. Popelin. Aubig. A. C. 1560.

Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescunt, quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt contra

quàm fas est impia religiones. Nam eo irritati magis quam cicurati sectarij, in luctuosas regno turbas exarserũt, Condæus intercepta Aurelia, aliisque munitissimis oppidis ac imprimis Rothomago, occupatis, in Regem signa attollit; priuatis etiam in Guysium, Mommorancium Equitum Magistrum, & Santandream (vt vocabat) Triumuiros inimicitiis accensus. *Lact. l. 5 Iust. cap. 8.* CAROLVS IX. FRANCORVM REX. A. C. 1561. A. C. 1562. *Carolus IX. Franc. Rex.* Rex Carol. IX. flectere iratos humanitate edictorum conatus est: sed latiùs iam sese malum effuderat, quàm vt suaui remedio tolleretur, vt *omne malum nascens facilè opprimitur, inueteratum, fit plerumq; robustius.* Nihil prætermissum ab Regina matre Catharina, quò animos odiis flagrantes æstuantissimis restingueret, & ad obsequiũ flecteret: nihil à Coniuratis receptũ. Quid cladium non visum? vix vlla Galliarum vrbs reperta est, quæ non funestum plusquam ferinæ carnificinæ spectaculum exhiberet: tantúmque effusum illa rabie Gallici sanguinis, quãtum commissæ acies, totos xx. annos exhausissent. Nec publicæ magis quàm domesticę strages, vix seruata inter consanguineos pace, adeo ferox vanæ superstitionis vis, vt & naturæ ipsius iura violet. Infinitus vrbium numerus perduellibus adhæsit. Primus ciuilium armorum circa Druidas auditus fragor detonuit: tantâ ciuium strage, vt victor exercitus victo similis videretur. Luctuoso belli exitu, quo necessarium esset vinci eum qui vinceret: aut perire ciues; aut (quod æquè miserum est, apud bonos) occidere. Capti-

ui vtrinque partium Duces Magister Equitum, & Condæus, cæsus à Melerio priuatim hoste Santandreanus Eq. Tr. victoria tamen penes Regem, cùm antea apud Rothomagum Antonius Borbonius Nauarræ Rex plumbo ictus cecidisset. Ferunt Condæum à Dàmuillâ captum, apud Guysium eadem in mensa cœnasse, eodemque in lectulo decubuisse. Ita summos Duces, quos florentibus vtriusque rebus inimicitiæ capitales diuulserant, aduersa alterius Fortuna, raro alterius beneficio coniunxit. A. C. 1563.

Franciscus Guysius Regij exercitus (capto Mommorancio) Dux, Aureliam obsidebat, cùm à Sicario, Poltrotum vocant, à Perduellibus (vt creditum fuit) instructo, cæsus perfidiosè, magnum sui desiderium Regi bonisque omnibus reliquit: vir mehercule Galliæ bono, atque ex rerum gestarum gloria ornamento natus, si in paccatiore tempora incidisset. Ob tanti viri cædem, ad mortem perduellibus irrogari solitam parricida damnatus; nimirum forcipibus ardentibus primum cócerptus, deinde quatuor equis in diuersa tendentibus membratim diuisus est. Pax deinde aliqua vtrisque adeo grata fuit, fremente interim Colinio, vt sub vno iterum capite diuersis antea Reip. membris coalescentibus Anglum Gratiæ, vt vocant, portu exegerint. A. C. 1564. Ea vrbs à Francisco I. condita, ad ostium Sequanæ amnis sita est. Rex ita pacatis in tempus rebus, optimorum consilio ciuium vsus, remotissimas regni prouincias vi-

besque lustrat, magna vbique incolarum voluptate exceptus.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Bellum ciuile pro Religione secundum.

Carolus IX. Francorum Rex A. C. 1565. CAROLI IX. sororis Elisabethæ Hispaniarum Reginæ in Tarbellis apud Baionam colloquium, nouus Heluetiorum delectus, aliæque id genus causæ, Hæreticos secundò ad arma compulerunt. Rerum nouitas multos ad rebellium partes societatemque pertraxit, *nihil enim in speciem fallacius praua Religione, vbi Dei nomen prætenditur sceleribus.* *Liu.l.39 A. C. 1566. A. Thua. Serr. Popel. Aub.* Indicta nobilium, vt vocant, comitia apud Molinum speciosam quidem: sed fucatam procerum amicitiam præstitere: nam ea citò in turbas Galliæ exitiales desiit. Visum è re fœderatorum, vt tres nobilissimæ ciuitates Lugdunum, Tholosa & Trecæ interciperentur. Sed irritus labor fuit. Conuenerat insuper vt certo ac dicto die ex compacto: arma corriperent: id verò ita commodè actum, vt à perduellibus magna Galliæ pars occupata sit: *A.C. 1567.* Rex inermis nihil tale suspicatus, paruo comitatu succinctus, ab Condæo & Colignio, penè captus, vix se Parisiorum mœnibus seruauit. Tum apertè bellum geri cœptum. Leues distantibus in locis vario Marte conflictus, præludio-

rum instar extitere, donec coactis vndique copiis acerrimo prælio ad San-Dion fusi, ac profligati perduelles recederent. Victoria omni ex parte felix Catholicis extitisset, ni vulneratus, lethaliter, Equitum Magister & summus copiarũ præfectus Mommorancius intra paucos dies obiisset. Cura deinde atq; onus belli copiarumque summa. Henrico Andium Duci Regis Caroli fratri, adolescenti tot tantarumque virtutum quot & quantas temporum conditio postularet, demandatur. Huius ingenium vtrum bellicis magis operibus, an ciuilibus sufficerit artibus in incerto est: morum certè probitas, eique adiuncta ac velut à natura hausta singularis comitas, & perspecta bello virtus Sarmatis Regẽ imposuere. Sed illum tandem vel fatorum iniquitas, vel æmulorum summæ potentiæ liuor, magnis immersum malis rapuere, nunc omnia suis locis referenda sunt. Nouis ex Germania copiis Casimiro Duce à Comite Palatino missis auctus, Condæus, Carnutũ fines vana vrbis oppugnatione populatur. Pax iterum inita, sed mox dissoluta. Vrbes bello occupatæ vallis, aggeribus, atque id genus propugnaculis succinguntur à rebellibus. Rupella iam rebellis, classem ad prædas mari auehendas, neglecto Regis imperio instruit. Et ciuitates Ioan. Nauarræ Reginæ & Henrici filij præsentia confirmata, tertio ciuili bello quod maioribus viribus exarsit, causam dedit. Leuibus pugnis, ex partiũ occursu certatũ est, oppida recepta,

Carolus IX. Francorum Rex A. C. 1568.

obsessa, expugnata, vario euentu. Condæus & Colignius occasionem rei strenuè gerendæ aucupantes, nihil tumultu, omnia consilio administrant: gnari fugere ac cedere, vbi salus fugam suaderet: instare paratissimi, si spes victoriæ affulsisset. Tandem ad Bassacum siue Iarcanum in finibus Xantonum totis vtrinque viribus pugnatum est, tristi sanè spectaculo, ciuibus in ciues & sanguinem suum propinquis armatis, quâ qui pugna occubuerunt, felicius illi pro patria cecidissent. *Sæuit nimirum in se armatus furor, & suum lambens sanguinem impietas.* Strages magna perduellium edita est, cæso in acie Condæo, eoque ignominia singulari ab Catholicis (vt est omnis victoria insolens) affecto. Impositum asinæ Cadauer victoribus risum mouit. Nec despondit animo Colignius fuga saluus, sed contra fortunæ impetum (vt erat magno animo præditus) sese erigens: Germanico equitatu instructus, euocatisque vndique copiis; Pictauium obsidet. Inde pulsus ab Henrico Guysio. Tandem communis belli alea ad Moncontorium stetit, tanta partium pertinacia, vt inde non mouere nisi victo hoste, vterque exercitus statuisset. Iamque victoria Henrico inclinante, vrget Colignius, instat, animos addit fugiétibus: occursat pauentibus, retinet cedentes, vbi plurimus labor, vnde aliqua spes, consilio, manu, voce, insignis, hosti conspicuus fuit. Verum frustra ordines restaurat: funduntur, cæduntur, profligantur. Fama est inter

Sen.

A.C. 1569.

Carolus IX. Francorum Rex.

eam pugnam cœlestium equitum turmas conspectas pro Rege ac Religione dimicantes, haud dubiè piorum precibus diuinitus missas. Colignius bellum reparabat, cùm pace ab optimo Rege suis vel inuitis data, ab armis discessum est, assignatis, vt vocant, Securitatis vrbibus: quarum Principes Rupella & Mons Albanus, *ciuilis duo Semina belli.* *A. C. 1570.*

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Bellum pro Religione tertium.

PEr id tempus anno scilicet MDLXXI. Turcæ insigni victoria apud Naupactum à Christianis nauali prælio profligati sunt. Quiescentibus vtrinque armis, contracta nuptiis Carolum inter & Cæsarem adfinitas est, siquidem Elisabetham Maximiliani Imperatoris filiam vxorem duxit Carolus: nec ita multò post Henricus Nauarræ Rex Margaritam Regis sororem. Sed post vnum alterumve otij annum, inquieta principum factionibus Gallia, grauioribus longequàm antea procellis iactata est. Læso primum, mox cæso Colignio, eoque de fenestra in viam deturbato, ac continuatis perduellium cædibus, fœdissimæ in Regem coniurationi die D. Bartholemæo sacra occursum est: tanto populi furore, vt coërcere vim nulla ratio, non

Aug. Thua. Serr. Plexius & alij.

A. C. 1571.

A. C. 1572.

præconis vox, non prætorianus miles, non ipsa Regis maiestas potuerit: Principis ciuitatis exemplum multæ aliæ secutæ sunt, Aurelia, Andegauum, Rothomagus, Trecæ; Burdegala, Lugdunum, Tholosa eadem licentia in sectarios erupere. Audaci duce destituti, in diuersas Galliæ exterarumque gentium partes diuersi abire, locis etiam firmissimis communire se occipiunt. Præcipua belli arx, vltimumque post extrema omnia in Rupella perfugium: quo sublato aut subesse Regis imperio, aut more exulum abesse relictum erat. Regius exercitus, Strossio & Bironio Illustrissimis Ducibus peruastatis latè agris vrbi admouetur. Terra marique pressi oppidani, quassatis muris resistebant ægrè: creuit consternatio Henrici Andium Ducis aduentu, quo vehementer commoti, præcluso ad hæc annonæ auxiliiq; militaris aditu desperabant, armatorum millia: cum omni penè nobilitate aderant; LX. machinæ è grauioribus admota sunt. Rupellani sumpta ex necessitate audacia, & deliberata morte ferociores, vt *grauißimi sunt morsus irritatæ necessitatis*, facta eruptione multos cædunt. Dux Aumalius laxato è muris tormento occiditur. Fit vndique in vrbem impetus: sed egregia oppidanorum virtute Regij pelluntur, amissis aliquot Ducibus. Dux Andium dum incautus accedit propius, vitæ periculum adit, vulnerato qui iuxta stabat aulico. Tot continuatis irruptionibus fessi Rupellani penuria insuper commeatus

Carolus IX. Francorum Rex A. C. 1573.

Porc. Lat. in decla.

laborantes haud dubiè intra paucissimos dies de deditione cogitassent, nisi miseros & ad vltima redactos Fortuna nostris temporibus seruasset. Namque ascitus in Regem à Sarmatis (Polonos vocant) mox à Legatis gentis in regnum euocatus Dux Andium: quo fidem humanitatis faceret, qui crudelitatis infamia apud Rebelles laborabat, quia *nouum imperium inchoantibus vtilis est clementiæ fama*, vrbi veniam, libertatem sectariis, regno pacem parum honestam, petentibus Polonis ab Rege Henricus impetrauit: exemplo ab ipsis etiam hostibus illaudato. Sed finiri ciuilis belli discordia aliis artibus non potuit: quippe omnino melius, quanquam reluctantibus exteris, visum id sapientia extingui, quàm armis & ferro Rempub. diutiùs in discrimen adducere. *Bellum etiam finire cupientibus opus est decipi.* Nec melior fuisset Sancerti ad Ligerim oppidi fortuna. Ea fuisse oppidanorum fertur in tuenda patria pertinacia, vt absumptis animalibus, in vltima fame humanis carnibus vescerentur. Inuentæ, nefas! matres quæ liberorum suorum (vt Sagunti ac Numantiæ olim contigisse ferunt) tenerent semesa in sinu membra. Tot malorum idem finis, qui belli fuit, *Pax, cuius vt nomen dulce est, ita res ipsa cùm iucunda, tum salutaris.* Sed cito sperata Franciæ quies, optataque à bonis tranquillitas, atrocissima perduellium tempestate excepta esse penitúsque euanuit cum Caroli IX. excessu anno regni ferè XIV,

Tac. 4. hist.

Curt. l. 6.

Carolus IX. Francorum Rex

Cicer. Phil. 13.

A. C. 1574.

num anno Chr. MDXCVIII. Clemens VIII. S. Pont. Legatus, ius suum Francis Oratoribus quanquam diu reluctantibus Hispanis seruauit. Cæterum eo ordine Romæ Christiani Principes numerantur: vt constat ex Rom. Ecclesia libello (vt vocant) rituali.

IMPERATORES CHRISTIANORVM.

Imperator Romanorum.

Imperator Constantinopolitanus.

REGES CHRISTIANORVM.

Rex Francorum.

Rex Angliæ.

Rex Castellæ, Legionis, &c.

Dignissimus Matt. Pa. hist. Ang. Dominus Rex Francorum est super omnes Reges. Bald. Quantùm cæteros homines Regia dignitas antecellit, tantò cæterarum gentium Regina, Regni Francici culmen excellit S. Gregor. Regist. l. 5. c. 106. Liber Rom. Ecclesia.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Orient. Imperij status.

MAhumeto II. (vt dictum est) Nico-
mediæ mortuo, fraterna primum *Henri-*
odia Zisimium & Baiazethem liberos, inde *cus II.*
bella commisere. Zisimius bis acie victus *Franco-*
primò Rhodum, mox in Franciam ad Lu- *rum Rex*
douicum XI. delatus, exactis aliquot cum *Paul.*
Carolo VIII. Innocentio VIII. & Alexan- *Iou.*
dro IV. Summis Pontif. annis, è viuis ex- *Io. Ra-*
cessit. Versa in Caytbeyum Ægyptiorum *mus.*
Sultanum Baiazethis Turcarumque arma, *A. C.*
ob exceptum & copiis adiutum Zisimium: 1482.
eiusmodi vel tunc erant tempora, vt qui *Hist.*
misericors esset, fieret nocens. Sed infe- *Melit.*
lici Turcarum exitu constitit, esse superis *A. C.*
curæ innocentiam. Tum Dalmatas & 1491.
Hungaros vario fortunæ euentu Baiazethes infestauit. Quo fere temporum tractu, Veneti Peloponnesum recepere. Sed non fuit diuturna felicitas: nam Methone vi expugnata; frustra submissis à Franciæ, Hispaniæ Lusitaniæque Regibus copiis auxiliaribus, pace composita insula cessere. Baiazethem hausto veneno quod Selimus filius miscuerat extinctum ferunt. Nec verò mitius ac humanius erga fratres fuit Selimi ingenium, hos à Persis adiutos acie vicit cepitq; captis laqueo illata mors.

Luctatus cum Persis haud ita prosperè, in
A. C. 1491. Tomombeyum Ægyptiorum Sultanum
mouit: victum captumque apud Memphim hostem, omni suppliciorum genere
excruciauit: ad vltimum fracta gula. Sultani fatum sequuta Ægypti seruitus, clarissima regio Nilo præterfluente nobilis ac
A. C. 1520. ferax, Turcico imperio accessit. Nec multis interiectis annis Syria omnis sub iugum
missa: fato functus est VIII. dominationis
anno: tantulo imperij spatio, tanta gessit
Baiazethes. Huic successit Solymannus
haud degener filius, rerum gestarum ma-
Henricus II. Franc. Rex. gnitudine longè maior, humanitate iustitiæque imprimis (si illa inesse potest in
Barbaro virtus) studio tam insignis, quàm
crudelis perfidus ac sceleratus Pater extite-
A. C. 1522. rat. Hic & sua virtute, & nostra discordia Magnus, flagrante Franciscum inter &
Carolum, hunc imperatorem, illum Galliarum Regem bello grauissimo, Taurunum in Pannonia deditione cœpit, Rhodum expugnauit: Ludouicum Hungariæ
Regem, regno vitaque exuit. Captâ deinde Buda hortante successu Viennam Austriæ corona cinxit. Sed classe Turcica ad
Danubium ab VVolfgango Hodero dissipata, solutâ obsidione in Persas continuos
Turcarum hostes remigrauit. Arabiam felicem imperio adiecit; Corsicam insulam quàm potuit maximâ belli iniuriâ vexauit: Babylonem nobilissimam ad Euphratem fl. vrbem, Mesopotamiam, Assyriamque Persis ademit: Quam tamen bre-

ui reparatis animis Perſæ CD. Turcarum millibus, diuerſis ſubinde præliis conciſis recuperarunt Melitam inſulam quò ſe Rhodij Equites receperant, primum per Legatos, mox ipſe adortus claſſe, infecta vtrobique re, in Pannoniam reuerſus eſt, vbi morbo ſublatus dux bello clariſſimus, vitæ finem, cupiditatibus modum, vexandis Chriſtianis terminum impoſuit; cùm paulò ante Muſtapham filium, nullius ſceleris compertum, ſed ſuſpectæ virtutis adoleſcentem, Roſæ Pellicis inſtinctu, furioſus Parens interfeciſſet. Selimum alterum filiorum imperio reliquit. Hic primo Principatus facinore, Cyprum Venetis violato fœdere eripuit, multis Chriſtianorum in miſeram abductis ſeruitutem. Ea clades fuſis ad Naupactum maritimo prælio Turcis reparata inſigniter, LXXX. Triremibus ſuppreſſis, CXXX. captis, Ioanne Auſtriaco Caroli V. Imp. Notho Duce, tanta Turcarum ipſiuſque Selimi conſternatione, vt de ſumma periclitari ſe, ſi leuiter Chriſtiani adnixi forent, faterentur. Sed diſſenſione Ducum inter conflatas ex diuerſis gentibus copias ortâ, Veneti (quanquàm victores) ad Pacem cum Turcis ineundam compulſi ſunt.

A. C. 1556.

A. C. 1571.

Onufr. in Pio. V. hiſt. Melit.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Bellum Ciuile pro Religione primum.

FRANCISCVS II. FRANCORVM REX.

EIusmodi est hominum vita, nullum vt solidum gaudium vlli mortalium possit accidere: sed dulcissimæ rei quæque, acerbitate quadam semper condita sunt. Ecce tibi Regios nuptiarum apparatus singularis mœror repente turbauit, cùm Henricus II. fragmine lanceæ per imprudentiam ab Equite Mongommerico ictus in Ludihastio apud Turriculas anno regni XII. vitam quam felicissimè degere potuerat immatura morte finiuit. Hoc initium in Francia ciuilis sanguinis fuit, & multorum pro Religionis sensu malorum: quæ vbi totos ferè LXX annos Franciam agitarunt atrocissimis cladibus: tandem prostrata Rebellione impotenter grassari, expugnata per Ludouicum XIII. perduellium arce Rupella desierunt. Et quamuis dolorem adferant renouata vulnera: vltróque ab referendis Patriæ cladibus, quia domestica mala tristitia operienda, stylus abhorreat: neque vetera peccata reperi iá obliterata placeat, cum noua expiata sint Perduellium suppliciis: iuuat tamen nonnunquam ea legi audirique, quæ videre, audire, nedum pati refugeret animus. Maius erat Francorum imperium, quàm vt externis viribus frangi

A. C. 1559.

possent, ciuilibus bellis quæ *nec haberi nec parari possunt per bonas artes*, concussum ac penè confectum est: vbi primum à maiorũ ritu ab improbis discessum est, Ludouicus Borbonius Condæus Princeps,& Colinius rerum maritimarum Præfectus, Sectariorum partes sequuti, nouam illam viuendi rationem summum in modum auxerunt: frustra indictis ab Rege ac Senatu grauissimis pœnis. Ita *malum sponte sua & cladibus crescebat, & remediis intempestiuis accendebatur.* Nec verò in vna Gallia pro Religione turbæ ortæ sunt: in Conuallenses etiam Alpinos Valdenses à Sabaudo, in Protestantes Belgas ab Hispano, arma his temporibus sumpta sunt. Erupit primum Ambœsiana in Regem FRANCISCVM II. qui Henrico patri successerat, atrox coniuratio. Sed perduellium suppliciis statim nata, statim, extincta est à Guysio: hinc ille à Senatu Parisiensi PATRIAE CONSERVATOR appellatus. Comitia Aureliæ indicta habitaque, mox interrupta, & ad Esiæ pontem translata coniecto in vincula Condæo, turbarum initia extitere: infensis in Guysianos proceribus. Quo tempore, vt nostra mala cœlo monstrarentur, dirus cometes XXVIII. dies Decem. mense fulsit, certissimus Regis mortis nuncius, quippe Franciscus II. post XVI. regni mensem fatis concessit: ac breui soluto Condæo, CAROLI IX. Francorum Regis authoritate Possiacensi cum Hæreticis inito colloquio, frustra ad Pacem ineundam quæsitæ rationes,

A. Thuan. F. Belca. Serrius. Popelin. Aubig. A. C. 1560.

Ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingrauescunt, quia Deus mundi huius effector & gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt contra

quàm fas est impiæ religiones. Lact. l. 5 Inst. cap. 8.

CAROLVS IX. FRANCORVM REX. A. C. 1561. A. C. 1562. *Carolus IX. Franc. Rex.*

Nam eo irritati magis quam cicurati sectarij, in luctuosas regno turbas exarserũt, Condæus intercepta Aurelia, aliisque munitissimis oppidis ac imprimis Rothomago, occupatis, in Regem signa attollit; priuatis etiam in Guysium, Mommorancium Equitum Magistrum, & Santandream (vt vocabat) Triumuiros inimicitiis accensus. Rex Carol. IX. flectere iratos humanitate edictorum conatus est: sed latiùs iam sese malum effuderat, quàm vt suaui remedio tolleretur, vt *omne malum nascens facilè opprimitur, inueteratum, fit plerũmq; robustius*. Nihil prætermissum ab Regina matre Catharina, quò animos odiis flagrantes æstuantissimis restingueret, & ad obsequiũ flecteret: nihil à Coniuratis receptũ. Quid cladium non visum? vix vlla Galliarum vrbs reperta est, quæ non funestum plusquam ferinæ carnificinæ spectaculum exhiberet: tantúmque effusum illa rabie Gallici sanguinis, quãtum commissæ acies, totos xx. annos exhausissent. Nec publicæ magis quàm domesticę strages, vix seruata inter consanguineos pace, adeo ferox vanæ superstitionis vis, vt & naturæ ipsius iura violet. Infinitus vrbium numerus perduellibus adhæsit. Primus ciuilium armorum circa Druidas auditus fragor detonuit: tantâ ciuium strage, vt victor exercitus victo similis videretur. Luctuoso belli exitu, quo necessarium esset vinci eum qui vinceret: aut perire ciues; aut (quod æquè miserum est, apud bonos) occidere. Capti-

vi vtrinque partium Duces Magister Equitum, & Condæus, cæsus à Meserio priuatim hoste Santandreanus Eq. Tr. victoria tamen penes Regem, cùm antea apud Rothomagum Antonius Borbonius Nauarræ Rex plumbo ictus cecidisset. Ferunt Condæum à Damuillâ captum, apud Guysium eadem in mensa cœnasse, eodemque in lectulo decubuisse. Ita summos Duces, quos florentibus vtriusque rebus inimicitiæ capitales diuulserant, aduersa alterius Fortuna, raro alterius beneficio coniunxit. A. C. 1563.
Franciscus Guysius Regij exercitus (capto Mommorancio) Dux, Aureliam obsidebat, cùm à Sicario, Poltrotum vocant, à Perduellibus (vt creditum fuit) instructo, cæsus perfidiosè, magnum sui desiderium Regi bonisque omnibus reliquit: vir mehercule Galliæ bono, atque ex rerum gestarum gloria ornamento natus, si in paccatiore tempora incidisset. Ob tanti viri cædem, ad mortem perduellibus irrogari solitam parricida damnatus; nimirum forcipibus ardentibus primum cõcerptus, deinde quatuor equis in diuersa tendentibus membratim diuisus est. Pax deinde aliqua vtrisque adeo grata fuit, fremente interim Colinio, vt sub vno iterum capite diuersis antea Reip. membris coalescentibus Anglum Gratiæ, vt vocant, portu exegerint. A. C.
Ea vrbs à Francisco I. condita, ad ostium 1564.
Sequanæ amnis sita est. Rex ita pacatis in tempus rebus, optimorum consilio ciuium vsus, remotissimas regni prouincias vt-

besque lustrat, magna vbique incolarum voluptate exceptus.

CAPVT TRIGESIMVM TERTIVM.

Bellum ciuile pro Religione secundum.

Carolus IX. Francorum Rex A. C. 1565. Liu. l. 39 A. C. 1566. A. Thua. Serr. Popel. Aub.

CAROLI IX. sororis Elisabethæ Hispaniarum Reginæ in Tarbellis apud Baionam colloquium, nouus Heluetiorum delectus, aliæque id genus causæ, Hæreticos secundò ad arma compulerunt. Rerum nouitas multos ad rebellium partes societatemque pertraxit, *nihil enim in speciem fallacius praua Religione, vbi Dei nomen prætenditur sceleribus*. Indicta nobilium, vt vocant, comitia apud Molinum speciosam quidem: sed fucatam procerum amicitiam præstitere: nam ea citò in turbas Galliæ exitiales desiit. Visum è re fœderatorum, vt tres nobilissimæ ciuitates Lugdunum, Tholosa & Trecæ interciperentur. Sed irritus labor fuit. Conuenerat insuper vt certo ac dicto die ex compacto: arma corriperent: id verò ita commodè actum, vt à perduellibus magna Galliæ pars occupata sit: Rex inermis nihil tale suspicatus, paruo comitatu succinctus, ab Condæo & Colignio, penè captus, vix se Parisiorum mœnibus seruauit. Tum apertè bellum geri cœptum. Leues distantibus in locis vario Marte conflictus, præludio-

A. C. 1567.

rum instar extitere, donec coactis vndique copiis acerrimo prælio ad San-Dion fusi, ac profligati perduelles recederent. Victoria omni ex parte felix Catholicis extitisset, ni vulneratus, lethaliter, Equitum Magister & summus copiarū præfectus Mommorancius intra paucos dies obiisset. Cura deinde atq; onus belli copiarumque summa. Henrico Andium Duci Regis Caroli fratri, adolescenti tot tantarumque virtutum quot & quantas temporum conditio postularet, demandatur. Huius ingenium vtrum bellicis magis operibus, an ciuilibus sufficerit artibus in incerto est: morum certè probitas, eique adiuncta ac velut à natura hausta singularis comitas, & perspecta bello virtus Sarmatis Regē imposuere. *Carolus IX. Francorum Rex A. C. 1568.* Sed illum tandem vel fatorum iniquitas, vel æmulorum summæ potentiæ liuor, magnis immersum malis rapuere, nunc omnia suis locis referenda sunt. Nouis ex Germania copiis Casimiro Duce à Comite Palatino missis auctus, Condæus, Carnutū fines vana vrbis oppugnatione populatur. Pax iterum inita, sed mox dissoluta. Vrbes bello occupatæ vallis, aggeribus, atque id genus propugnaculis succinguntur à rebellibus. Rupella iam rebellis, classem ad prædas mari auehendas, neglecto Regis imperio instruit. Et ciuitates Ioan. Nauarræ Reginæ & Henrici filij præsentia confirmata, tertio ciuili bello quod maioribus viribus exarsit, causam dedit. Leuibus pugnis, ex partiū occursu certatū est, oppida recepta,

obſeſſa, expugnata, vario euentu. Condæus & Colignius occaſionem rei ſtrenuè gerendæ aucupantes, nihil tumultu, omnia conſilio adminiſtrant: gnari fugere ac cedere, vbi ſalus fugam ſuaderet: inſtare paratiſſimi, ſi ſpes victoriæ affulſiſſet. Tandem ad Baſſacum ſiue Iarcanum in finibus Xantonum totis vtrinque viribus pugnatum eſt, triſti ſanè ſpectaculo, ciuibus in ciues & ſanguinem ſuum propinquis armatis, quâ qui pugna occubuerunt, felicius illi

Sen. pro patria cecidiſſent. *Sæuit nimirum in ſe armatus furor, & ſuum lambens ſanguinem impietas.* Strages magna perduellium edita eſt, cæſo in acie Condæo, eoque ignominia ſingulari ab Catholicis (vt eſt omnis victoria inſolens) affecto. Impoſitum aſinæ Cadauer victoribus riſum mouit. Nec deſpondit animo Colignius fuga ſaluus, ſed contra fortunæ impetum (vt erat magno animo præditus) ſeſe erigens: Germanico equitatu inſtructus, euocatiſque vndique copiis; Pictauium obſidet. Inde pulſus ab Henrico Guyſio. Tandem communis belli

A.C. 1569. li alea ad Moncontorium ſtetit, tanta partium pertinacia, vt inde non mouere niſi victo hoſte, vterque exercitus ſtatuiſſet. Iamque victoria Henrico inclinante, vrget

Carolus IX. Francorum Rex. Colignius, inſtat, animos addit fugiétibus: occurſat pauentibus, retinet cedentes, vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce, inſignis, hoſti conſpicuus fuit. Verum fruſtra ordines reſtaurat: funduntur, cæduntur, profligantur. Fama eſt inter

eam pugnam cœlestium equitum turmas conspectas pro Rege ac Religione dimicantes, haud dubiè piorum precibus diuinitus missas. Colignius bellum reparabat, cùm pace ab optimo Rege suis vel inuitis data, ab armis discessum est, assignatis, vt vocant, Securitatis vrbibus: quarum Principes Rupella & Mons Albanus, *ciuilis duo Semina belli.* *A. C. 1570.*

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Bellum pro Religione tertium.

PEr id tempus anno scilicet MDLXXI. Turcæ insigni victoria apud Naupactum à Christianis nauali prælio profligati sunt. Quiescentibus vtrinque armis, contracta nuptiis Carolum inter & Cæsarem affinitas est, siquidem Elisabetham Maximiliani Imperatoris filiam vxorem duxit Carolus: nec ita multò post Henricus Nauarræ Rex Margaritam Regis sororem. Sed post vnum alterumve otij annum, inquieta principum factionibus Gallia, grauioribus longequàm antea procellis iactata est. Læso primum, mox cæso Colignio, eoque de fenestra in viam deturbato, ac continuatis perduellium cædibus, fœdissimæ in Regem coniurationi die D. Bartholemæo sacra occursum est: tanto populi furore, vt coërcere vim nulla ratio, non *Aug. Thua. Serr. Plexius & alij. A. C. 1571.* *A. C. 1572.*

præconis vox, non prætorianus miles, non ipsa Regis maiestas potuerit: Principis ciuitatis exemplum multæ aliæ secutæ sunt. Aurelia, Andegauum, Rothomagus, Trecæ; Burdegala, Lugdunum, Tholosa eadem licentia in sectarios erupere. Audaci duce destituti, in diuersas Galliæ exterarumque gentium partes diuersi abire, locis etjam firmissimis communire se occipiunt. Præcipua belli arx, vltimumque post extrema omnia in Rupella perfugium: quo sublato aut subesse Regis imperio, aut more exulum abesse relictum erat. Regius exercitus, Strossio & Bironio Illustrissimis Ducibus peruastatis latè agris vrbi admouetur. Terra marique pressi oppidani, quassatis muris resistebant ægrè: creuit consternatio Henrici Andium Ducis aduentu, quo vehementer commoti, præcluso ad hæc annonæ auxiliiq; militaris aditu desperabant, armatorum millia: cum omni penè nobilitate aderant; LX. machinæ è grauioribus admota sunt. Rupellani sumpta ex necessitate audacia, & deliberata morte ferociores, vt *grauißimi sunt morsus irritatæ necessitatis*, facta eruptione multos cædunt. Dux Aumalius laxato è muris tormento occiditur. Fit vndique in vrbem impetus: sed egregia oppidanorum virtute Regij pelluntur, amissis aliquot Ducibus. Dux Andium dum incautus accedit propius, vitæ periculum adit, vulnerato qui iuxta stabat aulico. Tot continuatis irruptionibus fessi Rupellani penuria insuper commeatus

Carolus IX. Francorum Rex A. C. 1573.

Porc. Lat. in decla.

laborantes haud dubiè intra pauciſſimos dies de deditione cogitaſſent, niſi miſeros & ad vltima redactos Fortuna noſtris temporibus ſeruaſſet. Namque aſcitus in Regem à Sarmatis (Polonos vocant) mox à Legatis gentis in regnum euocatus Dux Andium: quo fidem humanitatis faceret, qui crudelitatis infamia apud Rebelles laborabat, quia *nouum imperium inchoantibus vtilis eſt clementiæ fama*, vrbi veniam, libertatem ſectariis, regno pacem parum honeſtam, petentibus Polonis ab Rege Henricus impetrauit: exemplo ab ipſis etiam hoſtibus illaudato. Sed finiri ciuilis belli diſcordia aliis artibus non potuit: quippe omnino melius, quanquam reluctantibus exteris, viſum id ſapientia extingui, quàm armis & ferro Rempub. diutiùs in diſcrimen adducere. *Bellum etiam finire cupientibus opus eſt decipi.* Nec melior fuiſſet Sancerti ad Ligerim oppidi fortuna. Ea fuiſſe oppidanorum fertur in tuenda patria pertinacia, vt abſumptis animalibus, in vltima fame humanis carnibus veſcerentur. Inuentæ, nefas! matres quæ liberorum ſuorum (vt Sagunti ac Numantiæ olim contigiſſe ferunt) tenerent ſemeſa in ſinu membra. Tot malorum idem finis, qui belli fuit, *Pax, cuius vt nomen dulce eſt, ita res ipſa cùm iucunda, tum ſalutaris.* Sed cito ſperata Franciæ quies, optataque à bonis tranquillitas, atrociſſima perduellium tempeſtate excepta eſſe penitúſque euanuit cum Caroli IX. exceſſu anno regni ferè XIV,

Tac. 4. hiſt.

Curt. l. 6.

Carolus IX. Francorum Rex

Cicer. Phil. 13.

A. C. 1574.

CAPVT TRIGESIMVM QVINTVM.

Bellum pro Religione quartum.

HENRICVS III. FRANCORVM REX. A. C. 1575. A. C. 1576.

HENRICVS III. Poloniæ Rex, audito Caroli fratris excessu, Cracouia noctu digressus, elusis Polonis, in regnum citatis equis magnis itineribus illicò aduolauit. Inauguratus more maiorum Remis Parisios ingenti pompa ingreditur. Alenconius Regis frater, cum in Regem fraterna nō moliretur, fratris in se iracundiam concitauit. Itaque egressus nocte Druidas pergit; hunc eo insequuti Perduelles ac rerum nouandarum cupidi: breui tamen tumultus desiit. Sed quo tandem fine Francia iactabitur? Hæreticarum partium hostis Henricus multis eas edictis ac belli frangere statuit: quo & sponte & consilio optimorum rapiebatur. Itaque fœdus tacitè primum initum est inter bonos: & sacrum appellatum. vocatis ad belli societatem exteris gentibus. Blesis noua illa vitæ ratio, nec vsurpata maioribus edicto seuerè prohibetur. Inde nouæ turbæ, quæ tot annos Franciam opibus, viris exhauserunt. Ciues in se ferociter armati: quodque longè luctuosius erat, cognatæ acies depugnabant. Rege interim his deridiculum, illis miserationem ex incerto voluntatis æstu præbente! Aquitania, Septimania,

A. C. 1577. A. C. 1578. A. C. 1579. A. C. 1580. A. C. 1581.

Delphi-

Delphinatus, Pictauium; Xantones, Normania, tota circumquaque Gallia, popularium suorum deformes cædes stragesque luxit, quæque olim florentissima loca extiterant, passim miserabili specie iacebant diruta; fœdata incendiis oppida, truncatæ vrbes, excisa tholis templa, omnia situ fœdo horrida. Quo tẽporis tractu suis etiam iactata tumultibus Flandria, Alenconium ad suæ libertatis vindictam euocauit. Sed breui cum his gentibus Francorum innatæ vitæ ratio, ac licentia æquo maior displiceret, grauem passus seditionẽ ab Antuerpiacis, in Franciam reuersus statim excessit è viuis. Henricus Guysius huius obitu cum Rex extra spem habendæ sobolis videretur, in spem regni (vt iactabatur) erectus ad se, vel (si casus daret) suos transferendi, Regis familiæ Principibus labe hæreticâ inquinatis, Henrico Regi haud leuem rerum nouarum suspicionem mouit. Ea res tantam Reipublicæ perturbationem conciuit, vt miraculo fuerit maximo Galliæ salus. Namque Rex veritus, quod vtique imminebat, Regni exitium vltimum, repente mutatus animo, Nauarrum aliosque earundem partium Duces ad se pertraxit ex vsu regnandi seruata Religionis integritate. Sed citò inter fide dissimiles, amicitiâ dissoluta, ab bellum iterum cõuersus est contra imperij legem, Constantiam. Sic diuerso fluctuum æstu abreptus nutauit diu in qua se partem inclinaret amantissimus Pacis Princeps: *vt quæ iusserat repente muta-*

Henricus III. Francorum Rex.

A. C. 1582.

A. C. 1583.

A. C. 1584.

A. C. 1585.

Tac. 3. hist.

ret; *quæ vetuerat subiret*: ac liquido apparebat, initia belli ciuilis toties inuitum suscipere, quippe qui neque tutius neque honestius quidquam reperiret, quam ab omni contentione abesse. Sed dignitati consulendum fuit, Reip. seruiendum, officij ac maiestatis ratio habenda. Tandem Guysianorum consilio totis regni viribus, Henrico Nauarræ regi Condæoque Principi decretum bellum. Illi ne incauti opprimerentur, magnas vndique copias euocant: ab vtrisque Galliæ fores exteris recluduntur, in quibus serò eiiciendis laborabitur. Regio exercitui præerat Dux à Ioyesia, læta omnia ex militum ardore & fato nominis concipiens. Toto partium impetu ac robore apud Cutracum pugnatum est. Nauarrus in hostem inuectus obuium quemque fundit, cædit, sternit. Momento temporis fulgentia illa agmina, ab victore quasi fulmine aliquo perculsa aut dissipata, fugam faciunt. Captus in acie Ioyesius, mox à rixantibus gregariis, tantæ fortunę captiuus plūbo percussus occiditur. Cutracicam victoriam cæsorum numerus ac dignitas nobilitauit. Hæc primum ab Catholicis excepta clades, aduersantibus iam superis, quòd Religionis ac pietatis nomen, nōnullorum cupiditati inseruiret, honesto prætextu turbari omnia mutarique optantium. Guysius acceptæ cladis dedecus, cæsis apud Alnæum Germanis Equitibus (Reistræos vocant) in finibus Carnutum strenuè vindicat tanto omnium plausu, vt exceptus, à

A. C. 1586.

Henricus III. Francorum Rex A. C. 1587.

Parisiensibus fuerit eo honore, qui & maximus est & Regibus deferri solet: quæ res ei exitiū ex suspicione peperit: adeo *nūquam satis fida potentia, ubi nimia est*, illé enim ambitu, comitatu, cum Rege penè conferendus; nec dubiis in eum ciuium inclinationibus, Rex quasi hæreticarum partium fautor, in discrimen vitæ maximum ex ciuili furore Parisiensibus in eum excitis adducitur: quippe seditiosi ciues sumptis armis contra Prætorianos & Heluetios in vrbem a Rege euocatos, vias trabibus tabulisque obuallauerant; quod à Guysio tacitè probari ac promoueri nonnulli suspectabant; quare frendens ex vrbe Regia diris ab irato deuota egressus Rex, Guysio exitium tacitè meditatur. Res demum eò erupit vt is cum fratre Purpurato Blæsis interficeretur. Quanta vis fati? manauerat latè coniuratio, schedula etiam prandenti nata eodem die, quæ paratum si accederet ad Regem exitium nunciabat Sed vt erat animo interritus audere neminem postulato calamo rescripsisse fertur. Eo facto regnum omne in se propè armauit Henricus Rex. Ita est, *nulla grauior pestis humano ingenio insidet, quam aliè concepta suspicio.* Affectati sceptri occultæque in Regem coniurationis reus incusabatur. Tum Carolus Mœnius eorum qui sacri fœderis nomine continebantur, Dux constitutus, in Regem delectum habuit. Vrbes regni præcipuæ & Primariæ, Guysianorum partes specie Religionis deceptæ, sequutæ sunt Parisij, Aure-

A. C. 1588.

A. C. 1589.

HENRICVS III. FRANCORVM REX.

lia, Burdegala, Tholosa, Rothomagus, Lugdunum, Trece, Ambianum, Pictauium, Massilia; Prouinciæ penè omnes ab eo aut omnino aut magna ex parte defecerunt, à summo Pont. diris ecclesiasticis, ab Hispano armis, ab Francis pene omnibus conuiciis & factionibus vndique Regum miserrimus adpetitur. Pauci in fide, quod sinceri in Regem affectus supererat, salua religione, fama, bonis fauere nedum adesse vix poterat. In Regis odium ima summis, summa imis mixta: Senatus in carcerem, carcer in Senatum à xv. Tribunis effusus est; & quoad sceleratis licuit ac turbarum incentoribus, Regia Maiestas violata, pulsa; insana paucorum dominatio introducta. Rex auctus Henrici Nauarri Regis & sororij viribus ac copiis, comparatis ad hęc Nicolai Harlæi Sancyi opera ac diligentiâ Heluetiorum xv. ferè cohortibus, Parisios obsidebat, cùm à Sicario Dominicano ad D. Clodoaldi Fanum, immani parricidio, detestando sæculis omnibus exemplo, perfidiosè trucidatur; post regni annos xv. relicto indignissimæ cædis vltore, vt & potentiæ successore Henrico IV. Magno.

Tac. 4. hist. Apagete Parricidas, *bonos Principes* (cuiusmodi ille fuit) *voto expetere licet, qualescumque tolerare decet.*

CAPVT TRIGESIMVM SEXTVM.

Bellum pro Religione quintum.

Fluctuabat ciuilium bellorum diuturnis, heu! nimium procellis imperium: & tot continuatis cædibus concussum, naufragio proximum erat; cùm sumente clauum HENRICO BORBONIO Nauarræ Rege verè MAGNO seruatum, & tranquillitati redditum est. Is contra tempestatem enixus, & subducto tandem in portum nauigio, militem donis, populum clementiâ, cunctos ciuilibus malis ac bellis fatigatos, dulcedine otij pellexit, comitate & alloquiis officia prouocans, Sacrilega nece innocentissimo Principi illata: vnum illum exercitus respexit, quem nascendi ius, & digna imperio virtus euocabat maiorum suorum sceptro, vltro à ciuibus deferendo, ni conflata ex egestate rebellio, Procerum nonnullorum ambitus, exterorum ingenti spe ac viribus subnixus; sed multo maximè alienus Francorum ab hæreticâ nouitate animus, iter ad regnum aliquot menses sepsisset; quod ille mox singulari virtute, fractis ac disiectis repagulis aperuit. Carolus, Borbonius Cardinalis captiuus, Rex ab Catholicis renunciatur, rabie quadam & profunda confundendi omnia cupiditate. Nouus Rex, nouus status, noua Respubl.

HENRICVS IV. MAGNVS FRANCORVM REX.

Thua. Serr. Plexius. Henricus IV. Magn. Francorum Rex.

quæruntur. Mœnius Dux Franciæ Legatus nouo magiſtratu inſtitutus, nudo ac penè exuli Henrico, xxx. armatorum millia opponit. *Sed forti animo & iuſta audenti ac petenti homines poſſunt, cælites deeſſe non*
A. C. *poſſunt.* Quatuor vix armatorum millibus
1590. ſuccinctus: pars quantula hæc copiarum
Veg.l. hoſtilium! auſus occurrere. Sed nouerat
I.c.I. iampridem Dux bello clarus *in omni prælio non tam multitudinem & indoctam virtutem, quam artem & exercitium præſtare victoriam.* Itaque apud Arqueſiam primum feliciter pugnatum eſt. Inde Yuriacum tranſlata belli mole, vt fortitudinis Imperatoriæ, ſic clementiæ ſingularis ac verè Regiæ ſpecimen præbuit, cùm *exteris in-*
Tacit. *ſtandum acriter, parcendum ciuibus* Iulio
vit.l. maior imperaret: gnarus etiam *ingens eſſe*
Agr. *victoriæ decus citra domeſticum ſanguinem*
A. C. *vincere.* Lutetia Pariſiorum perditum rata
1591. Bearnenſem (nam id hoſtium conuicium erat) pro portis victorem videt, ſtupetque Fortunam virtuti præſidium attuliſſe. Sabaudus qui turbatis Francorum rebus Principatum, vt cœperat, augere cupiebat, magna ſuorum clade, in Prouincia ab Regiis copiis profligatur. Alexander Farneſius
A. C. Parmenſis Dux ab Hiſpano iterum in Fran-
1592. ciam cum exercitu numeroſo miſſus, fortu-
A. C. nam regiam veritus, vix extorta è duabus
1593. ciuitatibus Lutetia ac Rothomago obſidione, ſtuporis & infamiæ quàm gloriæ plenior, inſequente ac nouiſſimum agmen carpente Rege victo ſimilis in Flandriam

ægre euasit. Tandem pugnarum omnium *Henricus IV. Magn. Francorum Rex*
quas commiserat, gentium quas adierat,
Ducum quibuscum manum conseruerat
victor, suo & ciuium voto maior, fidei Catholicæ
iterum redditus, sublataque larua
quæ ciues in Principem armauerat, è con- *A. C.*
tinua multorum annorum iactatione ac *1594.*
conuulsione, victa: orbis penè (quod diffi- *A. C.*
cillimum est inter mortales) inuidia, in op- *1595.*
tatum bonis omnibus otium Rempublicam
traduxit. Victoriæ gloriam auxit moderatio
victoris: omnium vltrò citroque
acceptarum iniuriarum damnata memoria.
Tum vrbes certatim reiecto exterorum *A. C.*
fœdere, ad regis sui obsequium rediere. *1596.*
Roma, quem nuper cœtu piorum summouerat,
frustra reluctante Hispano MAGNVM,
VICTOREM, CHRISTIANISSIMVM ET CATHOLICVM in publico
velut orbis theatro salutauit. Hic aliquando
finis armis ciuilibus fuit: reliqua
pax incruenta, pensatumque clementia
bellum.

CAPVT TRIGESIMVM SEPTIMVM.

Receptum Ambianum.

EX diuturna ciuilium bellorum iacta- *A. C.*
tione, terram prospexerat Gallia, cum *1597.*
sæuus ab Hispanis turbo, fœdam in Belgio
tempestatem exciuit, *Importunissima genera
hominum, tot miserorum ciuium sanguine*

Sall. ad *satiari nequinere.* Cameracum, Caletumque cum aliquot vicinis oppidis, interceptumque imprimis Ambianum, Henricum è vindicato armis regno, bellis iterum implicuêre, quibus maior eius virtus turbis ciuilibus dudum perspecta tanto hosti, clariùs effulgeret: *nam sæpe maiori fortunæ ac gloriæ locum dedit iniuria, incommoda quoque ad bonos euentus vertente Fortuna.* Delecto raptim exercitu, & subitariis hostibus, ratus in celeritate sitam esse victoriam, priusquam Ambianum (nam eo potissimum oppido Rex angebatur) copiis Belgicis firmaretur, aduolat, obsidet, premit: Bironio Duce præclaram Regi operam nauante. Austriacus Cardinalis cum ingenti exercitu in vrbis subsidium properauit: verùm septæ armis ad suos viæ, Francorum alacritas, & subeundi quod clausum vndique tenebatur, oppidi desperatio, eò vnde profectus erat redire compulerunt, re infectâ, magna etiam suorum clade Fernando Teillo (cuius astu captum oppidum fuerat) pro muris cæso cecidit hostium animus: *adeò magnum in Duce ad victoriam & cladem momentum est.* Itaque deditionem fecere. Hanc victoriam fortunamque secutæ partium fœderatarum Prouinciæ vrbesque, cedente imprimis Mercorio Duce, totaque adeò Armorica.

Cæs.

Curt. l. 8.

Henricus IV. Magn. Francorum Rex.

A. C. 1598.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Bellum Sabaudum secundum.

PAce demum Clementis VIII. S. Pont. operâ, per idoneos rerum administros apud Verbinum in Veromanduis cum Philippo II. Hispaniæ Rege composita; Sabaudus tāto certè Regi longè impar quiescere vix poterat. Is Salassiorum Principatum, flagrante apud Francos ciuili bello inuaserat: quęsitum armis, tueri armis statuit. Tentata tamen via humanior, actaque primùm per legatos res est: mox ipse Regem adiit, cuius animum propositi tenacem flectere verbis demississimis non potuit: quippe illud regale est quà cæperis ire: nec pacem ille exteris daturus erat, nisi rebus redditis, qui suis ciuibus vitam, libertatem, otium, amissa bello omnia cum pace reddiderat Sabaudus domum reuersus ac spe delusus, nisi quod proditionis, venenum nonnullorum mentibus tacitè instillasset, vt priùs in bello pacem, sic in pace bellum quærens, pacta cum Rege distrahere, exuendam ad fidem nonnullos ex Francorum proceribus emercari, ac meras nectere haud gratis rebus visus, Regem in armis priùs sensit & vidit, quàm audiuit. Quippe Rex toties frustratus vanis Sabaudi pollicitationibus, nihil vltra cunctandum ratus,

A. C. 1599.

Henricus IV. Magn. Francorum Rex.

Ducem tripartitis copiis aggreditur, fortissimis periculosa imperans: Bironio (is mox pessimi facinoris, si patratum foret, pœnas dabit) Segusianos agros, Esdiguerio Sabaudiam, quam superioribus bellis armis vexauerat; ipse suo ductu auspiciisque Montem Mellianum arcem situ & arte hominum orbis munitissimam adortus, breui subigit. Consternatus eo nuncio Sabaudiæ Dux, à suis & ab ipsa fortuna proditum se arbitratus, pacem per Caduceatores à victore & armato habuit quàm ab inermi noluerat, ac serò captis oppidis citra Alpes didicit, *turpe esse alienarum possessionum cupidine bellum sustinere non necessarium atque adeò cum propriarum rerum periculo coniunctum*. Pro Salassiorum Principatu. Segusianorum ditio, Bresciam vocant,
A. C. 1610. Regi cessit. Sic parta domi pace, foris bellum in Flandria inquietos exercuit. Hoc ineunte sæculo non mediocre adiecit orbi Christianorum decus, natus eo anno LVDOVICVS Delphinus Henrici IV. filius,
Matth. hist. omnibus omnium gentium Regibus magnitudine rerum gestarum inducturus caliginem. Huius Regis futura excellentia manifesto prodigio præmonstrata est: nam & eo quo genitus est die domus Regia tantis puerperis decorata intremuit; & Henricus parens imposito in manum ense, victorem Rebellium fore, ac fidei defensorem prædixit. Quo ferè tempore Caroli Gontaldi Bironij perfida consilia euulgata, Regis animum alienarunt sibi, Mox mi-

râ prauitate animi atque ingenij in præcipitia conuersus, crescentibus in dies vitiis, dignum furore suo ac coniuratione inaudita in Regem exitum sortitus, in arce Antoniana (Bastillanam vocant) capite truncatur: non sine Henrici Regis maximo dolore qui seruari probatissimum Ducem, si fas & leges siuissent, voluisset; vir bello egregius, rerum gestarum gloria insignis, & honestiore exitu dignus, nisi præclara, facta fœdis in Regem consiliis obscurasset. Sic *magnis ferè Ducibus euenire vsu solet, vt magnam belli gloriam turpi morte maculent.* Magna inde Franciæ tranquillitas bellis ciuilibus & externis quiescentibus: donec immani parricidio & dira furiarum coniuratione cæsus PATRIAE PARENS, Regni à se seruati otium quod pepererat secum abstulit, anno regni circiter XXI. Quæ tum trepidatio, quæ populi consternatio, quis Franciæ metus fuerit, in quam arcto salutis exitiique confinio fuerit Res Francorum, neque festinanti exprimere vacat, neque cui vacat potest: id solum voce publicâ dixerim, cuius regni post tanti Regis casum ruinam boni timuerant, hostes sperauerant; ne commotum quidem sensimus: tanta vnius Reginę maiestas fuit, vt neque ciues illa regni Regisque moderatrice quidquam maius optauerint, nec Franciçæ felicitatis inuidi coluerint: vt non illi dignitatem sexus adimeret, sed augeret admirationem, quòd mulier non fœminas modò virtute, sed etiam viros antiret.

A. C. 1602.

Æmylius de Pauſ.

Henricus IV. Magn. A. C. 1610.

In hoc breuissimo rerum bellicarum compendio, si fas est nonnunquam pacatis & immortalitate dignis stylum impendere; eximium nostri sæculi opus transmittere silentio, si velim, nec possum iure nec debeo. Anno insequenti qui fuit Sal. repar. MDCXI. Regina Matre Mariâ Medicæâ: Henricôque Gondyo Cardinale Retensi Parisiensium Episcopo, apud S. Pontificem Paulum V. procurantibus, sanctissimæ apud nos memoriæ ac famæ, R. P. PETRVS BERVLLIVS, notæ pietatis, spectatæ prudentiæ ac vitæ, nec vulgaris eruditionis, homo virtuti simillimus, & per omnia ingenio Angelis quàm hominibus propior, Presbyterorum (vt vocant) Oratorij Domini Iesu Congregationem instituit: quam deinde continuos XXLX. annos, vltimo vitæ regno Francorum ac Religioni vtilissimæ decursu, in sacrum Cardinalium album relatus, sanctissimè administrauit. Plura paranti stylo moram iniicit operis modus.

A. C. 1611.

CAPVT TRIGESIMVM NONVM.

Bellum ciuile primum.

LVDOVICVS XIII. FRANCORVM REX.

DIscessu Principum insperato, cui Encræi florentes opes causam præbuisse ferunt; rerum quies in turbas regno exitiales desiisset; ni Reginæ Matris, regni ob

teneram adhuc LVDOVICI XIII. Regis ætatem moderatricis consilio ac prudentiâ, fœda tempestas belli proximi citò euanuisset. Verùm Franciæ Hispaniæque felicibus connubiis iterum turbatum est, inde toto bello, vnde pax & quies nasci debuerat. Nimirum *habet has vices conditio mortalium, vt aduersa ex secundis aduersis secunda nascantur* Auctus fœderatorum Principum copiis, & germano equitatu Condæus: ad hæc liberaliter à Rupellanis Regem mouit, vt Boscodelphinum primò, deinde Carolum Guysium Ducem, cum expedito exercitu ad reprimendos Rebellium impetus mitteret Leuibus pugnis ex occursu vtriusque exercitûs pugnatum est, indignantibus Francis suò confici gladio ciues, quo meliùs hostes caderent. Itaque annitente imprimis Regina pax iterum Laoduni inita est haud diuturna, coniecto in carcerem Condæo, quòd clandestinos congressus fouere ac res moliri nouas diceretur. Ea res Lutetiam Parisiorum graui & iterato per triduum tumultu commouit; Encræi domus expilata ac propè euersa est. Tum Principes iterum fugere, & copias pro tuendâ in Encræum (cuius consilio ista gererentur) dignitate comparare, munire oppida. Mœnius cum delecto iuuentutis flore Suessiones ingressus, magno animo impetum Regiorum qui Aruernorum Comitis auspicio militabant, excepit. Iam Machinis admotis mœnia quassata corruerant, iam in vrbem patebat aditus

Plin. Panegyric. Trai.

quà hostis irrumperet; cum mactato belli haud grati incendiario soluta obsidio est, dimissi vtrinque exercitus, ad Regem vniuersi concesserunt: manifesto orbis documento, *in Authoris caput mala fere consilia recidere.* Huius cadauer effosso tumulo extractum, inter manus concitatæ plebis laceratum, raptatumque ac in fixas passim trabes sublatum: tandem oculis, manibus, cruribusque vstulatum, seruatumque aliquandiu, vt per singula membra, & singulas vrbis partes moreretur. Aulæ gratia in contrarium circumacta, Regina Blesas allegatur, Condæus libertati aulæque redditur. Nouum inde bellum ex bello ortum est, vt initio tristi sic felici exitu. Regina parens Blæsis egressa, & aliquot Principum ac procerum viribus adiuta, causam dedit. Rex antequàm Principum copiæ coalescerent, vt in ipso ortu ciuilis belli flamma extingueretur; penè priuato comitatu, coque modico, Maiestate secutus, Condæi potissimum Consilio vsus, Rothomagum, Cadomum, totamque deo Normaniam peragrans, turbatam à nonnullis, ac nutantem confirmat. Inde feliciter ad Pontem Cæsaris dimicatum. Andegauum terror inuasit: sed clarissimis viris ac Berullio potissimum Oratorij in Francia fundatore (quem eximium pacis optatissimæ caduceatorem, & si viueret firmatorem, in his turbulentissimis temporibus haberemus) vltro citroque in diuersa castra cursitantibus, conciliato tandem optimę Parenti filio optimo, ab armis discessum est.

Ludouicus XIII. Francorum Rex.

Calcat iacentē vulgus. Sen. Octa.

Fœdos ac similes exitus multi sæpe sunt experti & experientur alij post longam & diuturnā prosperitatem. Phil. Com.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Bellum pro Religione sextum & vltimum.

BEnearnica expeditio vt celeritate incredibili, sic felicitate singulari confecta, Rebellium mentes adeo exterruit, *A. C. 1620.* vt cum nihil boni rebus suis inde diuinarent, finem factioni suæ breui adfuturum augurarentur. Mirum certè, vertente quinquagesimo exilij anno in libertatem rediisse illis in locis Religionem. Tum Rohannius Subisiusque fratres, sectariorum Duces præcipui, rebus suis præcauêre, munire oppida, exercitus conscribere, hostem in patriæ exitium euocare occipiunt. Rex *Ludouicus XIII. Francorum Rex* antequam iustæ perduellium legiones coïrêt, vt qui seruare suos, vellet non perdere, præmissis humaniter imperiis suauioribus, si qua illi ratione ad officium obsequiumque flecterentur, impetum frangere, & tutiora rebellium prȩsidia expugnare statuit: Vrbes innumeræ partim vi, partim deditione imperium accepêre. Irritus tamen circa montem Albanum labor fuit; cæso insuper missa è muro glande Mœnio Duce Hæreticarum partium hoste acerrimo, quæ res multas passim in Francia diuersis in vrbibus seditiones contra perduelles concitauit,

incensis ac euersis eorum templis. Experta olim vires suas Rupella necdum talis, Regiis armis parem se arbitrata, aggeribus, vallis, munitionibus tumens, sed multo magis Oceano, cuius illa reciprocis fluctibus statis vicibus alluitur superbiens, iugum d trectabat: vltrò illudens, fuso nuper ad Ream insulam per Guysium ac Mommoranciun clarissimos Duces Subisio, quamquam instructissimâ perduellium classe freto, nondum sapere didicerat. Hæc cum peti se videret, Anglum ex fœderato hostem reddidit. Itaque cxx. circiter nauium rostratarum classe succincti Angli, Buchyngamio Duce insulam occupare, arcemque Sammartinianam expugnare frustra conati sunt. Arci præerat Thorasius: dubium maiorine generositatis an fidei exemplo, (quippe *fortes viri non fortitudinem magis quam fidem colunt*, hostem sæpe irruentem fugauit, ac post tertium obsidionis mensem cum Schombergo Duce, totâ insulâ expulerit. Interim ARMANDI PLESSII RICHELII CARDINALIS, sine exemplo MAXIMI, eiusque ad quam euectus est fortunæ capacissimi Consilio potissimum fretus vsusque Rex, quia *Magna negotia magnis indigent adiutoribus, raroque non eminentes viros talibus adminiculis vsos reperies*, Rupellæ obsidioni incubuit: ac fræno mari imposito, nouo orbis miraculo, adeò terra marique sepsit, vt frustra aduentante ter Anglorum classe, fame enecti ciues, custodiis gemini exer-

Curt. l. 10. c. 3.

A. C. 1627.

Vell. l. 2

A. C. 1628.

tus inclusi, ne qua possent erumpere, inopesque copiarum & intra se furentes viribus hostes elanguescerent: ac tandem *experti omnium maximè miserabile claudi obsidione* compulsi ad extrema, turpi & nonnihil experta fame, deditionem fecerint, Dirutis in planum muris, ferox ciuitas cum superbia amissa libertate, cæteris obsequium ac seruitutem imposuit. Vsus victor in Rebelles victos humanitate verè Regia: vt quæ ciuitas virtutis inuictæ monumentum erat, esset & Clementiæ. Rupellæ casu, cæteræ Rebellium arces corruerre visæ sunt: nam breui mox expeditione, Rex compositis Italiæ cum Sabaudo rebus, Priuatio vi capto ac deleto, Nemausum & inuictum nuper montem Albanum recepit. Sic diuisa diu perduellium membra, in vnum ciuilis societatis corpus rediere: tanta Regis LVDOVICI IVSTI gloria ac famâ, vt PVBLICAE QVIETIS ASSERTOR, REGNI LIBERATOR, BELLI CIVILIS VINDEX, PIETATIS FVNDATOR, ORBIS ARBITER, vno omnium gentium ac populorum sensu existimetur.

Ludouicus. XIII. Francorum Rex

A. C. 1629.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Bellum Italicum quintum & vltimum.

SEpultis (vt prædiximus) bellis ciuilibus, coalescentibusque tandem Franciæ membris, quæ tam longa armorum annorumque series fœdissimè laxauerat; domitis Alpibus, Italiam Francorum arma vice fulminis peruaserunt. Sublato è viuis Vincentio Gõzagua Mantuæ Duce, ortum ex controuersia pro Montisferrati Principatu bellum haud ita leue Sabaudum inter & Mantuanum Duces, Franciæ Hispaniæque Reges, non pro se, sed (quod est speciosius) pro fœderatis quemque suis armauit. Accessit ad partes in Mantuanum pro imperij iure (inuestituram vocant) Ferdinandus Imperator: vt vno in bello, cum potentissimis Europæ Principibus ac populis, luctandum nobis in alieno fuerit. Ineunte vere euastatis Montisferrati agris, captisque Alba, Trino, Niza, aliisque oppidis, ab Hispanicis Legionibus Cazale caput Gentis obsidetur, opportuno hostium tempore, occupato scilicet circa Rupellam & Anglos Francorum Rege. Verùm pulsa feliciter Anglorum classe, ac dedita post annuam obsidionem Rupella, adeò Mantuani Principis populariumque creuere animi ex tanta tamque inexpectata victo-

Ludouicus XIII. Francorum Rex

ria, vt concepta Francorum auxilij spe, vltro hostibus illuderent. Nihilo tamen segnior Cazalis oppugnatio erat, incumbente diligentius Consaluo Cordubensi Hispanorum Duce. Hic vrbem munitam aggere & fossa, vinci fame, & assidendo redigi in potestatem posse crediderat, quæ armorum vi expugnari non posset, inuias Gallis Alpes, quas armatorum copiæ insederant, arbitratus. Nescius scilicet, *nihil esse tum arduum quod animi fortitudine superari non possit; terrasque omnes, fortibus viris naturam aperuisse.* Rex igitur, ne victor exercitus otio senesceret, qui labore profecerat, media hyeme, frustra monito Sabaudię Duce Carolo, vt ex fœdere quondam inito Alpium claustra (quanquam non tam præsidiis hostium quàm niuibus obstructa viderentur) Francicis legionibus paterent, velut excussum validissimo impetu fulmen ea peruasit loca, quæ situ aspera, præcipitiis horrida, saxis ardua, inuia rupibus sunt: ac disiectis cæsisque ipso in aditu hostibus, occupatis angustiis, Segusium cum arcibus deditione cepit: impositisque præsidiis muniuit, donec ex fœdere quies Mantuano Duci esset; solutoque imprimis obsidione Cazali, copiæ Hispanicæ dimitterentur, Victor in Galliam reuersus est, breui eò iterum profecturus, quò illum manifesta diuini numinis manus, & inimicorum iniquitas vocat. *Multa* quippe *magnis Ducibus sicut non aggredienda, ita semel aggressis non dimittenda: quia*

Nihil tã altũ natura constituit, quò virtus non possit niti. Curt. l. 7.

magnæ famæ momenta in vtramque partem sunt. Ac cæteris quidem mortalibus in eo stant consilia, quod sibi conducere putant: Principum diuersa sors est, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Nec felicius circa eadem tempora ab Hispanis in Germania inferiori res gerebatur, Vezaliâ ad Rhenum & Lupiam fluuios, Boscoduco haud longè à Mosa, clarissimis oppidis à Batauis expugnatis. Ita fastum ambitiosæ gentis vbique gentium locorumque euertente fortuna: nam & eodem ferè tempore Indiarum classis direpta est ab eisdem hostibus: Reuerso in Galliam Rege, vix trimestri pace quieta Italia grauiori bello concussa est. Contumelia accensi hostes, immemores pactorum quibus nihil etiam apud Barbaros religiosius est ac sanctius, iterum turbant. Spinulam Genuensem Patricium, nouis auctum nominibus ac titulis, sacri imperij legatum seu Vicarium creant. Is quanquam meritæ per tot annos gloriæ non vltra periculum faceret si crederetur: vectus in Italiam, compositius cuncta quàm festinantius agere instituit, quippe bellum habere quàm gerere malebat. Nec dubia erat tanto Duci belli iniquitas: sed *publico partium honori, etiam per priuatum dedecus parendum fuit.* Igitur Hispanor. Germanorumque promiscuis copiis Mãtuanus ager cõpletur vastaturq;. Mantua copia defensorum mœniumque magnitudine valida, ad hæc Mincio amne, & lacu haud spernenda latitudine cincta

Ludouicus XIII. Francorum Rex

Turpe aliis gratificari per propriũ dedecus Tac. an. 4.

obſideretur. Sed cùm vota intercipiendæ vrbis vt ſpes erat, minus proſperè fluerent; irrita obſidio fuit, tutus manu & copiis hoſtium Mantuanus: fugati qui expugnationem occuperãt: quantâ illi clade, Deus bone! ſi præſentem Gallum vidiſſent, quem abſentem, ſed aduolantem tantoperè formidarunt. Reductæ in Mediolanenſem Ducatum legiones, ſua ægrè ſeruaturæ, quę aliena ambierant: & belli longioris tractu inuictos Francorum animos (vt dictitant,) eluſuræ, Sabaudus interim vt fide parum firmus, ſic conſilio infelici in incertum abreptus, belli maximi molem in ſe vertit. Huc illuc mutabatur, facili tranſitu ad proximos, & (vt ſperabat) validiores. Noui in eum delectus, noua auxilia quæruntur. Cazale ſecundò ab Hiſpanis Duce Spinulâ: Mantua ab Germanis Colaltio Comite ſummo copiarum Præfecto, corona cinguntur premunturque. Rex momento temporis Sabaudiam vniuerſam fuſis ſolo nominis terrore hoſtibus ſubigit. Inde ſe vltra Alpes belli turbo deflexit: Pinarolium, Saluciæ, aliaque ad montium radices oppida expugnantur. Pado celebri Italiæ amne, ſed multò magis occultâ, malum! proditione, à ferendo obſeſſis ſubſidio, Francorum copiæ arcebantur. Mantua etiam manifeſtè prodita, à Germanis capitur diripiturque. Eo nuncio fœderati animos efferunt: ſed inſperatâ ab vrbe Cazalea eruptione, mox Cariniana clade atque inde Veillana Mommorantio, Effiato, ac

Ludouibus XIII. Francorum Rex. A. C. 1630.

Tremolio Ducibus præcipuis, Hispanorum immatura lætitia reprimitur. Incensa insuper à Thorasio militaris porticus, musculum vocant: eam machinam obsessis (si paterentur) exitialem, non antiquo expugnandarum vrbium exemplo Spinula erexerat: sed deiecta hostium animos haud leuiter turbauit: quod factum (vt iam velificari Gallis fortunam crederes) Spinulæ mors excepit: nec ita multò post Subaudiæ Dux Carolus, belli tanti fomes, vltima iam senectute, sed rerum suorum clade proxima fractus, ac publica Ditionis suæ ruina obrutus sepultusque occubuit. Grauissimo insuper morbo Rex conflictatus Lugduni, vt gregario sanguine dudum satiata mors, Principes nunc solos appetere videretur (nam & Colaltius Cæsarei exercitus Dux, Curiæ in Rhetia fato functus est.) Rex præter spem valetudine diuinitus recepta, vt qui ad maiora seruabatur, soluta iterum insigniter per Schombergum, Forcensem, Mariliacum Tribunos militum clarissimos Cazalis obsidione, restituto in Principatum ac ditiones Mantuano, Hosti terrorem, pacem Italiæ, Cazali libertatem dedit: vt sciret orbis Ludouicum Regem Christianissimum Iustum, & suscipere bella Iustè & finire Quæ amabo; & quam solida rerum nostrarum felicitas, ni discedentibus ab Rege cum aliquot proceribus Matre & Germano Fratre, tumultus par bello timeretur! Italiæ tamen pax intutà; Germaniæ motus grauissimi, Sueco Rege

Gustauo Adolpho ab vltima Septentrionis plaga erumpente;& continuis victoriis Albim, Mœnum & Rhenum transgresso: Bohemia insuper à Saxone euastata,totam latè Europam diuersis tumoribus ac terroribus miscentibus. Quo tandem exitu tot sint abituræ turbæ, haud satis constat, nisi quod venturi fidem præteritorum felicitate metientes,optima omnia & fausta Francis tuis ominemur, Christianissime Rex Ludouice, quem Iustitia & comes Pietas clarissima duo Regiæ Maiestatis ornamenta, orbi Christiano imperatorem designant.

Ludouicus. XIII. Francorum Rex

Diis te minorem quod geris, imperas:
Huc omne principium, huc refer exitum,
Dij multa neglecti dederunt
HESPERIAE *mala luctuosæ.*

FINIS HISTORIÆ
GALLO-FRANCICAE.



SERIES ET CHRONOLOGIA breuis Regum Franciæ.

Regum Franciæ ordo, tribus familiis (à quibus ab anno Christi CDXX. ad annum Christi MDCXXXII. continuata serie, & si quatuor primos eximas è tanto numero, intemeratâ hactenus fide regnatum est) continetur. Harum prima Merovingorum est, à Pharamundo ad Pipinum cognomento Breuem: & CCCXXXI. ferè annos complectitur. Altera Carolinorum, siue Carolovingorum dicitur: cuius initium est à Pipino Caroli Magni parente, & ad Hugonem Capetum annorum CCXXXVII. serie pertingit. Tertia denique & prioribus multò amplior ac maior, ab Hugone Hugonis Magni Comitis Parisiensis filio, Capetorum dicta, ad Lvdovicvm vsque XIII. feliciter imperantem DCXLIV annorum decursu, hos quem ille regni sui XXII. nos Christi MDCXXXII. nnmeramus.

Prima.

Prima Regum Franciæ familia.

An. Christi.			An. Regni.
420.	I	Pharamundus	XI.
432.	II	Clodio Comatus	XVIII.
449.	III	Merouæus	X.
459.	IV	Childericus	XXVI.
485.	V	Clodouæus	XXX.

Hic primus Christo nomen dedit anno regni XV. IV. *liberos reliquit superstites. Horum primus.*

An. Christi.			An. Reg.
515.	VI	Childebertus	XLV.
		Clodom Aureliæ / *Clotar. Suession.* / *Theod. Mediomat*	Reges. V.
560.	VII	Clotarius	
		Hic IV. *liberos etiam reliquit diuiso iterum regno in Tetrarchias.*	
565.	VIII.	Cherebertus	IX
		Gũtranus Aurel. / *Chilper. Suession.* / *Sigebert. Mediom.*	Reges.
574.	IX	Chilpericus	XVI.
590.	X	Clotarius II.	XLIV.
632.	XI	Dagobertus	XIV.
		Haribertus frater Aquitaniæ Rex.	
646.	XII	Clodouæus II.	XVII.

		Sigebert frater Austrasiæ Rex	
663.	XIII.	Clotarius III.	IV.
668.	XIV	Childericus II.	XII.
680.	XV	Thedoricus I.	XIV.
694.	XVI	Clodouæus III.	IV.
698.	XVII	Childebertus II.	XVIII.
716.	XVIII	Dagobertus II.	IV.
722.	XIX	Chilpericus II. *qui & Daniel.*	V.
727.	XX	Theodoricus II.	XV.
		CAROLVS MARTELLVS	
742.	XXI	Childericus III.	IX.

Hic detonsus est An. Chr. DCCL.

Secunda Regum Franciæ familia.

An. Christi.			An. Regni.
751.	XXII	Pipinus Breuis	XVIII.
769.	XXIII	Carolus M. Imp.	XLVI.
815.	XXIV	Ludou. Pius Imp.	XXVI.
841.	XXV	Car. Caluus Imp.	XXXVIII
879.	XXVI	Lud. Balbus Imp.	II.
881.	XXVII	Ludou. III. cum Carlom. fratre.	V.
886.	XXVIII	Car. Crassus Imp.	V.
891.	XXIX	Odo.	IX.
900.	XXX	Carolus Simplex.	XXVII.
927.	XXXI	Rodulphus Burg.	II.
929.	XXXII	Lud. Transmar.	XXVII.
956.	XXXIII	Lotharius.	XXXI.
987.	XXXIV	Ludouicus V.	I.

Hactenus Caroli M. soboles scenam tenuit, reiectoque Carolo Lotarij fratre, quòd Othoni Imp. contra Francos adhæsisset; HVGO CAPETVS *Rex constitutus est A. C.* CMXXCVIII.

Tertia Regum Franciæ familia.

An. Christi.			An. Regni.
988.	XXXV	Hugo Capetus.	IX.
997.	XXXVI	Robertus.	XXXIV.
1031.	XXXVII	Henricus I.	XXX.
1061.	XXXVIII	Philippus I.	XLIX.
1110.	XXXIX	Ludou. Crassus.	XXVIII.
1138.	XL	Ludou. Iunior.	XLIII.
1181.	XLI	Philippus Aug.	XLIII.
1224.	XLII	Ludouic. VIII.	III.
1227.	XLIII	S. Ludouic. IX.	XLIV.
1271.	XLIV	Philipp. Audax.	XV.
1286.	XLV	Philip. Pulcher.	XXVIII.
1314.	XLVI	Lud. Hutinus.	II.
1316.	XLVII	Philipp. Longus	V.
1321.	XLVIII	Carolus Pulch.	VII.
1328.	XLIX	Philip. Valesius.	XXII.
1350.	L	Ioannes.	XIV.
1364.	LI	Car. V. Sapiens.	XVI.
1381.	LII	Carolus VI.	XLII.
1423.	LIII	Carolus VII.	XXXVIII
1461.	LIV	Ludouicus XI.	XXIII
1484.	LV	Carolus VIII.	XIV.
1498.	LVI	Ludouicus XII.	XVII.
1515.	LVII	Franciscus I.	XXXII.
1547.	LVIII	Henricus II.	XII.
1559.	LIX	Franciscus II.	I.
1560.	LX	Carolus IX.	XIV.
1564.	LXI	Henricus III.	XVI.
1590.	LXII	Henricus IV. M.	XXI.
1610.	LXIII	LVDOVICVS XIII. Henrici	

Magni filius, anno ætatis I X. inauguratus: victa captaque Rupellâ, profligatâ Hæresi, extinctâ Rebellione, domi forisque victor, ac felix, anno MDCXXXII. vicesimum secundum regni anni numerat.

Quot ille extinxit faces? quot condidit gladios? quantam tempestatem subitâ serenitate discußit? non ergo reuirescit solum, sed etiam floret imperium, absit modò inuidia: excipiet huius sæculi tempora eiusdem domus vtinam perpetua, certè diuturna posteritas. Regi interim *functo longissima statione mortali, Deus Opt. Max. destinato successores quàm serißimos: sed eos quorum ceruices tam fortiter sustinendo terrarum orbis imperio sufficiant, quàm huius suffecisse sensimus: consiliaque omnium ciuium aut pia aut salutaria, in felicem exitum prouehito.*

Quint. Curt. l. 10. c. 9.

Patercul. l. 2.



NOMINA ARCHIEPISCOPATVVM, ET EPISCOPATVVM suffraganeorum in Francia.

IN LVGDVNENSI prima Prouincia.

Lugdunensis Archiepiscopus suffraganeos habet IV.

I	AVgustodunensem,	*Autun,*	
II	Lingonensem,	*Langres,*	
III	Matisconensem,	*Mascon,*	ad Ararim.
IV	Cabilonensem,	*Chaalons,*	

IN SECVNDA Lugdunenſi.

Rothomagenſis Archiepiſcopus ſuffraganeos habet VI.

I	BAiocenſem,	*Bayeux.*
II	Abrincenſem,	*Auranches.*
III	Ebroicenſem,	*Eureux.*
IV	Sagienſem,	*Sees.*
V	Lexouienſem,	*Liſieux.*
VI	Conſtantienſem.	*Coutances.*

IN TERTIA Lugdunenſi.

Turonenſis Archiepiſcopus ſuffraganeos habet. XI.

i	CEnomanenſem,	*le Mans.*
ii	Andegauenſem,	*Angers.*
iii	Rhedonenſem,	*Rennes.*
iv	Nannetenſem,	*Nantes.*
v	Venetenſem,	*Vannes.*
vi	Coriſopitenſem,	*Cornouaille.*
vii	Leonenſem,	*S. Paul de Leon.*
viii	Trecorenſem,	*Triguer.*
ix	Briocenſem,	*S. Brieu.*
x	Maclouienſem,	*S. Malo.*
xi	Dolenſem,	*Dol.*

IN QVARTA Lugdunensi.

Duo nunc Archiepiscopi, Senonensis, & Parisiensis. Prior habet suffraganeos III.

I Autissiodorensem, *Auxerre.*
II Trecensem, *Troyes.*
III Niuernensem, *Neuers.*

PARISIENSIS III.

I Aurelianensem. *Orleans*
II Carnotensem, *Chartres,*
III Meldensem, *Meaux.*

IN QVINTA. Lugdunensi.

Besan-çon. *Vesontionensis Archiepiscopus imperatoriæ ditionis, suffraganeos habet.*

I Bellicensem, *Bellay.*
Cæteri externæ dominationis sunt,

IN BELGICA prima.

Treues. *Treuirensis Archiepiscopus Imperatoris Elector, suffraganeos habet Francicæ ditionis.*

I	MEtensem,	*Mets.*
II	Tullensem,	*Toul.*
III	Virodunensem.	*Verdun.*

IN BELGICA secunda.

Rheims. *Rhemensis Archiepiscopus Suffraganeos habet VIII.*

I	SVessionensem,	*Soissons.*
II	Catalaunensem,	*Chaalons.*
III	Laudunensem,	*Laon.*
IV	Syluanectensem.	*Senlis.*
V	Bellouacensem,	*Beauuais.*
VI	Ambianensem,	*Amiens.*
VII	Nouiodunensem,	*Noyon.*
VIII	Bononiensem,	*Bologne,*

IN AQVITANIA prima.

Bourges — *Bituricensis Archiepiscopus suffraganeos habet XI.*

i	Claromontanum	*Clairmont.*
ii	Ruthenensem,	*Rhodez.*
iii	Albiensem,	*Alby.*
iv	Cadurcensem,	*Cahors.*
v	Lemouicensem,	*Limoges.*
vi	Mimatensem,	*Mende.*
vii	Aniciensem:	*le Puy en Vellay.*
viii	Castrensem,	*Castres.*
ix	Vabrincensem.	*Vabres.*
x	Tutelensem,	*Tulles.*
xi	San-Floriensem.	*S. Flour.*

IN AQVITANIA secunda.

Bourdeaux. — *Burdigalensis Archiepiscopus suffraganeos habet IX.*

i	AGinnensem,	*Agen.*
ii	Inculismensem	*Engoulesme.*
iii	Santonensem,	*Sainctes.*
iv	Pictauiensem,	*Poictiers.*
v	Petracoriensem,	*Perigueux.*
vi	Condomiensem,	*Condom.*

vii	Malleacensem,	*Maillezais.*
viii	Lucionensem,	*Luçon.*
ix	Sarlatensem.	*Sarlat.*

IN AQVITANIA tertia.

Auche. *Auscensis Archiepiscopus suffraganeos habet X.*

i	AQuensem,	*Aqs.*
ii	Lectoratensem	*Lecoure.*
iii	Conuenensem,	*Comminges.*
iv	Consuaranensem,	*Conserans.*
v	Adurensem,	*Aire.*
vi	Vasatensem,	*Bazas.*
vii	Tarbiensem.	*Tarbes.*
viii	Eloronensem,	*Oleron.*
ix	Lascoriensem,	*L'escar.*
x	Baionensem,	*Bayonne.*

IN NARBONENSI prima.

Duo sunt Archiepiscopatus Narbonensis, Narbonne, *& Tholosanus, Narbonensis suffraganeos habet IX.*

i	BIterrensem;	*Beziers.*
ii	Agathensem,	*Agde.*

iii	Carcassonensem.	*Carcassonne.*
iv	Nemausensem.	*Nismes.*
v	Lodeuensem,	*Lodeue.*
vi	Pontiensem,	*S. Pont.*
vii	Alectensem,	*Alect.*
viii	Mon-Pessullanum olim Magalonensem,	*Montpellier.*
ix	Vceticensem,	*Vzez.)*

Tholosanus suffraganeos habet VII,

i	APamiensem,	*Pasmiers.*
ii	Mirapicensem,	*Mirepoix.*
iii	Mont-Albanensem,	*Montauban.*
iv	Vaurensem,	*Vaure.*
v	Riuensem,	*Rieux.*
vi	Lomberiensem,	*Lombez.*
vii	San-Papulensem.	*S. Papoul.*

IN NARBONENSI secunda.

Aix. Aquensis Archiepiscopus suffraganeos habet V.

i	APrensem,	*Apt.*
ii	Regiensem,	*Riez.*
iii	Foro-Iuliensem,	*Freiue.*
iv	Vapincensem,	*Gap.*
v	Sistaricensem,	*Sisteron.*

IN VIENNENSI prima.

Vienne. *Archiepiscopus Viennensis suffraganeos habet VI.*

i	VAlentinensem,	*Valences.*
ii	Diensem,	*Die.*
iii	Viuariensem,	*Viuiers.*
iv	Gratianopolitanum,	*Grenoble.*
v	Maurianensem,	*S. Iean de Mauriene.*
vi	Geneuensem,	*Geneue.*

IN SECVNDA VIENNENSI.

Arles. *Arelatensis Archiepiscopus suffraganeos habet IV.*

i	MAssiliensem,	*Marseille.*
ii	Tricastinensem,	*S. Paul Tricastin.*
iii	Tolonensem,	*Toulon.*
iv	Arausiensem.	*Orange.*

IN EADEM PROVINCIA.

Auignon. *Auenionensis Archiepiscopus olim S. P. sedes suffraganeos habet III.*

I	Carpentoractensem,	*Carpentras.*
II	Vasionensem,	*Vaison.*
III	Cabellicensem, nunc ditionis Pontificiæ.	*Cauaillon.*

IN VLTIMA Viennensi.

Embrun. *Archiepiscopus Ebrodunensis suffraganeos habet VI.*

i	Diniensem,	*Digne.*
ii	Grassensem,	*Grasse.*
iii	Venciensem,	*Vençe.*
iv	Glandeuensem,	*Glandeue.*
v	Senetensem,	*Senez.*
vi	Niciensem,	*Nice.*

Est & Bethleemiticus sine populo, sine clero, sine nomine. Sic Archiepiscopatus per vniuersam Franciam, quâ Francia est sunt xv. Episcopatus circiter. CV.

S. Senatus seu Parlamenta.

PArisiensis.
Tholosanus.
Rothomagensis.
Burdegalensis.
Diuionensis.
Rhedonensis.
Aquensis.
Gratianopolitanus.
Metensis.
Benearniensis.

Academiæ siue Vniuersitates.

PArisiensis à Carolo M. anno Christi 791.
Tholosana.
Burdegalensis,
Pictauiensis.
Aurelianensis,
Bituricensis.
Andegauensis.
Cadomensis.
Mon-pessulana.
Cadurcensis.
Nannetensis.
Rhemensis.
Valentiniensis.
Aquensis.
Auenionensis.

Dolana in comit. Burgundiæ.
& Visontina.

Mussipontana in Lotharingia

	Arausiensis. Nemausiensis. Salmuriensis.	hæretic.
Sacri.	Rhemensis. Laudunensis. Lingonensis.	Duces.
	Catalaunensis. Nouiodunensis. Bellouacensis.	Comites.
	Burgundicus. Normanicus. Aquitanicus.	Duces.
Secular.	Flandricus. Tholosanus. Campanus.	Comites.



INDEX RERVM ET verborum memorabilium.

A

B

C

L

M

Ponti-

S.

FINIS.

FLORVS GALLICVS,

SIVE,

RERVM A VETERIBVS GALLIS BELLO Gestarum.

EPITOME,

In IV. Libellos distincta.

Auth. PETRO BERTHAVLT, Presbyt. Orat. D. IESV.



ROTHOMAGI,
Sumptibus RICHARDI LALLEMANT, Illustrissimi Archiepiscopi & Collegij Societ. IESV Typographi.

M. DC. LIV.





ARMANDO
CARDINALI
DE RICHELIEV,
DVCI AC PARI
FRANCIAE, &c.

PETRVS BERTHAVLT
Congregationis Oratorij D.
IESV Presbyter, parem
vbique felicitatem
adprecatur.



VA nuper apud Castrum Theodorici visa perspectáque cum singularis in me beneuolentiæ significatione humanitas (CARDINALIS EMINENTISSIME) ac illa omnium ante mihi sermonibus accepta, nunc vsurpata oculis affabilitas: quasi quidam diuinitatis radius effulsisset, ita

me affectum, & tam felicibus CASALLI *mei (quod à te benignè exceptum est) auspiciis erectum dimisit: vt quaecumque deinceps pergerem scribere, quaeque tu rectè vt cœpisti facere pergeres, ea omnia Eminentiae tuae offerenda ac consecranda esse existimarem. Nam siue hominis dignitas ac praestantia, siue familiae nobilitas & maiorum claritudo, siue praeclara in Remp. merita, ac propensa denique in Presbyterorum Oratorij D. IESV societatem voluntas expendatur: vnus potissimum animo occurristi meo, cuius eximiae virtutes cum domestico splendore coniunctae, facta insignia, ac nota testataque nobis tua beneuolentia, iure sibi suo, illud quodcumque est deuotae tibi Congregationis, & singularis in te obseruantiae meae monumentum appendi postularent. Nec vero* (Cardinalis Eminentissime) *haesimus diu, quin* FLORVS GALLO-FRANCICVS *tuae Eminentiae deberetur, cùm vt obsequij erga te nostri perpetuum extaret symbolum, tum si quod instaret aut inuidiae, aut maleuolentiae, etiam in haec tenui literatura famae fortunaq; bellum,*

tuo tectus ac tutus præsidio, in publicum fidentius prosiliret. Quem si, vt facilè præsumo, pateris nomini inscribi tuo, quid iam erit quod aut à malis pertimescat aut non speret à bonis, cuius frontem tantum sidus insidebit implebitque? quò non ille gentium securus peruadet tanto nixus patrocinio? quis non fauebit vltro, cùm nominis Richellæi quasi alicuius numinis splendorem intuebitur gemino huic opusculo impressum, & ipso libelli aditu radiorum instar coruscare? cuius præterea argumentum id habet quod omnibus hactenus acceptum ita fuit, vt magis magisque gratum esse queat, nemini opinor poßit iure displicere. Nam cum adeò secundis Musis superiori anno Christianißimi Regis Ludouici XIII. auspiciis exierit in hominum manus FLORVS FRANCICVS, vt eum purioris literaturæ amatores, & qui hoc scribendi genere delectantur eruditi, tanto omnes affectu, tanto omnes (nisi mihi nimium ipse blandior) plausu exceperint; quodque omnium mihi gratißimum esse debet & maximum, calculo ipso tuo (vt & tuorum

sermone, & viuæ tuæ, quod aiunt, vocis oraculo audiuisse possum gloriari) probaueris: quæ tandem debet mea esse in eo iterum euulgando fiducia, quæ omnium in eo excipiendo alacritas: qui primùm velut emissarius sorti datus ac periculo, nunc longa rerum pulcherrimarum supellectile ditior & ornatior, Gallorum etiam veterum gestis rebus auctior & locupletior, annorum serie distinctior, authorum insuper indigitatione (quæ maxima historiarum lux est) certior ac verior in lucem remittitur? Hunc verò cui darem & consecrarem, quàm cui se Christianissimus Rex, cum perspectis ante virtutibus, tum nupera rerum gestarum felicitate persuasus incitatusque, in turbulentissimis patriæ rebus, penè dedit totum commisitque? cuius ille opem ac præsidium imploraret FLORVS GALLO-FRANCICVS, *quàm cuius consiliis ac fidelissima operâ, Gallo-Francorum Respublica ita administratur, vt non firmius Herculeis olim aut Atlantæis humeris cœlum hæserit, quàm tuis consiliis commissum & creditum, quodque longè augustius est, cura impositum*

graue imperij onus sustentetur. Ita est, (Cardinalis Eminentissime) Magna negotia magnis indigent adiutoribus; & grauissimi Principum labores queis orbem terræ capessunt, egent adminiculis. *Magna etiam illa tua laus quod his difficillimis temporibus, proximo à Principe rerum fastigio admotus, tantis potissimum hostibus aut lacessentibus vltro, aut* (QVIA NEMINI DATVM EST IMPVNE EXCELLERE) *inuidentibus & oppugnantibus, nō desieris tuis consiliis, tuâ ope, tuâ vigilantia, Regi magna meditanti, Rheam, Rupellam, tot rebellium vrbes expugnanti, & imperij fines ampliante fortiter adesse; vt iam ille vel solo nominis terrore ac virtutis, hostem profliget, arces expugnet munitissimas, suo Europam arbitrio moderetur, bella, pacem, fœdera, nutu temperet. Tanta certè vel his quatuor annis gessit, tamquam feliciter, vt nec maiores victorias reportare, nec firmius regnum stabilire suum, nec potentiùs aduersariorum opes comminuere, lacerare ac frangere potuerit. Talis profectò Agamemnonem per Syrtes & scopulos*

Nestor, Achilles Phœnix comitatus est: & (si voluissent fata) Pompeium Magnum Cato. Tales olim Scipionibus Lælij, Augusto Agrippa & Mecœnas & Statilius Taurus assederunt. Quorum cum insigni memoria famam ac nomen, historiæ librique, tot retrò sæculis ab inuidia, quæ optima quæque corrumpit, ab hominum obliuione, quæ ferè præclarum nihil immortale esse patitur, vindicarunt. Neque vero putes, Cardinalis Eminentiss. *vlla aut hominum aut temporum iniuria extinctum iri ea, quæ pro Christianißimo Rege, pro ciuibus tuis, pro charißima patria, inuicto animo, cura ac labore hactenus geßisti, Viuit viuétque sæculorum omnium memoria clarißimum Richellæi nomen, quod maiorum tuorum gloria illustre, in sublimi quidem, sed digno tuis virtutibus fastigio Rex Christianißimus collocauit. Vigebit illa tui nominis fama memoriáque, quandiu vigebunt literæ, florebit Francia, stabit orbis: nec vlla, mihi crede, tam surda erit aut ingrata posteritas, quæ tenebris ac obliuione ea donet damnétque, quæ tu in omnium gentium luce*

gessisti. Quæ nunc ego (Eminentissime Cardinalis) *fusiùs prædicarem, nisi aut actum ab aliis agere, aut onerare magis viderer modestiam tuam, quàm futuræ posteritati famam tui nominis ac virtutum tuarum commendare. Exigerent voluminum instar facta illa tua maxima & pulcherrima, nec tenui epistolio committenda ac stylo, quæ victuris ac duraturis ad omnem posteritatis memoriam monumentis incidenda sunt. Reliquum est vt indefesso ac infracto animo pergas, & quem apud optimum Principem gratiæ & authoritatis locum obtines,* Dexter negotiorum administrator, fidus, arcanorum particeps, mens consiliorum, voluntatis imperiique interpres, vigilantissimus omniũ speculator, animo exsomnis *in publica tranquillitate expleas : Regem qua soles fide, Patriam quo debes affectu ; Religionem qua teneris pietate: omnes, quo tua & omnium interest studio* (Eminentissime Cardinalis) *prosequaris. Id bonorum omnium commune est votum desideriumque. Tu interim accipe eius gentis & patriæ cui te totum penitus*

consecrasti, historiam; accipe bella à Gallis & Francis, domi ac foris gesta, quæ tam feliciter Regia virtute, consilio tuo, auspiciisque tuis conclusa sunt: Florum, inquam, meum: quem si, quod spero, liberali vt omnia soles vultu ac beneuolentia, quasi benigno sidere aspexeris & afflaueris, per te efflorescet: & (si annuis) vberioribus ramis diffusus, ac tui potissimum fauoris imbre irrigatus, tandiu crescet, donec in Liuium euaserit. Accipe non magnum quidem munus, quo tamen maius offerri à me non potuit: sed cui (si desunt cætera) vel ipso argumento pretium est: quodque nomini inscriptum tuo, erit (vt spero) immortale. VALE.

AD EVNDEM.

RICHELLÆE *sacri decus Senatus;*
FLORVM *do geminum, dedi* CASALLVM.
Si das Historicum esse vel Poëtam,
Et me fata velint decem per annos
Vita téque frui (Deo iuuante)
Francorum dabo LIVIVM *aut* MARONEM.



AD FLORVM Gallo-Francicum.

PRÆFATIO.



CVM nihil in omni vitæ genere præstantius literis à Deo immortali hominibus relictum sit, quo vel huius vitæ ad omnem Fortunæ iniuriam proiectæ molestias dispungere, vel negotiorum onera intermittere, vel inimicũ virtutibus otium propulsare honestè queant; tam certè ex omnibus scientiis ac disciplinis illæ habendæ sunt præcipuæ, quibus partim ad mores ritè componendos, partim ad illustria diuersarum gentium facta instituta que cognoscenda instruimur: vt non immeritò Romanæ historiæ clarissimum olim decus existimauerit, *Ex aliis negotiis quæ ingenio exercentur, imprimis magno vsui esse memoriam rerum gestarum.* Neque hîc necesse est ea referri à me, quæ certissimæ rei & literatorum propè omnium scriptis confirmatæ fidem faciant. Nemo eorum qui vel nostrâ, vel patrum memoriâ res præclarè, pace aut bello factas, domi forisque susceptas ac gestas monumentis consignauit, ea prætermisit, quæ ad suscepti operis Salust. Iugurth

commendationem videbantur aliqua ex parte pertinere. Ego verò hærendum mihi diutius non in eo esse existimaui, vbi tot illustrium scriptorum ingenia desudarunt; simul ne per insolentiam quis existimet, memet studium meum (vt illud Sallustij vsurpem) laudando extollere: sed instituti hoc in opusculo mei rationem reddendam esse quamprimùm, illud demum operæ pretium facturum me sum arbitratus: vt & operis scopus habeatur; & rerum quæ hic à me describuntur dignitas agnoscatur; ac eorum denique, qui eas gessere virtus, ac fama magisque celebretur.

Altero ferè ab hinc anno exiuerat à me libellus, FLORVS nimirum FRANCICVS; quo presso quidem,& vt propositi formam operis decebat conciso, & quia plurimis placuit, non ingrato stylo, bella à Francis suscepta, variaque vt fit fortuna gesta complexus fueram. Sed quia festinantiùs fortasse quàm accuratiùs, in breuissimum fasciculum tot ac tanta gentis nostræ facta compegeram, vt aut pleraque omissa, aut nonnulla turbata, aut multa nimis non ea quâ par erat diligentia perquisita fuisse viderentur; fecit ea res, vt subcisiuis horis, quę mihi à scholarum strepitu aliisque eius generis occupationibus relictæ sunt, veterum monumenta, nostrorumque hominum commentarios euoluerem curiosiùs; ne quid in posterum quod ad Gallorum Francorumque res bello potissimum gestas spectaret, aut desideraretur indictum; aut

ignotum quæreretur. Quamquam non mihi ea arrogem, quæ an alicui vnquam viro, quamcumque ille artem professus sit, concessum fuerit, haud satis scio: vt ea breuissimo libello complectar, quæ immensa sunt, & immensis voluminibus à præstantissimis scriptoribus exarata. In quibus tam illi dignam operam industriamque collocarunt, quàm digna & augusta ea res est quàm suscepere. Enimuerò ex omnibus orbis gentibus, nullam aut fuisse vnquam, aut esse nunc, aut vllis fore aliquando temporibus facile puto, quæ cum Gallo-Francica, aut rerum gestarum præstantia, aut magnitudine imperij, aut Fortunæ varietate, aut Regum denique ac Principum suorum factis ac virtutibus comparari queat. Hæc fortissimas gentes, hæc ferocissimos populos, hæc bellicosissimas nationes vicit, hæc orbem penè totum victoriis ac triumphis perlustrauit. Hæc Italiam imperij florentissimi sedem, ante conditum imperium domuit, in eaque extructis suę gentis coloniis sedes imperiumque fixit. Hæc Romam victam captam, spoliatam, & incendio totam, si vnum colliculum exipias, fœdatam euertit ac diruit. Vnde illi non ferro pulsi, sed auro remoti, qui Romanas legiones apud Alliam cōciderant. Hæc Germaniam, omnibus præterquàm sibi inuictam perdomuit. Hæc Græciam omnem victis ac prostratis vno alteroque prælio Macedonibus sibi reddidit vectigalem. Hæc Asiam vniuersam prostratis hóstibus occupauit. Hæc

Thraciam, Pannoniam, Illyricum imperio quondam suo adiecit. Hæc Africam armis penetrauit. Nihil hic moror Hispaniam, cuius adhuc nobilissimæ prouinciæ nomen præferunt: nihil Britanniam, quam nunc Angliam appellamus, quæ tota pene olim Gallica fuit, commemoro: vt penè orbis totus aut Gallis morem gesserit, aut ab iis subinde è suis terris emergentibus fuerit occupatus. Quò factum putem, vt plura singulos gessisse Gallos veterum testimonio, quàm cæteros orbis terrarum populos manifestum sit: ac in cæteris debellandis Romani quodammodo luderent, in Gallos verò totis suæ Reipublicæ viribus niterentur. *Vsque ad nostram*, inquit Sallustius, *memoriam Romani sic habuere, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis pro salute, non pro gloria certari*: vt in Gallico tumultu: nemo esset ciuis Romanus, qui sibi vllâ excusatione vtendum putaret. Gallia verò Romanis adeò timenda, vt ea vna è tot gentibus, imperio potentissimo æmula ac quodammodo fatalis crederetur; eamque natura inuictis Alpium iugis, quæ armis non potuisset, ab Italia summouisse. *Alpibus Italiam munierat ante natura*, inquit Romanus orator, *non sine aliquo diuino numine: nam si ille aditus Gallorum immanitati multitudinique patuisset, nunquam hæc vrbs summo imperio domicilium ac sedem præbuisset*: adeóque trepidatum olim instantibus Gallis vt de finitimis Gallorum terris dimittendis, ac po-

Sall. Iug. — *Cic. pro Front.* — *Cic. de prouinc. Consul.* — *Appia. l. 3.*

palis libertate donandis agitatum in sena- *Bell.*
tu fuisse testentur Historici: ne cùm eis pu- *ciuil.*
gnare toties cogerentur, à quibus sicut à *Sall.*
Græcis facundia & eruditione, sic rei mili- *Cat.*
taris scientiâ vincebantur. Hinc factum *Liu.*
putem vt Gallia à Liuio Areimanium, quip- *lib 28.*
pe quæ viros marte furentes ἀρειμανίως ha- *Ioseph.*
beat, appelletur. Victi tamen: sed communi *Bell.*
gentium fato: nec nisi intestinis fracti ma- *Iud. l. 2.*
lis ac discordiis, Romanæ (Galli 80. annos
pro libertate pugnauerunt: sed Romano-
rum admirati sunt, & horruerunt cum vir-
tute fortunam) potentiæ Galli decessere:
vt post decennalis belli mutuas clades, Ro-
manæ societati fœderibus æternis iunge-
rentur potius quam vincerentur. Quæ om-
nia eò certoria esse facilè vnusquisque iu-
dicabit, quòd non à nostris; sed Romanis
Græcisque scriptoribus, quorum beneficio
res ab omni hominum memoria gestæ, ad
nostras vsque manus peruenere, celebrata
sint: atque ab illis potissimum qui ab omni
pene æuo, Romanorum bella continuata
serie & intemerata fide scripserunt. Pri-
mi omnium orbis populorum Galli Roma-
nas legiones strauere: primi Romam cædi-
bus, incendio, ruinis compleuere: primi
seruitutis Romanæ iugum excussere: primi
Authores libertatis ad simile factum cæte-
ras latè gentes oscitantes, insigni exemplo
concitarunt: Primi denique collapsam
imperij Romani maiestatem, à Barbaris
miserè laceratam restaurarunt, & in pristi-
num statum restitutam, orbis vniuersi con-

ſenſu applauſuque in ſe tranſmiſerunt. Magna quidem illa quæ à veteribus Gallis vbique gentium locorumque geſta ſunt, cùm ea gens vel Optimatum conſiliis, vel Regulorum imperiis regeretur; verò Chriſtiana Pietate imbuta eſt; non modò virtus non eſt imminuta; ſed aucta: Si quid in moribus vitij aut barbari, reſciſſum amputatumque eſt: ſi quid in omni vitæ genere ſplendoris & gloriæ, nouo quodã fulgore illuſtratum: cùm ex feroci quodam ardore ad honeſtum cultum & flammam viuidiorem ſeſe Galli contulêre. Non enim militaris ſcientia ab iis derelicta & contempta, ſed ad meliorem vſum tranſlata. Ditem ſuum gentili vocabulo Serapim dictitatum, à quo ſe oriundos & prognatos prædicabant, abiecêre, vt verum diuini numinis cultum Religionemque ſectarentur. ApollinemBelenum, ſiue Velianum à iactu & emiſſione radiorum appellatum, quòd morbos auerruncare ac depellere crederetur, in honore ac pretio diù habitum depulêre, vt ſalutis humanæ reſtauratorem cultu ac veneratione proſequerentur. Martem bellorum Ducem ac Deum Heſum ſeu Heum nuncupatum, longiſſimè à ſe profligarunt; vt potentiori numine in bella pro Pietate gerenda proſilirent. Mineruæ, operum atque artium inuentrici exilium indixêre, altioris cuiuſdam ſapientiæ vim experturi. Iouem denique ipſum, quem vt Cœlitum Ducem ac Parentem, vanis decepti ſuperſtitionibus anxiè venerabantur,

Pith. aduerſ. l. 1. c. 3. Cæſ. l. 6. de bello Gall.

Taranimque patriâ lingua vocitabant, tanto sunt execrati studio, quãtus in eo colendo affectus olim exstiterat. Mitto Mercurium à Germanis VVodam, ab ipsis Teutatem & Anubim latrantem Deum dictum; Herculem Ogmium, aliaque eius generis multa: vt quæ natio erat omnium admodum dedita Religionibus, atque ob eam causam, vel affecti morbis grauioribus, vel in prœliis ac periculis constituti, aut pro victimis homines immolarent, aut se immolaturos vouerent: mutata feliciter rerum facie, vni duntaxat ac veræ Religioni penitissime se addixerit. Nec verò vllus tot Regum (quod ad nobilissimæ ac Christianissimæ gentis famam maximum esse debet) qui à suscepta semel Christi fide per M.CLX. & amplius annos imperio Francico præfuere, ab ea Religione ne transuersum quidem vnguiculum deflexit: sed ne cogitauit quidem. Multa in templis Religio, multa in Religione pietas: incredibilis in pietate sanctitas, singularis in sanctitate maiestas. Hinc arma ad propagandam Christianorum fidem suscepta, quæ antea pro gloria, pro finibus sumebantur. Transportati in Asiam Africamq; sed melioribus quàm antea auspiciis exercitus? repressus Barbarorũ furor, prostrata Gothorum impietas, perfidia Longobardorum superata: excitata in Oriente regna imperiaque: tantusque Francici nominis terror, vt ad famã aduentus, non expectato conspectu inuictę gentis, cõciderint immanis Sarraceno-

Cæs. ibid.
Liu. l. 5.
Agath. l. 1.

rum audacia, ferox Maurorum impetus sisteretur. Turcarum denique ac Barbarorum omnium ferocia frangeretur. Tantum verò huic genti concessum est: vt Francorum nomine Europæi omnes continerentur: Nam & Arabes & Abyssini, quos Prestigiano sibelle ferunt, Europam Frankiam; Turcæ & Asiatici S. Pontificem Francobegum, id est Francorum Principem, Christianam Religionem, Frankiam nuncupare adhuc vulgò consueuerunt. Indi cùm primum eò Lusitani nauigarunt, eosdem Francos appellabant; quo nimirum olim iure, ob egregias Gallorum expeditiones, Europæi omnes Celtæ, Europa Celtia à nonnullis vocitabatur: vt iam mirum vel ignaris rerum, vel nobilissimæ nationis inuidis esse debeat, gentem illam quæ ex geminis illis populis in vnum velut ciuilis societatis corpus coaluit; tantum esse passim adeptam famæ, vt omnium prima vltro agnoscatur. Hinc Christianissimi Francorum Reges appellati, fidei propugnatores ac vindices, Ecclesiæ Primogeniti filij, Athletæ Christi strenui, ac Religionis defensores: quippe qui Italiam, Germaniam, Pannonias, Græciam, Asiam, Africam, Hispaniam, Orbem pene totum ab improbissimæ ac barbaræ immanitatis ne dicam seruitutis iugo liberatum, Christianæ Religioni reddiderint: ac se exundati ex Oriente in Occidentem Barbarorum multitudini, ne vniuersum nominis Christiani orbem fœda eluuione obrueret & fidem (si

Ozor. l. 5. de gestis. Emman Pontian l. 5. c. 7 Orig. Franc. Ptolem. l. 2.

Deus velit) extingueret, muros se ac validissimos obices obiecerint. Horum exemplis pleni scriptorum libri, plena volumina, plenæ sapientum voces, plena ora populorum; nec adhuc inuidia vel inimicorum furor eam laudem euertere, non æmulatio gloriam omnium animis altissimis radicibus inhærentem euellere vllo modo potuit. Galliam cæterarum gentium Reginam, Honorius III. Sum. Pont. appellauit. Gregorius nonus Pharetram esse ait, quam Christus sibi circa femur accinxit, ex quâ sagittas electas, ita enim loquitur, ipsas vt sibi gentes & regna subiiciat, in arcu brachij potentis emittit. D. Gregorius tantùm cæteris nationibus Galliam præstare censet: quantum Regiæ dignitatis apex cæteris honoribus antecellit. Quæ omnia honoris & dignitatis plenissima nomina, non sua aut aliena assentatione Christianissima gens est assequuta: sed ipsa suis sibi laboribus, suis periculis, suo sudore; ac sanguine toties comparauit. Quid? si diuinissimos Heroas pro Religionis libertate ac securitate depugnantes enumerem: quanto illi vultu, quàm egregia dignitate è mediis Historiæ monumentis se attollent! Martellum illum Barbarorum, id est Sarracenorum verè Malleum, quot & quanta bella pro fide, nisi inuicto fuisset animo, obruissent? Immanis hostium multitudo, Hispaniæ iam victrix, vno alteroque Prælio Abderamo Duce concisa, in agro Turonensi ea statuit erexitque trophæa, quæ

nullus antiquorum Cæſarum potuiſſet adæquare: eo facto Francorum Princeps, Galliam vaſtitate, orbem ſeruitute, Religionem vltimâ clade vindex acerrimus liberauit. Inde Saxonas adhuc paganos in Germaniâ. Longobardos Pontificiæ ſedis hoſtes perpetuos in Italiâ, ſolo nominis terrore redegit in ordinem, vt ei Petri vincula & Claues à Greg. III. S. Pont. tanquam Patrono ac defenſori Religionis ſubmitterentur. Nec inferior Pietate ac Religione, vti nec animi magnitudine tanti Parentis digniſſimus filius Pipinus; is qui bis tranſmiſſo vltra Alpes exercitu, fractaque Longobardorum audacia primus amplificandæ Eccleſiæ viam aperuit. Exigeret voluminum inſtar Caroli virtus, eius inquam qui à magnitudine rerum geſtarum Magni cognomen ædeptus: extincta in Deſiderio Rege, infeſta Summis Pontif. Longobardorum gente: Sarracenis in Hiſpania profligatis, Saxones, Sclauos, Boëmos, Hunnos, alioſque Barbaros acie toties victos ad fidei Catholicæ partes illuſtriori victoria traduxit: tantis pro Religione geſtis rebus, Imperatoris inſignia primus ad Francos tranſmiſit. Ludouicum Pium prætereo, Philippum Auguſtum alioſque primis in Barbaros expeditionibus celebres omitto, vt longa fortiſſimorum Regum intermiſſa ſerie ad D. Ludouicũ accedat oratio. Hic ſublatis è regno Albigenſibus Hæreticis, vt domeſticis rebus compoſitis tutiùs de externis cogitaret, C D. na-

Aim. l. 4. c. 17.

uium classe instructus, transportato in Ægyptum exercitu, ac secundò in Africam vectus, vt afflictis Piorum rebus opem ferret, luctantem inter extrema omnia animam, pro Christi gloria feliciter effudit in victoria. Ab eo quidem, sed longo insequentium regum interuallo ortus Ludouicus Iustus, quòd is se auitæ iustitiæ ac pietatis prębeat imprimis æmulatorem, quàm non longè deflectit à tanti Regis virtutibus! quam proximè ad ea quæ Pietatis sunt ac Religionis accedit! vix decennis, vt de D. Ludouico fertur, in maiorum solio immatura indignaque Henrici Magni fortissimi Parentis morte collocatus, quot & quàm difficilia bella, pro Religione suscepta fortiter gessit? quot ille vrbes, quot arces oppidaque feliciter expugnauit? quot hostes domesticos, externos, terra marique insigniter profligauit? donec inhærentem ac penitus infixam Galliæ visceribus pestem, quæ tot annos grassata impune ac dominata fuerat, exscinderet, & teterrimam illam hydram fœcundam malis, ac sæuissimis capitibus repullulantem, ferro flammaque Hercules Gallicus pessumdaret. Quod factum, omnium gentium literis atque linguis prædicandum, Deus ille immortalis nostris annis LVDOVICO XIII. IVSTO PIO reseruauerat; QVI RICHELII CARDINALIS per omnia Maximi consilio potissimum vsus, arcem ciuium perditorum, parricidarum receptaculum, castellum communis latrocinij, bu-

ftum legum omnium, Patriæ incendium, propugnaculum impietatis, Rebellionis Asylum, factionum officinam, furiosorum aram, fontem malorum omnium, in vnius Rupellæ excidio euerteret, dirueret, perderet. Ac ea quidem quæ pro Religione gesta sunt paucis delibauimus. Quid si ea in medium proferam, quæ partim à primis Galliæ velut incunabulis, partim à fortissimis Regibus his posterioribus sæculis facta, immortalem gloriam in hominum mentibus adepta sunt? quanta erit Bellouesi, Sigouesi fama? quorum virtutibus Germania, Italia, Illyricum, Pannonia, orbis pene vniuersus impar fuit. Quanta Brenni Belgiique laus? Fusi Romam, capta, incensaque Roma, victi Macedones, Græcia spoliata, subiugata Thracia, Asia infessa, tot latè gentes debellatæ testantur: vt diuisis nominibus totum orientis imperium Tectosagi, Tolistobogi, Trocmesij, Scordisci, aliique Gallorum populi occuparent. Quid verò tot diremptos ætatis gradibus enumerem, Atum, Galathem, Congolitanum, Anerocstum, Brittomarum, Viridomarum, Cintibilem, Bittum: & Cæsari notissimos Dumnorigem & Diuitiacum Heduos; Ambiorigem & Catiuulcum, Eburonum Principes; Diniconem Heluetium, Dumnacum Andium Ducem, omniumque rerum gestarum fama facilè Principem Vercingentorigem! vbi verè æterno fœdere ac fortunarum omnium societatem, Galli Francique feliciter coiêre; quàm

altè, Deus bone, vtriusque se gentis virtus extulit! profligatis, prostratis, pulsis Gallia tota Romanis, positoque eius imperij fundamento, quo nullum clarius, potentius, augustius. Quanta se maiestate attollerent è Regibus, Merouæus, Clodouæus, Clotarius, Martellus, Pipinus, Carolus Magnus, Hugo Capetus, Philippus Augustus, D. Ludouicus, Carolus VII. Ludouicus XII. Franciscus I. Henricus Magnus, Ludouicus Iustus? In Principibus viris & imperio dignissimis, vt cæteros multis retro sæculis insignes omittam, Gothofredus Bononiensis, qui cum inclyto ac delibato Francicæ nobilitatis flore, sacram expeditionem Græcâ illâ Argonauticâ illustriorem suscepit, ac felici exitu captis Hierosolymis, exactis Barbaris consummauit: Tancredus, Guichardus Sarracenorum perpetui hostes, Buciqualdus, Guesquinas, Clissonus, Vasto Fuxius, Lautrecus, L'Escunus; Bayardus: & nostris ferè temporibus Borbonij, Guysij, Lõgueuillani, Mœnij, Mommorátij, Cossæi: ac superioribus bellis insignes Bironius, Bullio, Supernonius, Schombergus, Forcius, Effiatus, Thorasius, aliique numero infiniti. In tanta sæculorum serie longum esset recensere, quot Ducibus, Regibus, Imperatoribus, Galli præ cæteris orbis gentibus floruerint. Sed non fuit mirum gentem inter arma natam & ferrum, bello industriam, tot prouincias, tot hostes, ipsum Principem gentium populum superasse, quæ ad arma & cruentis-

Strab. l. 7. ſimas pugnas quaſi ad epulas ac delicias inuitata properabat: gens tantùm timoris expers, quàm virtutis ac generoſitatis plena; vt Magno quondam Alexandro interroganti quidnam maximè timeret, reſpondiſſe fertur: nihil aliud quàm ne cœlum rueret: quod & Francis familiare fuiſſe ferunt. *Nicæt. Chon.*

Luca. l. 1. Pharſ.

—— *hos ille timorum*
Maximus haud vrget belli metus; inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæq; capaces
Mortis, & ignauum rediture parcere vitæ.

Sidon. Apoll.

Non timor, inuictique manent, animoque ſuperſunt
Iam prope poſt animam.

Pauſ. in Phocicis. Adeo vt apud Delphos quondam nec Bipennibus diuiſi, nec gladiis conciſi, aut miſſilibus confixi & ſagittis deficerent; ſed quandiu vitæ reliquiæ ſupereſſent, ſæuirent; in iacentium vultu toruâque facie, depicto terrore, quo viui hoſtes exanimabant. Sed quid ego iſta tam nota teſtatáque omnibus pluribus perſequor? eò me rapuit nec inuicum rerum pulcherrimarum ardor. Verum eò referendus eſt ſtylus, vnde iampridem digreſſi ſumus, & ad operis inſtitutum conuertenda oratio. Tot igitur res præclarè geſtas, tot expreſſas virtutes, tot Ducum, tot Heroum facta illuſtria, octo libellis in duas partes diſtributis, eaque forma, vt familiares omnibus, domi foris delectare, non impedire quenquam poſſint, complexi ſumus; breuiſſime aſcriptis quoad fieri commodè potuit, anne-

rum notis. Harum prior veterum Gallorum; altera Francorum, vtraque gentis vtriusque, cùm vna sit omnium origo (vt quibusdam placet) vnusque ortus, stupenda facinora bello potissimum edita continebit: Atque vt mirum in modum arridere solet, in hoc potissimum scribendi genere, rerum omnium diuersitas, præter ea quæ bellis agnata sunt, aliâ nonnunquam, vt se dedit res, immiscuimus, quibus historiæ series non tam texeretur, quàm ornaretur: deinde concisa & per moras quasi ac interualla capitum distincta, rem vt spero vtilem, vt sentio, iucundam, vt contendo necessariam nostris hominibus ac nouam, vt omnes iudicare possunt, honestam composuimus, cuius beneficio in posterum, nequid dicam insolentius, Francorum in rebus gestis ac moribus suæ gentis, aut inscitia, supinaque incuries expungi facile poterit: & de iis quæ nos contingunt, loqui, differere, scire ac meminisse audire iuuabit vel maximè: nec in patria hospites, in Gallia exules domi peregrinari, externorum appetentes, nostrorum incuriosi, vltra esse videamur, ac iis denique cognitis aut perceptis quibus maiores nostri longè cæteris excelluerint, ad eorum famam vel adæquadam vel superandam, gloriæ immortalis nos accendat cupiditas. Atque, vt ea Francorum historia amœnior lectioque iucundior haberetur, fatigatumque longa forsan rerum serie animum, petita aliunde suauitas recrearet: ex veterum

ſcriptorum velut hortulis ſententiarum flores collegi, & inſerui in has capitum corollas, nonnunquam etiam authorum vnde illæ incerptæ ſunt nominibus, velut gemmis margines prætexui. Vos interim, Galli, vos Franci, vos populares mei, vos literarum artifices, vos Muſarum quotquot eſtis antiſtites, laborem noſtrum, claſſici laboris velut vltimum impetum æqui boniq́ue conſulite: quodque amico damus ſtudio, gratis amiciſque animis accipite, fouete, defendite. Si quis interim, quod abſit, forte obtrectauerit, ſi quis carpſerit, aut genuino dente hos conatus meos adroſerit; me profectò nunquam pigebit cum Tacito, *vel incondita ac rudi voce, memoriam prioris ſenectutis, ac teſtimonium præſentium bonorum compoſuiſſe. Hic interim vt ſpero, liber honori patriæ deſtinatus, profeſſione pietatis aut laudatus erit, aut excuſatus.*

Tac. In vit. Agri.



INDEX CAPITVM. FLORI GALLIGI.


Libro primo hæc continentur.

LIBRO SECVNDO haec continentur.

LIBRO TERTIO
hæc continentur.

LIBRO QVARTO hæc continentur.

EPILOGVS.




AD STVDIOSVM HISTORIAE GALLICÆ & Francicæ.

ANAGRAMMA.

PETRVS BERTHAVLT.
PVRE' LVSTRAT, HABE.

QVI PVROS *capis Historiæ decerpere flores,*
Hos, tibi quos FLORVS *porrigit iste, legas:*
Gesta, Trophæa, Duces Gallorum ex ordine LVSTRAT
Berthaldus secli lumen, honosque sui;
LVSTRAT, *& illustrat quæ quondam obscura latebant,*
Immò etiam PVRE' *singula* LVSTRAT, HABE.

I. MAILLY.



FLORI GALLICI, LIBER PRIMVS.

CAPVT PRIMVM.

De Gallorum in scribendo incuria.

GALLORVM gentem, vt virtutibus, sic rerum domi forisquè gestarum, fama claram ac nobilem; nulla scriptorum monumenta, nullę exterorum linguę cùm sileant; mirari nunquam desino, cur adeo sui oblita quondam fuerit, vt cæteris sua prædicantibus, ipsa quodammodo obmutesceret: cum præsertim haud minus intersit Republicæ, esse qui præclara gerant, quàm qui præclarè, gesta, nunquàm intermorituris literarum monumentis consecrata, ad memoriam posteritatis transmittant: ne in ipsâ patriâ, quasi in remotissimis terris peregri-

nari videamur. Ac cæterorum quidem populorum prospera vel aduersa, claris Authoribus memorata sunt: nec defuisse putem primis clarissimæ gentis temporibus dicendis decora ingenia: Sed Ducum quàm Scriptorum copia vberior, & maior famæ aut rerum, quàm literarum librorumque cura fuit; cùm optimus quisque facere quàm dicere, & sua ab aliis benefacta laudari, quàm aliorum ipse narrare mallet. *Pulchrum quidem est benefacere Reipublicæ, etiam bene scribere haud absurdum.* Solos verò in conscribendis egregiè factis & institutis suis Gallos elingues extitisse, id demum vehementer miror. Vnum illud est, quo nobilissimæ gentis supina incuries excusari possit: *Scriptis facta anteposuit*, & publico Orbis terrarum sensu ac voce, meliùs ac laudabiliùs ad posteros propagatum iri sua facta existimauit, quàm si popularium suorum literis consignata legerentur. Duas res imprimis sequutos Gallos accepimus, rem militarem, & argutissimè loqui; tantùm famæ ac nominis apud posteros, quantùm suis pro Republicâ factis peperissent, memoriam virtutis suæ, altiùs in liberorum suorum animis, quàm librorum monumentis, per continuam ac traducem laudem infigentes. Hinc vetustissima Druidum Sacerdotum disciplina fuit, vt recondita versibus (quos discipulorum memoriæ committerent) illustrium pace ac bello virorum facta complecterentur, quò ad similem virtutem, ipso quasi vitæ in-

Sall. Cat.

Cat. in orig.

Cæs. l. 6. de bel. Gal.

greſſu, iuuentus accenderetur. Verum, cum aut noſtris, aut non ita remotis retrò annis, in hominum manus nonnulla exierint, quibus paſſim ex incondito memoriarum aceruo probè collectis, noſtræ gentis gloria haud parum enituit: *Quia reip. intereſt vt facta quæque poſteritati tradantur*; eadem cupido inceſſit vindicandæ ex tenebris obſcurioribus, ac fœdo propè obliuionis ſitu eruendæ veteris Galliæ: vt & maiorum præclaræ res videantur memorenturque, & his excitati qui à tam claris parentibus oriundi ſunt, auitum decus adæquent, augeantque. *Suet.*

CAPVT SECVNDVM.

De Galliæ ſitu & vbertate.

QVidquid igitur terrarum Rheno, Alpibus, Pyrenæis montibus, vtroque Oceano, tantis natura munimentis cinxit incluſitque, Gallia propriè dicta appellatur: opulenta & valida, viris, vrbibus, ciuitatibus: vicis referta & ornata, adeò vt nulla ei gens conferri ac comparari poſſit. Felix præpinguibus glebis, commoda prouentibus fructuariis, vitibus conſita nec non oleis in optima ſui parte, quâ Mediterraneis fluctibus alluitur: omni ad vſum animantiũ fœtu beatiſſima, rigua & fluminum & fontium aquis, rerum denique omnium copia adeò ferax, vt & ipſa ſibi facile ſine *Ioſ. l. 2. cap. 17. Solin. c. 24.*

aliarumque ope, & cæteræ Europæ regiones, vix sine eius beneficio sibi sufficere queant: Inde vina, inde annonæ, inde satietas, inde facilis rerum quarumcumque commeatûs: nulla ipsius pars; quàm latè porrigitur, inculta est: quanquam longè magis frequentiâ hominum, quam curâ diligentiaque incolatur: quippe viri bellorum magis, quàm agri colendi studiosi sunt; quodque omnium pulcherrimum est & maximum, media vtrinque clarissimas gentes Italiam Hispaniamque contingens, aut Regina imperitat, aut alumna enutrit: ac vtriusque maris commodis diues portubus, in omnes orbis terrarum partes vela dimittit.

Strab. li. 4.

CAPVT TERTIVM.

De Galliæ appellatione.

NOmen verò ab initio proprium & peculiare quod habuerit, haud ita facile dispectu est. Ferunt enim post terrarum inundationem, Celtarum gentem ab Aschenaze quodam propagatam, Galliæ, Hispaniæ, Germaniæ, & Illyrici fines, Britannicas etiam insulas insedisse. Quanquam non desint, qui Celtarum nomen (quo potissimum Galli intelliguntur) vel ab Pyrenæorum incendio dictum, vel quòd ea gens equitatu imprimis polleret, quasi dicas Celêtes, existiment. Quin Aborigines his in regionibus visos, id nominis sor-

Pauf. Attic. Am. Marc. l. 15.

titos fuisse putant, vt nomine Regis, in
quem singularis populi amor, Celtæ dicerentur;
velut & matris eius vocabulo, Galatæ
primùm, mox Galli. Quis verò ferat *Berof.*
poëticum illud, & fabulis anicularum simi- *l. 4.*
le, Gallos à Gallo quodam Iapheti filio,
cui ab aquarum communi eluuie nomen
impositum volunt, appellatos; cùm antea
Gomer diceretur? Haud leuiori errore,
quàm quo Tubalem Noëmi nepotem, in *Am.*
Hispaniam primum perueniſſe, ex gentium *Marc.*
dispersione adfirmant. Nec superioribus *ibid.*
coniecturis absimile, quod de Hercule Amphitryonis
filio somniant, qui ad Geryonis
& Taurisci Tyrannorum, quorum alter His- *Clu. l.*
panias, alter Gallias infestabat, perniciem *2. c. 8.*
festinans, Galatam ex Pyrenâ suscepit, at- *Intr.*
que inde Gallis nomen imposuit. Nec illis *Geog.*
quoque assentior, qui Tarquinio Prisco
Romæ regnante, Galliam à Gallis incolis
primùm appellatam dicunt. Quid certi in- *Vell.*
ter tot pugnantes ac dissidentes opiniones, *Pater.*
quarum haud scio satis, an vlla veritati lita- *2.*
uerit, statuemus? Magna veterum admiratio:
eorum qui nostris scripsere temporibus,
censura difficilis: Ad hæc *præsentia ferè
inuidiâ, præterita veneratione prosequimur:
& his nos obrui, illis instrui credimus:* vt
nec illos planè erroris arguere fas mihi esse
duco; ita nec eorum sententiæ omnino adhærescere
cogor. Quid tandem? propius *Hier. in*
vero est, Gallos à Γάλα, ac si dicas à lacte *Gal.*
seu candore gentis appellatos. *Gens lactea,* *Bapt.*
nomen à candore datum populis, vt meritò ha- *Mant.*

Fl.2.c.4 bere quidpiam niuibus suis simile putes: nō modò, quia vt caluere pugnâ statim in sudorem eunt, & leui motu quasi sole laxantur: sed niueo potissimum colore ex Regionis situ; quippe quæ nec æstu ardeat immodico, nec sæuis frigoribus aduratur, in omnium penè vultu ac corpore remanente.

CAPVT QVARTVM.

De Galliarum Monarchia seu Regno.

Inst. l.2. CÆterùm principio Galliarum, vt & cæterarum passim gentium imperium penes Reges fuit: quos ad tantæ dignitatis fastigium, cum bonorum consensione digna Imperio virtus promouebat. Nam cùm omnium optima sit reipublicæ forma, vt vni in omnes ius summum, *Vnumque sit quodammodo reipublicæ corpus, ac proptetea vnius animo regi ac moueri debeat*: ac pacis intersit omnem potestatem ad vnum conferri, ne imperantium multitudine ac mutatione distraherentur, Regem vnum Galli, quanquam tot illustribus viris niterentur, constituunt; vt ipso Maiestatis nomine, augustoque principatu continerentur. Eminebat longe præ cæteris, non solum iis quas natura hominum capere potest virtutibus, sed etiam diuinitatis cuiusdam opinione Samothes, quem & Ditem appellabant. Hic Gomeri frater, Gallorum qui propter eam adfinitatem à nonnullis

Tac.an. 1. & hist. 1.

Gomeritæ nominantur, Imperium fundaſſe fertur, anno circiter à diluuio CCLXXXIII à creato orbe M. DCCCCXXXIX ante Christum MMLXLI. ex communi authorum ſuppûto. Sic tantæ gentis ac dominationis exordium fuit, quo tempore Ninus ſiue Ninyas Aſſyriorum rex, tertius à Belo imperitabat: vt pené cum primo omnium gentium Imperio, Gallorum regnum, annorum ſpatio multò futurum diuturnius & clarius inciperet, LXX. annis, qui minimum plurimumque numerant, ab initio diremptum. A Samothe, priſci Gallorum Sacerdotes, qui etiam Semnothei à cura Religionis, inſtituti ſunt: vt firmatum optimis diſciplinis ac Iuſtitiâ imperium, Pietate augeretur. *Zon. Tom. I. ann. Ioſeph. l. 1. c. 11. Laert. l. 1 de vit. phil.*

CAPVT QVINTVM.

De priſcis Gallorum Regibus.

Lvbricus & difficilis eſt locus cui inſiſto: nec dum planè conſtitui, vtrum mihi qui Samothem ſunt inſequuti Reges, dicendi an ſilendi ſint. Nam *ut conquirere fabuloſa & fictis oblectare legentium animos procul à grauitate cœpti operis crediderim*, ita vulgatis traditiſque rebus fidem demere non auſim. Nec verò ſingulorum Regum fabulis perſimiles actiones curioſiùs euoluemus, ne mythologiam veriùs, quàm alethologiam, id eſt, hiſtoriam videamur con- *Tac. ann. 18. Beroſ. l. 4. A. M. 1986.*

texere. Abundè factum erit, si qui Reges, & à quibus excepti sunt, dixerimus. Successit Parenti Samotheo *Magus* filius: hic vrbium conditor appellatus est: nam Rothomagum, Iuliomagum, Nouiomagum, Moguntiam, aliasque complures extruxit: quo ferè temporis tractu, Treuerorum vrbem, à Treuero Nini Magni filio: qui Nouercæ odio se subducens, diu profugus in Belgica tandem Gallia consedit, conditam ferunt. *Magum* excepit *Sarro* filius, literarum amantissimus Princeps; à quo fabulantur sinum Saronicum, quòd in eo Armenia rediens, iuxta Corinthum submersus sit, appellatum. Ab hoc Sarronitas Gallorum sapientes; vt & Druides ab *Dryio* filio tanti parentis haud degenere, nomen duxisse ferũt; nisi ad eam arboris speciem quæ à Græcis Δρῦς, Latinis Quercus appellatur, ea vox referenda sit, quùm illi syluas incolerent. Tum *Bardus* regnauit, à quo & Bardi Gallorum Poëtæ. Inde *Lingho*, cui Lingonum Coloniam tribuunt, hunc *Bardus* 2. illum *Lucus* Lucothetiæ siue Lucetiæ, quæ Lutetia est, Galliarum nunc primaria ciuitas, fundator insequitur, tum *Celtes*, inde *Galathes*, Herculis, vt volunt, in Hispaniam profectione clarus. *Narbo*, à quo Gallia Narbonensis. *Lugdus* à quo si quis Lugdunum nobilissimũ Galliæ Emporium conditum dixerit, reddenda ei ratio erit, cur nunquam ante Num. Plancum, ea vrbs id nominis vsurpauerit; tum anteà Insula; ob coeuntem eum Arare Rhodanum ap-

Νοιόμαγοι τῶν λεξοβίων. Ptol. l. 2. Geog.

A. M. 2029.

A. M. 2116.

Am. l. 15. Strabo l. 4.

Iul. Misop.

A. M. 2354.

pellaretur. Lugdo deinde successit *Belgius* filius: ab hoc Belgica, & Belgæ Gallorum fortissimi. *Iasius* posteà Iouis filius, Dardani frater, à quo interfectus est, si fabulis fides. *Allobrox* à quo Allobroges Alpina gens. *Romus* deinceps Valentiæ ad Rhodanum conditor; nam Romam fuisse primum dictam volunt: ab eo insuper Veromandui Belgicæ populi, quasi dicas Romanduos. *Paris* Lutetiæ illustrator magis quàm conditor, inde Parisij. *Lemannus*, Geneuæ ad lacum qui ab eo *Lemannus* dicitur, fundator. *Olbius* quem Albia Galliæ Narbonensis vrbs ad Tarnim conditorem agnoscit. *Galathes* 2. & *Namnes*, Nannetarem parens, quorum temporibus Ianus in Italia, Laomedon in Phrygia regnauere. *Rhemus*, à quo Rhemi: hunc *Francionem* Troianum excepisse ferunt, qui fabulis magis, quàm optimis rationibus innituntur: Francioni successores effinguntur, *Sicamber*, *Priamus*, *Hector*, *Troius*, vt Gallis tanquam à Troianis oriundis nominum insigni appellatione blandiantur: quanquam quæ Gallicæ genti laus, si ad eos nascendi sortem originemque referremus, qui non factis aut virtutibus solis, sed ruina excidioque imperij claruerunt? *Torgotus*, *Tungrius*, *Teuto*, *Agrippa*, *Ambronius*, *Thuringus*, *Cimber*, *siue Camber*, aliique innumeri insequuntur, quos liberius quàm verius lo[illegible] a serie protrudi certum est.

A. M. 2434.
Cæs. l. 1.
Solin.
Cæs. l. 2.
A. M. 2584.
A. M. 2800.

Verùm omissis figmentis, & Amadisicis, vt vocant nostri, fabulis ac commentis, quæ

à Beroso, Hunibaldo Trithemio, Annio Vviterbiensi, aliisque nugiuendis proferuntur, *qui falso vera, aut maiora vero miscuerunt*: vt multa media incidamus, necesse est ex aliis iisque exteris, quæ tandem præclarè gesserint Galli, ediscere: cùm veterum incuriâ factum sit, vt certi nihil ex eorum gestis relictum ac mandatum memoriæ sit.

Tac. 2. hi

CAPVT SEXTVM.

De Phocensium in Galliam appulsu.

Agath. l. 1. Am. Marc. l. 15.

HActenus igitur se suæ Galliæ finibus Galli continuerunt; quanquam & virium abundantiâ, & virorum multitudine florerent, cùm à Phocæâ, Asiaticus populus Harpagi Darij regis Præfecti crudelitatem ægrè ferens, quo tempore ab Medis ad Persas imperium translatum est, primùm in Italiam ostio Tyberis inuectus: inde pactâ cum Romanis amicitia in Galliam delatus, post leuia aliquot cum Salyis Prouincialibus prælia, Massiliam nobilissimam vrbem inter Ligures ac feroces tunc Gallorum gentes condidit. Duces classis Simos & Protis; nonnulli Peranum ac Furium Phocensium iuuentuti præfuisse adfirmant. Sed facile est dissidentes conciliare, si bina expeditione, eò profectam Phocensium classem dixerimus. Fama est in altum prouectos, eo se publicè sacramento ac

Iust. l. 43.

Plutarch. Iust. ibid. Horat. Epod.

diris execrationibus deuouisse,non se priùs domum reuersuros,quã massa ferrea, quam præfati horrendum carmen in mare demiserant,nullo extrahente expiscanteque sursum emergens, in summis extaret fluctibus. Erat tunc temporis Regulus regionis, in cuius finibus vrbem condere gestiebant, Nannus. Is fortè, more gentis, electo inter epulas genero,Gyptin filiam tradere parabat: eò inuitati Græci hospites; cúmque introducta puella, iuberetur in eum peluim aduertere, quem præ omnibus in virum eligeret; illa,quis credat! omissis popularibus suis, ad hospites Græcos conuersa, nec diu cunctata, Perano(quippe in eius vultu cum virtute, amoris blanditiæ legebantur) aquam humanissimè porrigit. Itaque in generum consensu cæterorum ab Rege, ex hospite ascitus est. Tantùm Gallicæ genti ea Phocensium societas profuit contulitque, vt ad vsum cultioris vitæ,deposita illicò barbarie traducta, legibus non armis viuere, agrum colere, serere oleam, cingere mœnibus oppida didicerit. Sed eam exulum felicitatem, vt *est assidua eminentis fortunæ comes inuidia, altissimisque adhæret*; in ipso ortu excutere Comanus Nanni successor, incitatus scilicet suorum liuore ac querelis, qui exitio finitimis populis futuram mox vrbem ac gentem affirmabant, frustra conatus est. Nec mixtum ex vicinis vndique ciuitatibus bellum, Caramando partium fœderatarum Duce,nascentem adhuc Massiliam opprimere potuit: quasi tot- Paterc. l. 1.

aduersis, tot hostium incursionibus assurgeret strenua gens, in tantam breui magnitudinem ac potentiam excreuit, vt fusis terra marique hostibus, ipsis etiam Carthaginensibus, oræ maritimæ longè latéque imperaret. Quin sponte mox cum ea ciuitate coalescentibus Gallis, tantus & hominibus, & rebus Galliarum impositus est nitor, vt etiam florentibus in Gallico-græcula ciuitate literis, non Græcia in Galliam, sed Gallia in Græciam translata videretur: Disciplinis omnique genere eruditionis floruit adeò, vt & ciues Trilingues, quippe qui Græco, Latino, Gallicoque sermone loquerentur, ciuitas Athenopolis, siue Athenæ Gallicæ dicerentur. Ea disciplina, ea grauitas, sic consilio optimatum suorum, quos vulgo Timuchos appellabant; regebatur: vt eius instituta facilius laudare possent cæteræ vrbes, quàm æmulari. Sic positis fixisque, eo quo diximus modo in Gallia sedibus, Phocenses, amissa patria feliciter consederunt: Agathen, Taurentum, Antipolim, Nicæam, Aphrodisium, aliasque passim Colonias variis ex successu rerum temporibus, constituentes. Sed nimis forsan ad Massiliam hæremus diu. Tùm Galli è finibus emergentes suis, varias vicissim orbis gentes armis ac victoriis perlustrarunt: ne Græcis ad se transeuntibus, ipsi desides in patrio solo viderentur.

Isid. l. 1. c. 15. Plin. l. 2. c. 5. Strab. l. 4. Cic. pro Flac.

CAPVT SEPTIMVM.

Bellum Germanicum primum.

PRima Gallorum arma, quibus exteros impetiuerunt, in finitimos Germanos vno duntaxat amne diuulsos, gesta sunt: magnamque gentis bello strenuæ opinionem Barbaris, ac deinde Romanis concitarunt. Tarquinio igitur Prisco Romanorum rege, feracissima gens, cùm se suis antea finibus continuisset, ex angustiis finium, & incolarum multitudine abundanti, subinde exortis inter se contentionibus, bella externa, quibus domestica componerentur, quæsiit: ac in diuersas orbis terrarum partes effudit sese. Erat per id temporis, iustitiæ imprimis studio eximius Gallorum Rex Ambigatus, Biturigum (penes quos summa imperij diu fuit) factione, ob singularem prudentiam, virtutisque opinionem maximam, genti vniuersæ præpositus. Is quò superfluis quasi humoribus, Regni sui corpus exoneraret; neve mutuis vltrà vulneribus ciues decertarent, immanem Gallicæ iuuentutis turbam, ad quærendas nouas sedes, velut peregrinantem misit. Ferunt trecenta & amplius hominum milia stetisse in armis. Hoc iuuenum examine, Germania, Italia, Græcia, Macedonia, Illyricum, Thracia, Asiæ aliquot regiones, Hispania, Britanniaque, occupatæ sunt.

A. M. 3388.

Iust. lib. 20.

Liu. l. 5.

Strab. l. 4.

Liu. l. 5.

Iust. l. 24.

Zon. t. 2.

Horum portio Bellouefo copiarum Duce clariſſimo, cùm Alpium inuicta iuga & frigore intractabilia loca, Arunte quodam Tuſco, & Hebicone Heluetio ducibus itinerum tranſcendiſſet, in feraciſſimis Italiæ agris conſedit, Romamque ipſam, vt mox oſtendemus, interiectis aliquot annis ſuccendit: cæteri verò Sigoueſi Ducis vexilla ſequuti ſunt, & in Germaniam profecti. Ea tempeſtate, continua erât Gallorum Germanorumque pro armorũ gloria & finibus imperij contentio: vario belli euentu, victoria vtrique genti viciſſim inclinante: quanquam Germanos à Gallis virtute ſuperatos, quibus nimirum bella vltro intulerint, ac miſſis trans Rhenum Coloniis leges impoſuerint, apertè ſcriptores clariſſimi videantur inſinuare. Germani vt ſe finesque ſuos peti intellexere, facta in hoſtes gentis coniuratione, Hercynios ſaltus, qua Gallis iter erat, copiis ingentibus circumſident. Sed ferro & flamma paſſim omnia populantes, ac torrentium inſtar obuia quæque tranſcendentes Gallos, nulla hōſtium vis ſiſtere poterat. Tanto quippe impetu Germanos inuaſerant terruerantque, vt diſiectis ordinibus, interiora regionum, quaſi effracta ianua, verſiſque obicibus, per hoſtium ſtrages effuſi Galli penetrarent. Teſtes victoriarum prouinciæ à victoribus Gallis appellatæ, Bohemia, Bauaria, VVeſtphalia, aliæque. Eò Tectoſages & Boij, gentis ſuç diuerſis temporibus colonias deduxere, & Heluetij Gallorum fortiſſimi eo-

Plin l. 12. c. 1.

Cæſ. l. 6. Tac. de mor. Germ.

Cæſ. l. 6. de bel. Gall.

Tac. ib. Cæſ. l. 1 Plin. l. 4.

tempore, inter Rhenum ac Mænum amnes Hercyniamque ſyluam conſedere. Pannoniam, Illyricum, & Dardaniam vſque progressi Galli, rerum geſtarum monumenta erexere tam inſigniter, vt ipſis montibus, vrbibus, populis, regionibus, Gallicæ voces imponerentur. Nam & Galata, Galembergaque in Pannonia montes, à Gallis huius gentis domitoribus nomen ſortiti ſunt.

Pauſan. in Phocicis.

CAPVT OCTAVVM.

Gallorum in diuerſas orbis partes irruptio.

SIc diuerſis itineribus ac expeditionibus ſedes quæritans, tanta vis Gallicæ iuuentutis, vbique locorum felix, vno velut belli impetu, tot gentes, tam diſſipatas, tam diſtantibus in locis poſitas regiones, tam citò occupauit. Italiam prope omnem pulſis Liguribus & Etruſcis, qui primi omnium, quod memoriæ proditum ſit, regionem illam tenuere, qua longe ab Alpibus ad ſinus Illyricos, Padi oſtia, ipſamque Anconam, Picenum olim, & inde per Romanum penè agrum Tuſciam verſus, longo flexu, à maris ſuperò ad inferum ſiue Thyrrhenum excurrit, Cenomannis, Boiis, Venetis, Orobiis, Senonibus, & omnium in Italia quondam gentium validiſſimis Inſubribus, in Principem orbis regionem effuſis. Germaniæ ingentē tractū, à Rheno, qui vtriuſ-

Iuſt. l. 20. Polyb. l. 2. Strab. lib. 4.

que gentis medius limes erat, ad Viſtulæ vſque fontes, vlteriora etiam, vt ferè fit, captatis temporum occaſionibus ſubeuntes, inſedere. Alij inſuper in Britanniam vltra mundi fines, claſſè inuecti, breuiſſimo freto à continenti quaſi auulſam inſulam, pari facilitate ac felicitate tenuerunt. Quo ferè tractu temporis, ſuperatis Pyrenæis, Hiſpaniæ maritimam oram, alia inſuper gentis portio tenuit; ac eam potiſſimum quæ mixtis adfinitatibus & commeatibus Celtiberia, quæ Hiſpaniæ robur, appellatur. Sic mutatis occupatiſque bello ſedibus, cùm Gallica gens iuuentutis ſuæ multitudine quaſi exonerata liberior & opulentior vltrò quieſceret: cæteri rebus partis tranquillè fruerentur: nam *facile eſt otium ſeruare victoribus, ſi aut victi ſponte ſubſunt, aut reſiliendi ab iugo impoſito licentia per extinctas vires nulla relicta eſt.* Gallica arma domi foriſque diu quieuerunt nihil turbidum, nihil diſcors, cum neque luxuriæ quidquam crudelitas, nec crudelitati luxuria obſtaret: ſed pari rerum omnium conſenſu affectuque, quæ demum firma amicitia eſt, victores victique cohærerent. Tandem, vt *eſt innata Gallis animi mobilitas, & quietis haud patiens iuuentus*, tædio otij, ad bellum finitimis inferendum primò pro gloria, mox pro imperij propagatione accenditur: certo iam orbis documento, omnes ferè Gallos nouis rebus ſtudere, & ad bellum mobiliter celeriterque excitari,

Tac. in vit. Agri.

Diod. Sic. l. 6. c. 9.

CAPVT NONVM.

Bellum Romanum primum.

PRimi in armis visi sunt, qui superatis, vt dictum est, albicantibus perpetuâ niue Alpium iugis, in Italiâ ad Padi vtramque ripam, quo amne prope medio Cisalpina (vt vocant) Gallia irrigatur, consederant. Aucta igitur per cc. ab primo in Italiam aduentu annos, sua gentis iuuentute; tot enim annis antequàm vrbem Romam caperent, in Italiam Galli transcenderunt, inde emergentes terrorem latè circumferunt. Primum bellorum facinus in Tuscia: cuius regionis oppida aliquot facilè expugnant, nec dubium erat venturos Romam Gallos, reliquamque insessuros Italiam, si Tuscis victis & imperio adiectis, quasi euerso Romanorum aggere, liber vltra patuisset aditus ferocibus. Iamque admoto ad Clusium oppidum exercitu, Brennus Gallorum dux, totam vndique regionem terruerat; cùm missis ad hostes Romanorum legatis, oppidani de soluenda obsidione agitãt. Negante Brenno, eamque *vnam pacis ineundæ rationem esse, vt inferiores subessent pareventque fortioribus*, patria ferocia respõdente: Sic Romanis vsu venisse, qui finitimis suis eas leges imposuerant; Quos verò homines Romanos esse? nempe Pastores, qui latrocinio iustis dominis ademptum solum

A. M. 3614. Liuius lib. 5. Plut. in Camillo. Iust. lib. 43. Zon. to. 2. Flo. li. 1. cap. 15.

Iust. teneant: Fabij (ij Romanorum legati erant
l. 28. oppidum ingressi tueri armis statuerunt. Mox factâ ab vrbe eruptione, Gallos graui clade afficiunt. Atque vt Romæ breui expugnandæ occasio præberetur, velut fato, quod ineuitabile est, exitium tantæ vrbis
A. V. componente; ab Fabio Ambusto Legato;
C. 364. quem nihil extra legationis munus agere fas est, contra ius gentium pugnante, Gallus nobilis interficitur. Brennus indignatus cædis vindictam à Romanis quærendam esse, suis copiis edixit. Itaque dimisso oppido, cùm propè iam esset, vt vi caperetur; si Galli leuiter nixi forent, Romam magnis itineribus pergunt: Præmisso tamen qui dedi sibi legatum ab senatu postularent. Terruit ea res Romanos: Senatus, siue rei indignitate, siue præsentis periculi metu consternatus, tradendum. Fabiū censebat, vicit tamen plebs, Fabiorum nobilitate commota: creatisque in sequentem annum Tribunis Fabiis, factum probare visa est, ac ne Romani incauti ab irato hoste opprimerentur, eductis XL. circiter armato-
A. V. rum millibus, ad decimum ab vrbe milliare
C. 365. castra posuerunt. Ad Alliæ Tibridisque confluentem, Galli constiterant, multitudine, vsu militari, fiduciaque suæ causæ longè superiores. Tumultuarij Romanorum milites, Galli longâ iam bellorum experientiâ fortes. Itaque *facilè commisso prælio incondita & incomposita agmina ab ordinatis & instructis profligantur.* Cæsorum ingens numerus, flumine submersorum in-

finitus: qui cladem effugerant, *Veios* primum, mox Romam inermes profugiunt. quæ Romanorum consternatio fuerit eo tempore, præter cætera, argumento est omnium diuersa fuga, *publicâ salute* quod in re simili accidere solet, *abiectâ omnes priuatim quisque suæ consulebant*, eò vel tunc prolapsi mores erant, vti suo quàm reipublicæ malo plures mouerentur. Seruauit eo die imperium Romanorum Fortuna, Gallorumque supina per triduum negligentia, vt occupandæ Romæ mentem non habuisse crederes, qui fortunam habuissent. Tantus victorum mentibus iniectus post victoriam stupor, vt tanto interuallo, in ipsius Romæ conspectu, non de inuadenda vrbe confirmandaque victoria cogitasse, sed colligendi animi spatium victis concessisse facilè credas quò vincerent. *Nimirum iis Deus & sua sors mentem velut euertere, & consilia solet quos affligere vult: nec vlla est imminentis mox cladis nota certior quam nimia felicitas.* *Guischard.*

CAPVT DECIMVM.

Roma à Gallis capta.

IGitur importata in Capitolium arma & commeatus: datumque Romanis otium quo se seruarent, qui vna clade perierant. *Curt. l.* Romam promotæ copiæ, cum apertam va- *9. c. 1.* cuamque custodibus aduerterent, insidiarum metu, hæsere diu: nulli enim in muris

turribusque se armati ostendebant: dubitatum, deseruissent vrbem incolæ, an fraude se occulerent: mox captâ sensim fiducia, vbi solitudinem vident (nam iuuentus Capitolium Duce Manlio, qui ob id Capitolinus est dictus, insederat) ingrediuntur. Ferunt Senatores ferè centum in vestibulis domorum sedentes in purpura, vt in fortunæ pristinæ honorumque, aut virtutis insignibus morerentur, à Gallis primum habitos tanquam Deos: mox vbi homines esse constitit per M. Papyrium, qui Gallo barbam suam permulcenti, scipione eburneo in caput incusso iram mouerat, trucidatos. Tum expilata incensáque vrbs, obsessa Capitolina arx, vt ad deditionem fame compellerentur, quibus ferrum nihil nocuerat.

CAPVT VNDECIMVM.

Galli à Camillo fugati.

CReatus, vt volunt qui insignem Romanorum ignominiam Gallorum clāde nituntur detergere, ab fugitiuis Romanis Camillus Dictator. tunc apud Ardeam Rutulorum vrbem exul: tanta calamitatum necessitas fuit, vt cui patria interdixerat, eum ad tutelā pereuntis patriæ assumerent. Is prostratam & collapsam penè Romanam Rempublicam, consilio, virtute, manu, patriam acceptæ iniuriæ præferens, erexit. Nam cum delecta manu iuuentutis, colle-

ctisque recentis adhuc naufragij reliquiis, deiectos semel, ac iterum Gallos è Capitolio, quanquam compositis cum obsessis rebus, post septimum obsidionis mensem, vt pacta pecunia se redimerent, oborta inter ponderandum aurum lite adortus est, interceptosque tanta strage cecidisse ferunt, vt recepto auro, Gallici sanguinis inundatione, Romanum incendium extingueret, sublatáq; quasi fœdæ captiuitatis infamiâ, vix superesset è tantis cõpiis, qui fusos acie Romanos, captam vrbem, obsessum Capitolium, venditam auro libertatem inter suos prædicare posset. Ac eam quidem gloriam famamque hoc facto Camillus publicè adeptus est; vt non *Seruator* modò, sed *Conditor* Romanæ ciuitatis, pari cum parente vrbis Romulo gloria, ex S C. vocaretur. Sic facile fuit Romanis Scriptoribus, rerum suarum monumentis ea figmenta inserere, quibus accepta tanta strages, quanta nulla vnquam ab vrbe condita, lateret extincta. Sed vltrò se prodit è latebris veritas, Græcorum aliorumque scriptis consignata, nec Ætoli quondam Romanam legationem aliis excepere verbis quàm meminissent Romani, qui quibus minitentur: aduersus Gallos vrbem eos suam tueri nõ potuisse, captamque non ferro defendisse, sed auro redemisse: Italiamque trepidis ex recenti vrbis suæ incendio Romanis, vniuersam fermè à Gallis occupatam. Sed illud demus quod iam pridem vsus videtur obtinuisse. Fabio simul primum magistratu abiit, quod lega-

Iust. li. 28.

A. V. C. ccc. LXVI.

tus in Gallos contra ius gentium pugnasset dies dicta est: cui iudicio eum mors adeò opportuna, vt voluntariam magna pars crederet, subtraxit.

CAPVT DVODECIMVM.

Gallorum & Romanorum mutua odia.

HOc velut tot insequentium bellorum initium ac fundamentum fuit, Romæ primum conflagratione, & Gallorum extrema internecione stabilitum ac positum: sic quasi volentibus fatis, vt in posterum vtraque gens vindicta dedecoris sui, & infamię stimulis mutuò incitata, maiori pertinacia contenderet: nec vno aut altero bello finiretur odium, sed nouam armis ministrante materiem Fortuna, *Bellum ex victoria nasceretur*: ac crescente in mutuas clades iuuentute per octingentos annos, dè imperio certaret. Et quanquam sæpius penes Romanos staret victoria, quibus scilicet *Virtus* ac *Fortuna* orbis imperium, gentis Gallicæ exitio comparabant: nullius tamen alterius nationis armis æquè terrebantur: iisque eò formidabiles visi sunt Galli, vt lege sancitum haberent, ne vacationes à militia, quæ Sacerdotibus, ac senibus permittebantur, tumultu Gallico valerent, quantùm igitur consternationis bello ingruente? Ita enim statuerant, alia omnia virtuti suæ prona esse, cum Gallis

Curt. l. 7. c. 8. Liu. l. 8. App. l. 2. bel. ciu. Sall. Iug. Tac in Agr. vit.

pro salute, non pro gloria certandum. Cuius virtutis iactura non acceptis per tot bella cladibus, sed amissæ libertati referenda est: *Segnitia cum otio intrante, nam cum seruitutis iugo iniicitur animi stupor, quē nisi recuperata libertate excutere vix possis.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Bellum Romanum secundum.

IGitur tricesimo circiter ab euersa primum Roma anno, pudore superioris acceptæ à Camillo cladis & vindictæ cupiditate incitati Galli. Romanos iterum adoriuntur. In hos Camillus quintum dictator creatus, quanquam ætate iam prouectus, mouit copias, docuitque cum vix firmis vestigiis insisteret, *Caput potius quàm pedes imperare*, namque is consilio magis quam manu, nutantem Rempublicam confirmauit. Iamque ad vrbem Albam Ascanij Æneæ filij, vt credunt, opus progressi Galli: ingenti tumultu Romanos terruerant: cùm Camillus Dictator suos ad Reipublicæ defensionem & communis Patriæ præsidium adhortatus, non pro finibus aut libertate, quam cæteris rebus potiorem haberent, agi, sed vtra gens orbi imperitaret, eo bello decerni proposuit. Tantó vtrinque impetu, tanta vi prælium cōmissum est, vt anceps diu Mars victoriam distinuerit. Ex

Liuius l. 6. Poly. l. 2. Plut. in Cam. Aurel. vict.

A. V. partium contumacia ingens cædes, pote-
C. CCC. rantque Galli vincere, sed Romanorum ar-
LXXV. te ac prudentia Camilli, quæsita victoria
VII. est, Aderant Gallis, cædendis sternendisque
corporibus idonei enses: huic periculo ab
callido Dictatore occursum est. Induit enim
leuigatis galeis suorum capita, vt in lubrico
ictus caderet irritus. Tandem inclinante
Romanis fortuna, Galli fusi ac profligari, in
Appuliam, dissipatis agminibus concessere.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Bellum Romanum tertium.

VIx interiecto sexennio, diripiendæ
imprimis vrbis auidi Galli, ad Anie-
nem fluuium castra metati sunt. Romam
hostium pertinacia subitoque aduentu tur-
bati, iustitio indicto, publicisque supplica-
A. V. tionibus ad Deos, quod non nisi in summa
C. CCCC. rerum conflagratione fieri solet, expeditam
IV. iuuentutem, sacramento prius more milita-
Liu. 7. ri adactam, in hostem duxere: facilè sine du-
Eutr. l. bio, & pondere multitudinis, & alacritate
2. virtutis perturbatam ciuitatem occupaturi
erant Galli, nisi otio & lentitudine sui tor-
puissent. Diu ad pontem quo fluuius com-
mittebatur, pugnatum est magnum ad vi-
ctoriam momentum futurum, si teneretur.
Romani tandem præualuerunt? vt vel hîc
maioris victoriæ antelucana quædam fe-
licitas

licitas noſceretur. Nec prætereunda T. Manlij ſtrenui iuuenis virtus, *quippe ea vel in hoſte laudari debet.* Hic prouocantem ferociter Gallum equitem, ſi quis viritim dimicare vellet petitâ prius ab *T. Q.* Penno Dictatore pugnæ poteſtate, (*neque enim tum ſine imperio fas erat decertare*) ſtrauit inſigniter detractoque torque, & ad Imperatoris pedes delato receptoque, illuſtre Torquati agnomen, à virtutis & victoriæ memoriâ, ſibi & poſteris ſuis adeptus eſt. Id Galli omen malorum accepere: ac futuræ mox cladis (vt *ſunt mobiles ad ſuperſtitionem perculſæ ſemel militum mentes*) commilitonis caſum adſimilantes: non de pugnâ, ſed de fugâ cogitare occipiunt. Nec fugientes hoſtes Romani inſequuti ſunt: abſceſſum Gallorum, quippe qui contra inueteratum gentis morem euenerat, pro inſigni triumpho numerantes: rati nimirum non tam cruore, quàm fugâ & deſperatione hoſtium emi victoriam: nec ſolâ clade conſtare, niſi continentia moderatioque victoris acceſſerint, quæ in altiſſimâ quâque fortuna eminentia bona ſunt. *Tac. l. 1.*

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Bellum Sociale primum in Romanos.

VErùm vt continentibus prælijs inuictæ gentes inter ſe luctarentur, nec

longo Pacis otio bellicæ vires vtrimque frangerentur; nullâ penè tumultus causâ obortâ, per Romanos iterata hostium clade superbientes, turbatum est. Igitur elapso vix anno, Tyburtes finitimos, quod Gallos à clade seruatos perhumanè excepissent, hostili animo Romani inuadunt. Vnicum miserorum perfugium ad eos, quorum causâ vexabantur, fuit. Haud vulgaris Gallorum ira indignatioque: quòd per Sociorum fortunas peti se aduerterent. Igitur reuersi copias vrbi admouent, cunctaque se ferro ignique vastaturos profitentur. Nec dubia erat vrbi pernicies, si hostem iniuria accensum & furentem Romani expectassent. Tum consternati ciues properanti reipublicę excidio, ni præsentibus remediis caueretur, necdum obliti recentis direptionis, quâ ad orci fauces redacta Roma fuerat, Q. Seruilio Halæ Dictatori, se suaque omnia, communemque Patriam in tanto periculo cõmendant. Is T. Quinctio equitum magistro nominato, optimè sperare iussit, armis accingi iuuentutem imperat: armis petitam, tuendam armis Rempublicam: haud defuturos virtuti Romanæ Deos, qui caput gentium fore Romam, tot oraculis ac signis prædixissent. Eductis vtrinque copiis, dispositis in ordinem legionibus, in conspectu vrbis, haud procul portâ Collinâ, diuersis incitati rationibus, Galli Romanique decertabant. Hos Patriæ charitas, suorum salus; illos vindictæ amor, prædæ spes stimulabant, magna vtrinque

A. C. V. CCC XCV.

hortamenta animi ac virtutis. Pugna contumax & cruenta, nam res cominus gerebatur: incertum diu, cui parti victoriam fortuna assignaret. Timuit Roma, quippe quæ propior periculo erat, secundum ab hoste incendium: nam maximo amori maximus timor iunctus est: sed missis identidem ab vrbe recentibus copiis, fatigati longo prælio Galli, tandem ab expeditis profligantur. Fugientes Gallos, Tyburtes fœderati, egressi in armis seruauere iterum. Victor Romanus, tanto hoste exacto liber, ad suos est reuersus. Nec diu cessatum à bello, ardescentibus paulatim Gallorum in Romanos victores odiis. Inita igitur cum Hetruscis belli societate, de extinguendo Romanorum imperio coniurant. Sed furorem vtriusque populi grauissimâ strage compescuit Dictator Petilius. Magnitudo cladis in captiuorum numero facilè agnosci potest: Tuscorum millia sex in vinculis, cæsorum ingens numerus. Sic quartò de Gallis insigniter triumphatum est Romæ. Vtilis tum maximè Romanis fuit Gallorum aduentus: nam metu belli externi, domestica inter Patres ac vrbem seditio compressa est.

M. amor Iuliano.

A. V. C. CCC. XCVI.

CAPVT DECIMVM. SEXTVM.

Bellum Romanum quartum.

HIs quasi Fortunæ experimentis, cresſcebat in immenſum Romana virtus: viſaque tot proſperis armorum ſucceſſibus, quibus ad maximam imperij molem Reſpublica quaſi ſtruebatur, prima ſatis expiata calamitas tot continentibus hoſtium damnis. *Atque vt eſt humanus animus inſatiabilis eo quod fortuna ſpondet, ad altiora & non conceſſa tendere: & maxima facile ſperantur, vbi aliqua præter ſpem euenerunt, ac ſuaue eſt ad excelſa incentiuum felicitas:* tùm demum imperaturam ſe orbi credidit, dum gentis æmulæ & diu potentioris impetus, in irritum ceſſit. Galli quanto crebrioribus cladibus pulſati, tantò magis eniti, vt accepta damna reponerent. Nec ſegnius Romani rebus ſuis præcauere, gnari nimirum Gallicæ conſuetudinis: quippe *Galli vbi occaſio rei commodè gerendæ affulſiſſet, ea quam primùm vti conſueuerant.* Nec fefellit coniectura incautos. Nam reparatâ ex tot nuper cladibus virtute, vt nulla Romanis eſſet quies, ſed continentibus præliis tenerentur, ineunte primo vere, Galli cum ingentibus copiis Romani agri fines euaſtant; C. Fabio, & C. Plautio Coſſ. Dictatorem dici C. Sulpitium placuit. Is, relictâ ad

Liu. 4. Dec. 1.

Liu. l. 7.

custodiam ciuitatis exercitus parte, ne præsidiis destitutam hostes vno impetu inuaderent, ire obuiam discrimini statuit, contractisque legionum vexillis, cum expeditâ iuuentute in Gallos aciem direxit: ipse ante agmen, quò cæteris par animus simili periculo esset, progressus, suorum animos haud parum erexit. Compositiùs tamen agendum ratus, feruorem hostis cunctatione restinxit. Nam quia in æquum digredi tutò, cum tantâ præsertim multitudine, periculosum ducebat, castris locum idoneum delegit, firmatoque aditu, impetus Gallorum facilè repressit. Irruentes situs ipse loci, ac firmitas aggerum repellebat: nec quicquam incondito clamore insilientes in septos ingentibus fossis Romanos Galli proferece, funduntur ruentibus ex vallo telorum nimbis. Iamque territis irrunt dimissæ à Consule legiones, perque cæsorum aceruos, fugientes insequuntur: pertracta ad multam noctem cædes, miserique exercitus reliquias tenebræ in vicinis collibus seruauerunt, Castra direpta sunt: præda ingens facta Romamque abacta. Tantâ imperatoris laude victoria parta est, vt præter Triumphum decretum: Sulpicius superiorum Consulum ac Dictatorum famam excessisse, nec alius post M. Furium Camillum, iustiorem de Gallis triumphum egisse diceretur. Ac tali quidem Duce tum opus fuit, qui furori hostium prudentiam, audaciæ murum & aggerem, temeritati industriam callidè opponeret, animis magis

C. ccc. xcvIx.

quàm viribus fretus. Nec ita multò post eadem propè, qua ab Sulpicio Dictatore arte, à M. Popillio Consule profligati sunt.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Bellum Romanum quintum

A.V.C. CDV. SED feroces animos pudor recenti ignominia accensus vehementer incitabat: susceptamque tot bellis maculam deleri, nisi Romanorum sanguine haud posse vnquam rati, bellum generosius reparant, nec minori tamen quàm sub Camillo primum clade: quippe Romanorum fata per Furium Camillum filium deleri iterum hostes decreuerant, vt Camilli nomen Gallis fatale diceretur. Atque vt Belli grauissimi tanta felicitate confecti gloria Romanis tota cederet, & in huius laudis societatem, nulla se gens includere iure posset: Latinorum sperata auxilia defuere. Igitur armati quibus ætas militiæ idonea erat, vocati insuper ab agris ad signa rustic, vt tumultuario magis, quam exercitato milite Romanorum acies constaret. A.V.C. CDVI. In agro Pomptino pugna commissa est. Iamque in procinctu prælij ad teli iactum vterque stabat exercitus, cum in primos Romanorum ordines Gallus incitato calcaribus equo

aduolans, Romanum equitem ad singularem pugnam, velut in Belli prælùdium ferociter deposcit: ratus nimirum hoc duello, superiorem ab Torquato labem expiatum iri. Nec detrectauit certamen Romanus, ne hostis ferociæ virtus Romana cessisse putaretur: crederes imperatum, vt acies vtræque tela cohiberent. Igitur dato libero spatio, stante hinc inde exercitu, & ad fortunæ euentum sollicitè erecto, fortissimi viri vtriusque gentis sortem animo ac manu velut gerentes depugnarunt; ac ne sine aliquo prodigio abiret pugna, pugnanti Gallo superuolitauit Coruus, fœda auis, haud dubio cladis auspicio, oculos identidem rostro, alis, vnguibus impetens. Nec abscessit sonitu armorum aut fulgore territa: donec valido ictu à Romano Gallus sterneretur: hinc M. Valerio victori ex casu Coruino agnomen fuit, quod tantò fuit victori honestius, quod virtute partum sibi vindicauerat. Ea vnius pernicies maioris prænuncia extitit calamitatis. Nam vt ingens alacritas ac fiducia, paulò ante dubios ac territos Romanos ad pugnam accendit, sic Gallorum animos subita inuasit desperatio. Itaque haud diu sustentato Romanorum impetu fugam faciunt. *Nec difficilis de attonitis prodigio hostibus victoria.* Accisæ tot cladibus Gallorum vires, quanquam immortali odio Romanum nomen prosequerentur, ac sumēdæ imprimis vindictæ cupiditate flagra- *A. V. CDVI.*

rent; tamen impares viribus abstinuere. *Durum ferocibus, & tanto acerbius otium, quod ab inuitis exprimitur. Sed leuius fit patientiâ quicquid nefas est homini corrigere.* Horat. Od. 1. Galli per Volscos Falernumque agrum dissipati primùm; inde Apuliam petierunt, postremò in mare inferum ac naues compulsi sunt. Romani interim, insignibus clari victoriis, & fugatis toties Gallis. Orbi iam formidabiles, imperij potentissimi ea statuebant fundamenta, quæ coniuratus orbis non tantum nõ euerteret, vt nec succuteret quidem.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Gallorum ferocia.

HOc ferè tractu temporum Alexander Philippi Filius, rerum præclarè bello gestarum gloriâ Magnus appellatus, Macedonum gentem destructo Persarum imperio, eò honoris ac dignitatis prouexit, quò altius attolli nisi per eum solum non poterat. Sed immaturo fato ex rebus humanis sublatus, tantæ tamque breui dominationi finem imposuit, qui principium attulerat. Hunc victo exutoque Dario, Gallos milites quondam per locum interrogasse ferunt, quidnam illi maximè timerent, tũ illi security, id imprimis reformidare ne cœlum in se rueret, prætereâ ni- Strab. l. 7.

hil, respondere: quam vocem inuictæ cuiusdam generositatis testem nonnulli etiam Françis tribuerunt: quò miror magis ferocissimam vocem & Gallicæ virtutis indicem, à nonnulis Gentis inuictæ inuidis Germanis ascribi adfingique militibus; quos armis victos ac debellatos nuper ab Gallis constabat. *Curt. Suppl.*

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Sociale secundum in Romanos.

QVinquaginta deinde ferè annorum quies fuit; exorto tamen identidem tumultu, ob belli Gallici famam, haud vnquam fermè Patribus neglectam: vt extemplo Coss. noui Dictatoresque (quod non nisi trepidis in rebus fieri consueuerat) crearentur: haberetur delectus sine vlla vacationis veniâ, vt opificum quoque vulgus minimè militiæ idoneum genus scriberetur. *Liu. l. 8. & 9.* His exactis, vt *suscepta semel ex æmulatione odia, si longâ iam vetustate inolenerint, ægrè deponuntur*, Gallorum in Romanos inimicitiæ, tot velut cladium flabellis accensæ, vehementiùs quà antea exarsêrunt; nec spes incendendæ iterum vrbis penitus euanuerat: quoque facilius votis potirentur, vlturi parentum manes posteri, ascitis in societatem belli Samnitibus, Tuscis, Vmbrisque, Romanæ potentiæ, tantò *A. V. C. CDLVI.*

magis inuidis, quò periculo propiores erãt grauissimum bellum conflauerunt. Igitur infestis armis, contractisque vndique copiis, in fines Romanorum irrupere, ac populationibus effusè factis, concisaque penitus ex occursu ad Clusium legione, terrorem latè circumferunt. Erant eo tempore Romæ Consules. Q. Fabius & P. Decius: hi euocatis legionibus aciem in Gallos instruunt bipartito exercitu, quo vires hostium distraherentur: missi etiam cum Posthumio expediti equites, qui Tuscorum Vmbrorumque agros vastarent, quò illi sua seruaturi illico verterentur, & tota belli moles Gallorum ceruicibus incumberet. Auulsis in hunc modum ab Gallorum societate Tuscis, cum ad teli iactum hostes processissent, dato vtrinque signo pugna initur atrox, dubia diu victoria, vtrisque strenuè certantibus. Fabius Rullianus is qui primus ex ea familia ob virtutem Maximus est appellatus, primam Gallorum aciem facto à suis impetu fundit; sed vicissim Decij cornu nutabat; iamque in proximo erat vt sterneretur, cum paternæ virtutis ac laudis æmulator Decius (vt *rapitur ad similitudinem suorum, excellens quæque natura.*) Diis manibus se pro publica salute deuouens, in confertissimos hostium ordines irruit, ac vitæ impendio aciem restaurat. Tùm vero multum sanguinis effusum est; nam cominus pugna conferebatur, nullo non impigrè gladium stringente. Galli ignari

A. V. CDEVII.

Nazar. Const.

ab altero Consule fusos socios, victoriæ spem conceperant maximam, cogitantibus de fuga Romanis; cùm redeunte à tergo Fabio, circumfusi à multitudine inter duas hostium acies opprimuntur. Quàm funesta & cruenta illa dies Gallis extiterit, cæsa fœderatorum amplius xxv. m[illegible]a testantur, capta VIII. nec sine victoris populi clade: quippe Romanorum nouem millia desiderata sunt. Gallorum spolia Fabius Ioui victori cremauit. Decij corpus obrutum superstratis cæsorum cumulis, postridie inuentum Romam delatum magnifico funere curatum est.

CAPVT VICESIMVM.

Bellum Romanum sextum.

EXtinctus ea strage Gallorum ardor *Polyb.*
videbatur, sed breui maioribus flam- *l. 2.*
mis recaluit, magna Romanorum strage, *A. V.*
vt leui fortunæ successu sumptis animis, CCI.
quasi ministrata Bellorum materia, in XIIX.
Romanorum experimentum inuictę gentis virtus aleretur. Effluxerat à superiori clade annus ferè vndecimus, cùm velut excusso tanti temporis veterno, ad arma itum est. Itaque in Etruriam profecti Galli, Aretium obsident: Aretinis opem Romani ferentes, non longè ab vrbis conspectu dimicarunt. L. Cœcilius quem alij Consulem, Prætorem nonnulli faciunt, maiori fiducia

quam virtute temerè Gallos aggressus; ab confertis circumuenitur. Galli toties fusi ac prostrati à Romanis, acceptas iniurias vno velut impetu vlturi, Cæso Duce, cæteros ferro obtruncant; paucis vincula iniiciuntur, quia ira & indignatio immemores prædæ fecit. xv. circiter Romanorum millia periere cæsis cum Consule, militum Tribunis septem. Sed citò feroces compescuit Marcus Curius; ac eò quidem acerbiùs, quòd Galli iure gentium violato, legatos populi Romani pro redimendis captiuis missos, cum eos ferociter repeterent, interfecerant. Nec bellum expectari ab elatis superioris pugnæ successu, sed inferri oportere incautis censuit, vt *Bellum vitando sæpe alimus; & quod inferre possumus, accipere cogimur* Itaque primus Romanorum Curius Galliam ingressus Cisalpinam cum validissimo exercitu, ea felicitate rem gessit, vt occupatis in Italia sedibus, aut omnino, aut ex parte spoliati, eò vnde quondam profecti fuerant, remigrare Galli cogerentur. Documento gentium *maiori plerumque successu in hostili solo quam in suo bellum geri.* Tam breui tempore, Romanorum ceruicibus grauissima gens summota, anxia curia & continenti metu Rempublicam liberauit. Senas deducta colonia est; eam vrbem Senones Galli condiderant, regionique Senogalliæ nomen indiderant. Boios & Tuscos eadem tempestas obruit, tentata priùs tamen fortuna belli est. Sed cum suo more, incondito agmine, legiones

Curt. li. 7.

Romanas militari disciplina præcipuas, Galli temere adorti essent, à P. Cornelio Dolobella, ad Vadimonis lacum in Etruriæ finibus, penitus deleti sunt. Neque verò hic Romanorum stetisset fortuna, sed ea victoria omnino debellatum foret, ni à Pyrrho iam tertium annum Italiam ingresso, inita cum Samnitibus aliisque societate, metus grauior Rempublicam terruisset. *A. V. C. CDLXIX.*

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Bellum Macedonicum primum.

NEc feliciùs circa ea tempora ante quinquennium, res à Gallis gerebantur in Græcia, quanquam communi Gentis fato, plena felicitatis initia bellorum viderentur. Illi igitur, vt supra demonstrauimus, Germaniam ingenti celeritate percurrerant, nec tam suis cursibus, quàm victoriis perlustrauerant: cùm in Græciam à Pannoniis se bellorum turbo deflexit. Itaque ne circa vnius duntaxat gentis agros hærerent, dimissaque maximarum rerum opportunitate segnes; comparato vno excursionis impetu otio vterentur: Alexandri M. Sobolem, sed quantum ab eo viro degenerem, in ipsa Macedonia adoriuntur, post ccc. à relicta primùm patria annum, Brenno Belgioque præcipuis Ducibus: quos cùm *propagandi laudis imperij innata viris magnis cupiditas*, tum vindicta Deorum, in

Ptolemæum Macedonum Regem tot periuriis cruentisque patricidiis inuisum omnibus impulerunt. Itaque cum domitis Pannoniis per multos annos cum finitimis varia bella gessissent; hortante successu, diuisis agminibus, Græciam Macedoniamque omnia ferro ignique proterentes petiuere: cúmque pacta mercede cæteri passim Reges ac principes bellum redimerent; missis ad Ptolemæum Macedonum Regem legatis, an pacem auro habere vellet, interrogant. Is Alexandri orbis terrarum domitoris successor, vel tanti vmbra nominis tutum se fore in Gallos arbitratus, maiori ferocia ac fiducia quam consilio, pacem cum Barbaris (ita enim Gallos appellabat) nisi datis obsidibus, armisque summissis, non se habiturum superbe respondit. Ea vox adolescentis à Belgio cum risu excepta est: sed vbi militum animos peruasit, tanta Gallos neglectæ legationis ferro vindicandæ cupidine incendit, vt ferocem Regem infestis agminibus nulla mora interposita peterent. Ptolemæus remissis amicorum auxiliis, fœderatorumque Principum appendicibus, vt *sua quisque & publica fata præcipitare cupit*, cum paucis iisque inconditis (quippe qui fatis scelera anteactæ vitæ vlciscentibus duceretur) Gallis ausus est occurrere. Sed breui impetu fusus in acie captusque est: mox in pœnam arrogantiæ obtruncatus est; quique in suos impo-

Iust. l. 24.

Lucæ.7.

tenti licentiâ grassatus ferro fuerat, *non ea facilitate defendi parricidia, quæ fiunt* expertus est. Addita cladi ignominia, ne quid ad cumulum malorum deesse videretur; caput eius resectum in summa hasta fixum, toto circumfertur exercitu, ad terrorem hostium, qui deiectos ordines restaurare conabantur. Tum Macedones viso spectaculo fugere, Galli palantes cedere, tota regio luctu & commiseratione compleri, vnius se adolescentis Regis temeritate ciues, patriam libertatemque amisisse, cuncti simul conqueri. Præsentis periculi species ex tanta suorum clade & Regis sui casu, omnium simul corda animosque horrore perstrinxerat: *curæ leues loquuntur, ingentes stupent*, nec aut consilium suppetebat aut manus. In publica rerum omnium desperatione, consternati Macedones. Sosthenem ignobili quidem loco ortum, sed virtute præcellentem, ac prænitentem Ducem (vetuit enim se Regem appellari, ne iterum ominatò & diis aduersis bellum inirent, ac pertinax fortuna Macedonas vrgere non desineret) instituunt. Is minimè ignarus *plerumque vnius calamitate complures fieri cautiores*, contrariâ quàm Ptolemæus ratione bellum gerere decreuit, quippe cunctationem suis fore vtilem, hostibus exitialem reputabat. Sic aliquandiu impetum Gallorum sustinuit elusitque. Verùm breui à multis &

Aurel. vict.

Sen. Hyppolyt.

Ph. Comin.

victoribus oppressi pauci, vno prælio infeliciter commisso, in arces cum præsidiis tenuissimis compelluntur Macedones. Tum vastata ab Gallis Macedonia: passimque omnia fœdis populationibus diripiunt.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Bellum Atheniense.

HOc Gallorum impetu Græcia omnis, quippe quæ magnis cladibus ab Alexandro & Philippo etiam prius, postremò ab Antipatro & Cassandro pene exhausta viribus elanguerat, in potestatem exterorum cessit. Soli Athenienses tot quondam factis insignes, pro communi patria ac libertate & priuatis suis & aliorum aduentitiis opibus, quamquam & ipsi tot aduersis præliis debilitati ac propè fracti essent, ad Thermopylas celebrem olim victoriæ locum contendêre. Erat eorum Dux Callippus manu consilioque præcipuus. Is occupatis montium angustiis quasi obiecto claustro Gallos accessu frustra prohibere conatus est: Nam illi quà olim Ephialtes Trachinius Persarum copias traduxerat, progressi, cæsis præsidiis, Græcos vndique circumuentos vasta strage disiecere, reliquos quibus ferrum pepercerat, Atheniensium naues seruauere. Neque verò sine

Pausan in Att.

Gallorum ſtrage, quibus nimirum in arduo res erat cum peritis regionum, adhæc inutili equitatu gerenda certatum eſt. Afflictis per hunc modum Græciæ opibus, dilapſis quæ ad ſiſtendos hoſtium impetus in vnam aciem confluxerant gentibus, fœda Regionum vrbiumque populatio ſequuta eſt: direpti viciſſim impune ij populi, qui nuper ſub Philippo Alexandroque Regibus, finitimas gentes orbemque adeò penè totum deprædati fuerant.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Bellum Delphicum.

FErunt etiam auditis ſuorum proſperis ſucceſſibus, eò ad prædam conuolaſſe qui Brenno Duce, cui ſuperior in Græcos expeditio à nonnullis Acichorioque Duci aſcribitur, Italiam infederant: cúmque hoſtium cupiditati exhauſtæ penitus regiones nonſufficerent, Brennus cui hominum opes iam ſordebant, vt *auidis natura parum eſt*, quaſi cum hominibus puderet pugnare, deos aggreſſus eſt; cæcâ quadam auri Delphici cupidine accenſus Delphos aduolat, propoſitâque præda, ad templi toto orbe Auguſtiſſimi expugnationem direptionemque ſuos inflâmat. Data militibus mora, vt ſe ferocius ex magnitudine prædæ ad irruptionem accingerent: quóque faciliùs

Pauſ. Phoc.

Sen. Herc. Oet.

bello mox vincerentur, vino priùs vincuntur, quod frequenter accidere Gallis solet, ob immoderatas eorum crapulas ac ebrietates. Fama est concussa ingenti motu Gallorum castra, & horribili fragore crebra tonitrua de cælo intonuisse, rupes nullo impellente, & sponte auulsa de Parnasso saxa irrumpentes hostes obruisse: visus est & à sacerdotibus humana specie maior augustiorque adolescens, non diuersus ab Apollinis vultu: hic ædem & sacra defensurus, Gallis terrorem omen victoriæ obsessis dedit: recreati deorum suorum fauore ac præsentia Delphi, tantoque defuncti periculo, hostem fessum multis cladibus, & amissa omni spe expugnationis castra repetentem inuadunt ac prosternunt, Irruente etiam grandinis nimbo, telisque è sublimi depluentibus, fugantur, conciduntur. Nox reliquias afflicti exercitus seruauit, repetentibus Templum Delphis, diuersa fuga in colles euaserunt. Delphis adfuere Phocenses aliique finitimi cùm aliquot Ætolorum copiis. Brennus siue pudore amissi exercitus, siue eas pœnas exigentibus à sacrilego Diuis, furore quodam mentis occupatus repente hausto, vt aiunt, mero, suo se pugione transfixit. Sic Galli quâ virtute comparare dominationem potuerant, sacrilegio amisere: sedemque sepulchris eorum præbuit Græcia, quam illi viribus imperioque proposuerant. Nunquam clariori exemplo constitit. *Omnia prospera euenire colentibus deos, aduersa spernentibus.*

Polyb. l. 2.

Iust. l. 28.

Liuius l. 5.

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Gallorum in Asia dißipatio.

QVis magnitudinem cladis ab obsessis ac trepidis ciuibus mirabitur; si in exitium infelicis ac sacrilegi militis terra, cælum, tota denique rerum natura & iusta numinum ira consenserit: vnum id Gallis solatio fuit: Exercitum tot gentium victorem non bello ab hostibus, sed à diis tempestate deletum fuisse: quis enim credat tantum Gallis iniectum animo furorem ac vecordiam, vt patriæ linguæ ac vocis derepente ignari, nec vultus inter se, nec scutorum signa agnoscerent, sed contrariis ordinibus vtrinque per cæci illius erroris amentiam stantes, mutuis se vulneribus gladiatorio plusquam more conciderent? Græcis inde incessentibus assidue, tantam Gallorum editam stragem, vt ex tanto hominum numero ne vnum quidem saluum rediisse domũ fabulentur: verum quæ fides fabularum architectis? Igitur omissis Delphis infelicissimi exercitus reliquiæ partim in Thraciam, quibus itineribus Græciam inuaserant, reuersæ; regnum constituere: deuictis Thracibus, & Tyle Regia constituta, Commentorio in Regem assumpto, impositoque Byzantinis tributo; modò tribus, modò quinq;, interdũ decẽ millibus aureo-

Iust. l. 19. Pausan. Atti.

Polyb. l. 4. Strab. l. 4.

Geog. Iust. l. 32. rum: ad extremum 80. talenta singulis annis pendere coacti Thraces, vsque ad Clyari tempora, quibus superata vicissim ea gens, penitus extincta est: qui supererant, partim in antiquam patriam remigrarunt, ij nimirum qui Tectosagi vocabantur, nonnulli in Asiam classe transuecti, maritimam eius partem populationibus infestam reddiderunt.

CAPVT VICESIMVM. QVINTVM.

Aurum Delphicum & Tholosanum.

Festinanti ad alia stylo, manum moramque iniicit decantatum aurum Delphicum ac Tholosanum, suis possessoribus exitiale adeò, vt qui contingerent, subitâ numinum ira plecterentur, quis credat Gallos Tectosagas, malè exceptos Delphis, vbi maiorem vim numinis quam hostium senserant, aurum inde exportasse in patriam, ac in vicinum Tholosæ lacum coniectum olim, quo velut piaculo lues diu grassata sisteretur: inde aliquantò post à Q. Cæpione extractum graui suo damno? vèro propius est, Cimbrorum ac Teutonum vrgente bello, expilata fuisse à Romanis templa, qui omnes præsentem deorum vltionem pestilenti morbo confecti, persensere. Sed ve rerum intermissa series retexatur; eâ clade Delphis acceptâ, Gallici

nominis terror mirum in modum imminutus, reliquas passim gentes, ad vlciscendas injurias subinde accendit: & quamuis manifestâ deorum ope deletos fuisse Gallos constaret, fuit tamen ea res documento, posse vinci eos, qui antea inuicti haberentur. Scythæ, Triballi, cæteræque circa Epirum gentes in Gallos, qui eas terras insederant, signa infesta attollunt, Cimbri ac Thraces conspiratione mutuæ societatis pariter accensi, diuersis locis ac bellis adoriuntur: sed victi acie ab Cerethrio Duce, parere victoribus didicerunt.

Iust. l.25. Plut. in Mario. Pausan. in Phocis.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Bellum Macedonicum secundum.

TVm missi ad Antigonum Macedoniæ Regem, qui pacem si emere vellet, offerrent: is ratus Gallos iri territum, si instructum militem, Classem paratam, & rerum istarum neruum ac subsidium opes ostentaret suas; legatos ingenti apparatu epularum ad cœnam inuitatos, eò vbi illa cernerent, adduci imperauit. Sed contrario quam putauerat sensu, ea magnificentia excepta est, vt intelligas inesse *Maximum discrimen penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum causæ.* Namque his opibus incitati, longè quàm venerant infestiores, ex vbertate diuitiarum ad suos reuertũtur.

Igitur explorata Macedonum incuria, castrisque haud munitis, quasi illi vallo aut fossa non indigerent qui auro abundarent, ad opimam prædam verius quàm ad pugnam dubiam ac difficilem profecti sunt: nocte iam appetente improuisi aduolant, inuadunt, nec difficulter occupatis castris, cum passim hostes: in latebras montium ac nemorum diffugerent, Gazam Regiam diripiunt, & auidissima gens ex longa velut fame auro se satiat. Diu tamen rapto frui non licuit: nam vt fieri solet in certa victoria, *nihil adcò securis nocuit quàm sui fiducia & contemptus hostis*, passim prædam diuisis agminibus abducebant in littus, cùm è propinquo saltu Macedones, relictis Antigoni Regis consilio vxorum ac pellicum suarum, quæ nihil aliud fuerant quàm onera impedimentaque, gregibus, reliquaque imbelli multitudine considere iussa, incautos Gallos facto vndique impetu adoriuntur, cædunt, sternunt; tantum momento temporis discordante fortuna, vt spoliati diffugerent, qui nuper fugientis Antigoni castra diripuerant; & ab eo ipso quem castris exuerant, tanta internecione deletos Gallos ferunt, vt passim agri stratis ferro cadaueribus complerentur.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Galli Asiam occupant.

NEc ea clades tamen adeo fregit aut demisit animos Gallorum vt ab inceptis desisterent: imperium vniuersæ Asiæ nihilo secius affectare inceperunt: nec spes omnis ad irritum cecidit, occupatis feracissimis terris, quibus tandem pulsi à Romanis legionibus, in antiquã patriam velut ex longa peregrinatione reuerterentur; huius demum imperij fundamenta iacturi, quo Romanæ opes conuulsæ proruerent. Ptolemæi Ægyptiorum Regis stipendiis parum feliciter militarunt; traducti in loca aspera incultaque nonnulli, duriori ferro exitu, fame nimirum enecti periere. Pyrrhum in Antigonum iuuerunt insigniter, ac tantò cupidiùs, quòd recens accepti vulneris dolor omnium animis adhæresceret: Nicomedem Bithyniæ, fuso Zybæa qui prouinciam inuaserat, reddidere ac diuiso ex æquo regno, regioni à se occupatæ, Gallogræciæ nomen, ex mixtura incolarum imposuere, quæ res clarissimorum Ducum Lutarij & Leonorij auspiciis gestæ sunt; tanta Gallorum laude, vt *quia fundamentum perpetuæ commendationis & famæ iustitia est.* Orientis Reges, si discordia orta turbaretur, euocati ob iustitiæ opinionem

Liu. l. 38 *Pausa.* *in Atti.* *Plut. in Pyrrho.* *Iust. ibid.* *Polyb. l. 4.* *Strab. l. 12.*

Liu. l. 38. singularem Galli componerent. Fuit etiam Gallicę virtutis in bello fama ingens; ideóque Principibus vtilis, vt nec illi sine Gallica iuuentute bella gererent, nec pulsi Regno dignitatem recuperare vllo modo possent: quodque ad gentis inuictæ gloriam immortalem maximum est, tanta integritas fuit, vt Reges de terminis prouinciarum ambigentes, disceptationum suarum iudices Gallos eligerent. Hinc Asiæ arbitra gens, nominis maiestatem sui auxit summum in modum ne difficile fuit tam iusto imperio subiacere, ac iis morem gerere, qui tanta moderatione in extinguendis finitimorum contentionibus vterentur.

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Gallorum in Asia diuisio.

Iust. l. 25. Liuius l. 38. Strab. l. 12. & 4. VErùm quia *Magnæ firmæque dominationis custos est concordia*, ne ea Gallorum multitudo quæ se in Asiam illam, quam nunc Natoliam vocitamus, effuderat; eamque omnem velut examine aliquo impleuerat, tot distincta populis, sic animis diuideretur: visum è re publica est, ad tria potissimum capita totam redigi; vt alij iique nobiliores Tectosagi, alij Tolistobogi dicerentur; Tertium denique genus Trocnesios quos & Trocinos dicent, contineret.

Cæterum

Cæterùm Gallicæ originis, & vsitata ante inter Gallos nomina, ne quis aliunde sumpta putet, quæ dudum ante hæc tempora inualuerant, ac ne controuersiis inter se, qui aliorum populorum contentiones sedare consueuerant, distraherentur, terris ac regionibus auelluntur: indictis, ac limitibus certis definitis ac descriptis ex publico consensu quos quisque incoleret, agris. Trocmesiis Hellesponti ora assignata fuit, ij SyriæRegem imperata facere coëgerunt. Tolistobogi Ætoliam cum vicina Ionia tenuerunt: Cæteris mediæ Asiæ regiones in sortem suam obtigere; quibus insuper finitimæ gentes ad Taurum montem & Haliin fluuiũ sitæ, tanquam illustrioribus, annuum vectigal pensitabant. Paulò aliter à nonnullis Regionum diuisionem cognatas inter gentes astrui non me fugit; sed in tanta scriptorum varietate, ac tam fœdis rerum tenebris, quis videat, cognoscat, iudicet? Censura difficilis, iudicium incertum, malo ego ea in re vt & alibi, vbi nubes antiquitatis densiores occurrunt, notare quàm vel dissipare, cum aliquo periculo erroris; nec mihi succensere poterit æquus rerum æstimator, si hac in parte potissimum, tenuis esse famæ quàm nouæ maluerint. Id vnum certè liquet, Asiæ Reges Genti Gallicæ vectigales diu extitisse: vt vel hoc modo securi ab hostibus, inuictæ gentis amicitiâ nixi quiescerent. Cæterum ignota pene nobis Tolistobogorum. Troemorum, & Tectosagorum nomina, familiari apud nos

Plin. l. 5.

appellatione, nonnulli hoc modo designarunt. Tolistouoturos & Arubianos aggregant: Tectosages, Languedoxios, Tholosanos & Aquitanos esse affirmant. Tromos denique Auernos Burgundiones, Heluetios & Sequanos nunc dictos contendunt.

Plin. l. 15. c. 32.

CAPVT VIGESIMVM NONVM.

Bellum Macedonicum tertium.

INterim vt bello materies suggereretur: nec desides longiore otio animos inuicta gens demitteret, erepto è viuis Pyrrho, siue illum tegula tecto ruens, siue vibratum ab vrbe saxum, tantum Regem rebus humanis abstulerit: Gallos, quod eius partes essent sequuti, Antigonus Rex armis aggreditur, ratus iis domitis, facilem fore de reliquis hostibus, à quibus tum premebatur, victoriam. Re accepta Galli prisco & barbaro more, namque Galli in bellis periculisque pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent, humanas hostias diis suis mactant, vt ex sanguinis visceruinque tractatione, bella proximi euentus coniicerent. Quid potest esse dementius quàm humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tanquam oleo pascere? Cladem suorum maximam Aruspices præsagiunt, quam vt abs se pro-

Iust. l. 26. Cæs. l. 6 Lactan l. 5. 6. 10.

pulsarent, vxores, liberos, & quicquid in castris inualidum inermumque cui vel ipsi hostes pepercissent, immaniter obtruncant. His peractis illiti sanguine suorum, quem sic impigrè, hauserant, cruentoque sicut erant suorum parricidio authorati, in Macedonas mouent. Sed furiosi & suorum vmbris continenter occurrentibus lymphati, tanto terrore corripiuntur, vt diis hominibúsque ex tanto infensi parricidio, velut placandis suorum manibus ab hoste mactarentur.

Hic iam multa incidimus: neque enim vlla suppetunt scriptorum monumenta, quibus res à Gallis bello gestæ perferantur; nec tamen credibile est, gentem fœcunditatis eximiæ, ac virtutis inclytæ, tot sæculis quibus Gallorum facta sepeliuntur obruũturque, iacuisse desidem ac ignauam; eam inquam gentem, quæ inter ferrum & arma nata, *prima post herculem est*, bellorum adeò auidam, vt si exteros non habeat hostes, domi quærat, & in sé armetur: quieuisse vix putem. Inuidit nimirum tot Gallorum victoriis antiquitas, quóque iniquius nihil reperire est, leuissimas clades odio præclaræ gentis euulgauit, Triumphos tacuisse visa est. *Sed vltro se prodit virtus, obducat vmbras & tenebras densiores inuidia, suo fulgore perrumpet & clarius tandem coruscabit.* *Liu. l. 21 & 10.*

CAPVT TRIGESIMVM.

Gallorum gens Mercenaria.

A.V.C. *CDLXXVII.* *Eutrop.* *Polyb.* *l. 1.*

OMissis igitur in Oriente rebus, ad ea quæ in transalpinis regionibus gesta sunt, stylum nostrum inflectamus, mox eò vnde digressi sumus reuersuri. Sic enim adacti necessitatis lege ac temporum ordine, velut desultoriâ oratione, in alias aliasque prouincias distantibus in locis positas transilimus nonnunquam: ne quid perturbatè ac confusè aut permisceatur aut omittatur: sed suis quasi locis sedibusque omnia committantur.

Orto Romanos inter ac Carthaginienses grauissimo bello, pro Sicilia, quam Romani, Siculo Regi Hieroni per Appium Claudium primum eripuerant, anno circiter vrbis conditæ CDLXXVII. Pœnorum arma, & subinde Romanorum, vt in diuersis castris militarent Galli sequuti sunt. Nam cùm montes aureos Carthaginienses pollicerentur, & Punicâ fide diu elusissent, ad Romanorum partes non semel transfugæ se receperunt: Sic Carthaginienses transitione Gallorum destituti in magnas sæpè angustias rerum redacti sunt: nec diu impune: Hannone Pæno desertores perfidiosè, ab eo ipso quem adibant Consule Romano T. Octacilio puniente: nec inultus Gallorum san-

A. V. CDXCII.

guis, quem tanta perfidia effuderat: versa enim in consilium ac audaciam necessitate, (vt in re simili fieri solet) cruentissimam Romanis victoriam impendio sui sanguinis attulerunt: quippe à multis pauci circumuenti, omissa victoriæ spe ac salutis, in destinatam mortem conspirauerant: tanto omnium ardore, vt victores se putarent si non inulti morerentur. Doluit Romanus fortissimorum militum sortem exploratâ fraude: ac breui augescente in dies Pœnorum perfidia, Gallorumque odio exardescente, quinto eius belli anno vexilla Romanorum sequuti, magnam partibus accessionem, Pœnis damnum induxere. *Front. l.5.c.11.*

His innixi Romani, maritimum prælium instruere primum ausi sunt: antea enim intentatum legionibus Romanis mare: sed fiduciam adferente Gallo (erat enim Gallis cum discriminibus maris, non notitia solum, sed familiaritas) commissum certamen tantâ felicitate, vt captis hostium triginta nauibus, XIV. demersis; Carthaginienses vincerentur, nulla Romanis gratior visa est victoria: quippe qui terra inuicti, plurimùm etiam mari possent. Tum mitiùs & humanius cum Gallis Pœni agere instituerunt: illi iniuriarum minimè tenaces, pro Carthaginiensibus iterum militare occeperunt: conducti maioribus stipendiis. eò facilè vbi lucri spes effulgebat, inclinabant. Autaricus igitur dux insignis; haud leuem popularium suorum manum pro Pœnis armauit. Sed inita tandem pace, cùm *Sidon. lib. 8. ep. 6.*

stipendia non ex fide soluerentur; mouit seditionem. Itaque pertractis facilè ad partes Liguribus, Hispanis, Græcis, aliisque, Galli signis infestis Carthaginem aduolant, nec longè abfuit à direptione ciuitas: quin Carthaginiensium captiuorum septingenti flagrante seditione, ab infensis obtruncati sunt, neque illic duntaxat hæsisset stetissetque furor, ni interceptus cum aliquot sociarum gentium ducibus, cùm fidei publicæ se commisissent, Autaricus supplicio vltimo, modum imposuisset seditioni, seuerè quidem: sed nullum aliud glіscentis discordiæ remedium, quàm si vnus alterue maximè prompti subuerterentur. quo miror magis, eodem ferè anno quo hæc gesta in Africa sunt; pro perfidis in Græcos cum Persarum Rege Xerxe militasse: nimirum eò festinabat inuictissima gens, vbi aut gloriæ, aut prædæ spes aliqua effulgeret.

Tac. 2. Hist.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Galli armis inuicti otio & deliciis franguntur.

Diod. Sic l. 11 Polyb. l. 2. Athen. c. 14.

Sibaritas (quietissimum hominum genus, & luxui planè deditum) qui cum aliquot Asiaticis belli societate coierant, imperio adiecere: Ariæi superioribus haud impares, ciborum delicatissimorum illecebris

ac sua primum ingluuie deceptos, fugitiuis similes, velut vinctos partim concidêre, partim in subiectum amnem compulere. Sed vt *difficilis in perfecto mora est, naturaliterque quod procedere non potest, recedit*, iis tandem artibus quibus alios fregerant, fracti, multum à pristina virtute degeneres breuissimo tempore, euaserunt, tot deliciis otium additum, sublato vicinorum in Asia metu, apertaque luxuriæ via, non gradu, sed præcipiti cursu à rectis ad praua, ab his ad vitia, rapidissimi instar turbinis egit præcipites. Nam cùm armis velut quiescentibus laxari cœpit Gallorum in Asia animus, Asiatici mores facilè inducti sunt, militarium rerum abiecta cura, quietem & otium respexit, nec difficulter in de vetustate otij fractos, excepere voluptates. Sic de industria fortissimos viros deprimente fortuna, vt quos hostium suorum arma non vicerãt, sed nec terruerant quidem, deliciis vincerentur. Nec longo temporis interuallo virtus strenuissimæ gentis elanguit. Vix cessatum ab victoriis bello quærendis, annos sex & quadraginta; *Adeò maturè impetus in stuporem, in ignauiam audacia, in torporem mentis ferocitas, virtus in vitium, in clades maximas, insignes victoriæ plerumque descìscunt.* Dumque seu Fatorum inuidia, seu ita res humanas Deo volente, partum labore Gallici nominis decus otiò corrumpitur in Asia; Bella interim cum Romanis gesta strictum euoluere, haud erit à proposito nuper ordine alienum,


Io. Pater. l. 1.

Pater. l. 2.

Multipliex diu casus, & varius belli exitus fuit; modo spem, modo metum vtriusque partis augente, ac inter fortissimas gentes certamen ita æquante Fortunâ, vt domitis tandem Gallis, fractaque penitus æmulorum potentia, non accepisse, sed fecisse imperium Romani viderentur.

Finis Libri primi.





FLORI GALLICI,

LIBER SECVNDVS.

HÆc in Oriente ab iis Gallis qui Asiam propè omnem infestis armis insederant, gerebantur: Nunc ea resumenda sunt, quæ in Italiâ, ipsaque adeò Gallia, aduersus Romanos gesta sunt. Quæ res diu animum ancipiti cogitationum æstu abreptum distraxit, ea fuit: quod cogitarem nunc mihi ab Oriente in Occidentem, nunc vicissim ab his regionibus quas incolimus, ad alias remotissimas orbis terrarum partes puncto temporis esse transuolandum. Sed suis omnia locis referenda sunt: & vno quasi filo texenda fuit oratio. Hoc saltem consilio, vt si totâ re, quod minimè volo; temporibus, quod certè maximum est, non errarem. Enimuerò si quæque suis temporibus reddere voluero, interrumpendæ sunt res Asiæ; quas vt inter se cohærebant; haud

dubiè orationis ſerie coniunxiſſem, ni con-fuſa rerum identidem intermiſſarum moles, propoſiti operis ac ordinis perſpicuitati & facilitati obfuiſſet.

CAPVT PRIMVM.

Bellum Romanum ſextum.

Zon. 10. 2. Oroſ. l. 4. c. 10. A. V. C. DXII.

QVæ igitur prælio ad Vadimonis lacum per Dolabellam commiſſo, poſt quintum & quadrageſimum otij annum ordiar dicere. Pudebat Gallos erepta nuper Arimino, & ſuperiori bello ſummotos longius arceri : igitur delectu ſuorum habito bellum mouent, initio fœlix, ſed exitu luctuoſum genti. Nam Publium Valerium Conſulem cæſis Romanorum IV. millibus profligant : ſed mox reparatis animis, acceptæ cladis dedecus reſtauraturus Conſul, non expectatis quæ Roma ſubmittebantur ſubſidiis, ingenti Gallorum ſtrage ſuorum manibus parentauit, cæſa hoſtium ea die millia XIV. Nec decreuit Senatus victori triumphum, quippe viſum ſatis Romanorum Fortunæ; famam accepti damni obliteraſſe, & cruore hoſtium ſuſceptam maculam diluiſſe. Inſequenti anno bellum renouatum eſt, pari pene fortuna. Alterum Conſulem Q. Flaccum pene intercipiunt Galli, nam L. Lentulus copias à Collega diſtraxerat, quò effuſius hoſtes inſequeretur. Tum agitatum de

Pace, indignantibus Gallorum fœderatis quibus (vt ferè fit) ab societate sensim dis-fluentibus, cùm Gallorum exercitus minueretur, Romani in Boios acerrimos & propè annuos hostes repente irrunt, eosque agri parte multatos dimisere.

CAPVT SECVNDVM.

Gallorum vires imminutæ.

SIc paulatim Galli iis regionibus quas in Italia insederant, exuebantur: Sed nihil æquè rebus Gallicis obfuit, ac mutua discordia; vt inuicta diu gens, suis lacerata manibus, vel minimo hostium impulsu facilè vinceretur. Tum cecidit infractus antea animus, & vincendi consuetudine ferociores Romani, Gallicum impetum, nihil iam metuere, sed pene spernere: quorum nominis terrore perculsi olim, de libertate, de imperio, de publica salute desperauerant: siquidem Gallorum nomine nihil apud Romanos tetrius, nihil horribilius esse consueuerat. Galli contra Rom. arma formidare, quæ antea contemptui erant. Sed vt *nihil in hoste tutò spernitur,* *Polyb. l. 2.* quem spreueris, valentiorem negligentia facies, Romani Gallicæ virtutis haud im- *Curtius l. 6.* memores, quanquam multis cladibus pene accisa videretur, strenuæ gentis metu, à rebus plerumq; maximis suscipiendis deterrebantur. Galli vicissim odio victoris toties

populi, grauissimo terrore Remp. distinebant. Sic mutuis affecti vulneribus, & mutua virium suarum admiratione pares, à bello ad fraudes animum conuerterunt: vt non palam & apertè, sed tacitè & quasi cuniculis res gereretur.

CAPVT TERTIVM

Gallorum intestina discordia.

Zon. tom. 2. A.V.C. DXX. ERant tunc temporis Romæ Consules M. Æmilius, & M. Iunius, ij Bellum in Ligures qui oram maritimam incolunt, meditabantur. Gratum id Gallis, vt eo occupati Romani facilius & commodiùs premerentur; nec tam rei Romanæ inuadendæ, quàm vindicandi sui sanguinis cupiditate ad bellum mouebantur. Sed gnari consiliorum Consules, bello occupato, in Gallorum agros excurrunt, illi ea celeritate intercepti, bellum quod tacitè moliebantur extinguere, quàm accipere maluerunt. Sic belli grauissimi moles, intra mutuæ fraudis artes latuit: quod vix exacto biennio emersit è suis latebris multo vehementissimum. Nam immanes Transalpinarum gentium copiæ, in Italiam à Cisalpinis Gallis contra Romanos accitæ; in ancipitem metum Rempublicam adduxerunt. Redacta mehercule ad orci fauces erat eo bello Romanorum potentia, si Galli in commune consensissent: sed Boiorum imprimis

Polyb. l. 2. A.V.C. DXXII.

coniuratione in irritum cessit impetus, amissis etiam ex seditione in Gallorum castris oborta, Ato & Galathe Regulis, in tantum Romanis aspirante fortuna, vt nullo rerum suarum discrimine, hostium vires, magnas & formidolosas, suis penè manibus ac ciuilibus discordiis conciderent.

CAPVT QVARTVM.

Bellum Romanum septimum.

NOndum à superiori tumultu triennium effluxerat, cùm (vt assiduo infestissimæ gentis terrore quaterentur) grauissimi belli oborta tempestas, Romanos afflixit: nimirum vt aliis aliisque tumultibus, ad grauiora multò bella prælusisse principem orbis populum, orbis ipse miraretur. Ortum belli principium ab agro Piceno, vnde nuper eiecti Senones. Hunc militari more, emeritis ac veteranis Cn. Flaminius edicto assignauerat. Ea res vniuersam Gallorum gentem adeò accendit, vt sumptis pari consensu armis, vocatisque in auxilium transalpinæ gentis (Gesatas vocant, quòd mercenariam militiam obirent) Regulis Congolitano, Aneroesto, & Britomaro, Romani copias promouerent. Creuit in summum Gallorum furor indignatione mixtus, & singulari insuper gentis suæ ignominia inflammatus; quippe his ferè temporibus Gallum virum Gallamque

Polyb. l. 2. Fl. 2. c. 4. Eutr. l. 3. Oros. 4. c. 13.

fœminam in foro Boario viuos Romani defoderant: Audiuerant enim Romam ab Gallis captum iri: quo sacrificio miseram ciuitatem Pontifices funestauere, rati vel sic prodigia, quibus terrebantur, expiari: nam in Piceno flumine sanguis effluxit: & apud Tuscos cœlum latè ardere visum est. Arimini nocte multâ claram lucem fulsisse, ac tres Lunas distantibus cœli regionibus exortas apparuisse passim vulgabatur. Nũquam maioribus copiis Romani certauerãt pro his tota Italia cõsensit, Cenomanni Venetique Gallorum populi, in belli societatem contra populares suos assumuntur. Sociis arma & commeatus, aliaque id genus imperata sunt. Superat fidem armatorum numerus. Septingenta & ampliùs millia, pro Romanis in armis stetisse quis credat? nec inferiori multitudine Galli aciem instruxere, fuit tot vndique armatis Italia angustior. Omissâ aliarum prouinciarum cura, vt vni Romæ capiti rerum studeretur: vrgente etiam Carthaginiensium in Hispania bello. Primo conflictu in Thuscia apud Clusium fusi ac prostrati Romani, armatorum septem circiter millia amisere: præter infinitam hominum multitudinem, ac ingentem omnium rerum copiam, quæ in Gallorum potestatem venerat: quæ clades tantùm non Romanorum vires fregit, vt magis magisque confirmauerit: cùm illi prudentius, Galli contrà negligentiùs, ex tenuissimæ felicitatis euentu rem gerere inciperent. Igitur Gal-

tos victoriâ feroces,& prædâ ingenti facta *A. V.*
oneratos occupatosque, Lucius Æmilius, *C.*
C. Attilius Consules (Attilius commodè DXXV.
ex Sardania insula aduenerat) adoriuntur,
interceptosque diuersis à fronte & tergo
partibus circumsident. Galli in eas rerum
angustias adducti, sitam in ferro salutem
suam, nec fugæ vllum sibi relictum iter co- *Polyb.*
gitantes, cum vndique hostium legionibus *li. 2.*
clauderentur, (habent enim hunc in primis
bifrontes acies vsum, quòd nullam militibus
vertendi terga spem præbent,) sumpta
ex periculo fiducia, honestè saltem morituri,
quod maximum viris solatium est, in
eum ordinem copias distribuunt, vt diuisis
distinctisque agminibus vtrinque depugnarent:
præcipua Gallorum vis in equitatu,
quem expeditissimum habebant, huic *Strab.*
primus belli impetus committitur: vbi ab *l. 4.*
equitibus pugnæ signum audiri cœptum *Geog.*
est, tum magno impetu in Romanos prouolant:
turbant ordines, passimque huc
illuc cursitantes, auulsos à suis Romanos
ferro demetunt. Apud Ariciam propè in
ipso conspectu Romanæ vrbis, pugna
commissa est, non multitudine tantùm
cæsorum, sed etiam dignitate Ducum insignis.
Attilius alter Consul cæditur; eiusque
resectum caput, in summa hasta fixum
ad Gallorũ Regulos, inter magna ludibria
defertur. Romani quamquam luctuoso
Consulis casu prostrati afflictam Rempublicam
cernerent, non tamen demisere
animũ, *Magni & fortis animi esse arbitrati*

Curtius l. 9. *patienter aduersa vbi obuenerunt, tolerare.*
Collectis igitur ex fugâ velut è naufragio reliquiis, non proiectam habuere Rempublicam, sed *virtuti irritatæ vinuicta faces admouit & stimulos: superante in vltimis animi magnitudine*, quo vno vinci eo die Roma non potuit. Iuuit insigniter labentem Rempublicam preter gentis fortunam, is omnium pro patriâ sensus, ea mens, victoriam vt si minimè sperarent, mortem saltem non recusarent honestam, se in perpetuum, aut egregia victoria nobilitandos aut pugna. Superesse Consulem virtutis suæ testem, mox si diis placuerit, præmiatorem. Nullam fore tam surdam posteritatem, nullā tam ingratam famam, quæ vtcumque res caderent, non se in cœlum debitis laudibus attolleret. *Impendio sanguinis ac vitæ benè emi immortalitatem nominis.* His accensi rebus Romani prælium restaurant. Galli irrumpentes pari ferocia excipiūt. Anceps diu belli exitus ex vtriusque partis contumacia, hos Consulis sui casus, & imperij salus; illos prædæ spes ac gloriæ, ad strenuè depugnandum accendebant: nec crediderim acrius vnquam ac constantius prælium ab vtraque gente initum fuisse. Fama est Gallorum plerosq; abiectis vestibus in certamen descendisse, quò expeditiores huc illuc, vbi maius periculum erat, cursitarent, quæ res tantum non profuit, vt obfuerit vel maxime: nam & facilius ab hoste petebantur, & fluente ex vulneribus sanguine integros exterrebant.

Itaque pulsis fractisque equitum alis, quorum impetu prima Romanorum acies disiecta fuerat, Romanorum equitatus in Gallos pedites, qui totam aciem ægrè sustentabant, quasi è superiori loco immissus nimbus irruit, cæduntur longâ & latâ strage; XL. Gallorum millia desiderata sunt, atque ad cladis cumulum decem millibus cathenæ iniectæ, vt qui nuper pro imperio certauerant, de sua libertate exciderent. Lætum victoribus, victis turpe spectaculum Roma inspexit: nam Britomaro Duce non prius soluturos se balthea iurauerant, quàm tentatum olim à suis maioribus Capitolium ascendissent. Expleuerunt sacramentum quo se illi vouerant; victos enim in Capitolio L. Æmilius discinxit. Congolitanus in hostium potestatem delapsus victoriam nobilitauit ac triumphum. Aneroestus alter è Gallorum Regulis, abiecta omni spe, questus primum de suâ fortuna, quod tantis rebus gestis, ad eas rerum angustias adduxisset, veritus indignam Rege sortem; suo se gladio transuerberat. Secuti Regis sui exemplum cæteri, haud segnius quàm ille ferrum induerat; in ensem omnes incubuere, inauditi facinoris societate inferias Regi instruentes. Præda ingens Romam abducta est: nam vrbium direptionibus, agrorumque longa vastitate dites Galli, infinitam auri copiam vndique congesserant, restituta sociis quę Galli ademerant; quô moderationis ac iustitiæ imprimis fides finitimorum animis figeretur.

Fl. l. 2. c. 4.

Multati agris Boij, quorum pars superioribus annis in Romanorum iura transierat. Triumphus Æmilio decretus: tanta rerum gestarum gloria, tanto omnium consensu, vt Vltor infamiæ, Collegæ vindex, Patriæ seruator diceretur.

CAPVT QVINTVM.
Bellorum vicißitudo.

ACcisæ Gallorum vires ea vltima clade penitus elanguerunt; vt non iam vltimò Romanos bello appeterent, sed eorum arma viciſſim timerent, qui diu timuerant: *Quis neget rerum ac gentium esse velut orbem, voluique hominum ac populorum prosperos aduersosque casus, ea lege, ut nec perpetua unquam obueniat felicitas, nec aduersæ sæuientis fortunæ insultibus pateamur?* Ecce tibi viciſſitudinis rerum in gemina gente documentum: ſtabunt in poſterum hoc Romani loco, vnde Galli cecidere: nuper Romanis bellum Galli inferebant, nunc in ſedibus ſuis illatum ægrè propulſabunt. Sic iactabatur inuicem varietate fortunę vterque populus: ſcilicet imperium quia mutuò affectabat, vtraque gens non capiebat, amplius CCXV. annorum penè continenti bello tentata Roma & à Gallis petita eſt, vt tot præliis ſtabilita firmiùs ſtaret: nec difficilis eſſet demùm de cæteris triũphus, poſt æmulæ gentis tot & tantas támq; celebres victorias. Sed quàm ægrè ceruicem

inflexerint, quàm difficulter citra suas Alpes reuerterint, vix credideris! vt enim *virtute ac labore comparatis rebus frui gloriosum est ac splendidum; sic spoliari turpissimum censetur, maiusque dedecus est parta amittere, quàm omnino non parauisse:* hinc illa Gallorum pro tuendis Italiæ agris feracissimis pertinacia. *Sall. Iug.*

CAPVT SEXTVM.

Bellum Romanum octauum.

Nec dùm annus ab superiori clade effluxerat, cùm per Gallos turbatum est: ac per Q. Fuluium Titumque Manlium Consules perdomiti, leges Romanas haud dubiè accepissent, nisi frequentibus è cœlo imbribus ac incremento amnium tota adeo restagnasset Italia, vt cõsistere loco milites vix possent. Grassata insuper vltra modum Romanis in castris pestilentia, exercitus Romanos velut parum bello exhaustos lacerauit. Sic bellum initio felix ac prosperum (nam xxv. hostiũ millia primo impetu ceciderãt) casus abrupit. Ineunte vere bellum intermissum, per P. Furium & Caium Flaminium Consules renouatum est: varia fortuna gestum: Primo belli aditu visa est Fortuna Gallis blandiri, quo deinde successu superbos ac elatos atrocius prosterneret. Pulsi ab Gallis Romani haud ita leui strage: sed mox inita dum- *A. V. C. DXXVI.*

A. V. C. DXXVII. Polyb. lib. 2. Liu. 21 Zon. 2. Fl. 2. cap. 4. Polyb. l. 2.

Cenomanis societate Romani, vbi primus Gallorum impetus circa hastatos in fronte ordinum collatos facilè elanguit, in fatigatos repente inuadunt, nam *Gallorum gens primo impetu acerrimè dimicat, mox verò labascit animus, atque confringitur*, tum magna Gallorum strages edita est, stratique cadaueribus agri, miserabilem vndique speciem præ se ferebant. Auxit mirum in modum victoriæ gloriam captiuorum numerus & præda ingens facta; abducta in seruitutem XVII. hostium millia victoris Flaminij triumphum nobilitarunt Sed quâ illi fiduciâ bellum instaurauerant! Dixisses securos de victoria in arma proruпisse: nam Aristonico Duce de Romanorum prædâ, Marti suo Torquem in Victoriæ monumentum ac pignus vouerant; nec verò fuit irritum omnino votum: sed ab Ioue exceptum est, cui de Gallorum torquibus, aureum trophæum erexit Consul Flaminius.

CAPVT SEPTIMVM.

Galli sub iugum missi.

A. C. DXXVIII.

LOngè maior insequenti anno clades Gallos afflixit, qua tandem vel penitus Italia omni exacti sunt, vel imposito Tributo, cedente iam in Romanorum iura orbe, seruitutis Romanæ iugum Galli Cisalpini subierunt. Illi igitur damnatis se-

ro tot armorum tumultibus, vt otium in suo seruare ac colere tuto liceret, pacem ab Senatu populoque Romano per Legatos suos flagrantissimè ambiebant, quo eos nō tam voluntas, quàm fractis iam rebus vltima necessitas adigere videbatur: Itaque negata à M. Claudio Marcello & C. Cornelio Cōsulibus pax, grauissimo metu gentem omnem perculit, ac ne tamen incauti Galli & imperati à Romanis opprimerentur, velut vltimo vocante periculo, iuuentutem omnem in armis esse edixerunt. Coacta vndique auxilia, vocatusque pro communi Gallicæ gentis tuenda causa ac partibus, cum Viridomaro rege magni nominis & virtutis Gæsatorum (ij Transalpini populi sunt bello exercitatissimi) ingens exercitus. Vrbem inter Padum & Alpes, Acerras vocant, dubium vter populus obsidebat, eò facilè inclinat animus vt putem cinctū Romanis legionibus oppidum, quòd primi in armis Romani, primam in Gallorum fines impressionem fecerant: nec vero simile est, eos qui pacem enixissimè ambierant, priùs de inferéndo bello, quàm de suis rebus, si inferretur, tuendis cogitasse. Cæterum vt vt sit, in Gallorū perniciem maximam gestum bellum confectumque est. Effusa ad populationem agrorū, decem Gallorum millia Marcellus Consul resciuerat per exploratores: hos passim vagos, vt mos gentis erat, nihil tale expectantes magno impetu aggreditur; cæsoque priùs hostium Rege, cuius arma auro fulgentia

Plutarch. in Marc. Flo. ib.

Ioui-Feretrio vouerat, cùm Viridomarus Romana Vulcano promisisset, sic cadentibus aliorsum votis; territos ac perculsos Regis sui casu Gallos concidit: plurimi sublatis secum rebus fortunisque suis trãs suas Alpes compulsi sunt. Instat fugientibus cum collega suo Cn. Cornelio Scipione Marcellus, ingentesque Gallorum copias prostrauit. Mediolanum caput Insubrûm expugnauit; cæterisque in deditionem receptis ciuitatibus grandem prædam Romam pertulit: ac triumphans Gallorũ spolia stipiti imposita humeris vexit. Hic Romanorum omnium primus, stipendium iure belli, quod victores victis imponere consueuerunt, Gallis cisalpinis instituit, nec vero dubium est, quin iugum impositum rigida ceruice Galli sustinerent: sed armis ac præsidiis continebantur, qui resiliendi quidem voluntatem; &, si daretur, audaciam: potestatem certè non habebant. Quadriennij quies hunc rerum statum complexa est Romanis de propagatione imperij sui, Gallis de amouendo à se seruitutis iugo, ac recuperanda libertate assiduè cogitantibus.

CAPVT OCTAVVM.

Galli pro Carthaginiensibus in Romanos

QVo tempore Hannibalis in Italiam cum exercitu numerosissimo descen-

sus, Romanorum in Gallos, quanquam leuissimo prælio cum L. Manlio Prætore tūc luctarentur: & horum viciſſim in istos, bella consiliaque abrupit. Is iuratus Romanorum hostis, parentis Hamilcaris haud degener filius, deletâ penitus Sagunto, domitáque Hiſpania, qua Romanis societate adhærebat, hostē in media quæsiuit Italia. Qui vt rumor Ciſalpinas gentes peruaſit, ad ſpem melioris fortunæ ex turbidis rebus erexit adeò, vt Carthaginienſium aduentū pro libertatis recipiendæ occaſione numerarent. Nec latebat Hannibalem pronum ad rebellionem earum gentium ingenium: tranſiturasque ad partes, vbi ſigna Pœnorum è ſummis Alpibus fulſiſſent. Sed media & hinc inde arduis montibus ac ſcopulis tanquam aggeribus defenſa Gallia, Pyrenæis clauſtris ſi leuiſſimo præſidio tenerentur obiectis, exercitū ſiſtere; aut ſi armis decernendū foret, copias frangere his anguſtiis impeditas facilè poterat. Nuſquā magis Punica calliditate opus fuit, vt ad partes traherētur: & quamuis ſuperiori bello acceptæ à Romanis clades nutantes ſatis impellerent, ſuſpecta tamen tanti Ducis tantique exercitus potentia. Periculum ingens ſi aperta velut janua tantæ copiæ direptionibus Hiſpaniarum aſſuetæ, per opulentos Galliæ fines, quà longè porriguntur, effundantur: ægrè à maleficio immanem diuerſarum gentium multitudinem temperaturam, ſed ſi vi aditus quæreretur, vt *in armis ius ſit fore*

Liu. l. 21.
Plut. in Hann.
Oroſ. ca. 13. l. 4.
Zon. tom. 2.

victoris omnia: nec defuturas ab Alpibus Romanorum legiones, funestæque tragœdiæ daturam Theatrum, luctuoso quocumque res caderent exitu, pronior omniũ in Pœnos affectus vergebat: Cùm missi vtrinque ad Gallos legati, non dubia eorum victoria quorum illi signa sequerentur, dubitationem omnem penitus abstulerunt. Nam paucis pro Romanis acriter enitentibus, vicit Hannibal, cuius promissis ingentibus tota pene Carthaginiensium partium fuit Gallia: atq; vt *nihil auro imperuium est*, Pyrenæorum claustro auro, *cuius auidissima gens est*, & *Principum animi conciliantur*, reuulsa sunt: cùm prius non se nec Pœnorum quemquam exerturum gladium donec Italiæ fines attigisset, Hannibal iureiurando adactus sanctissimè promisisset: hospitem se Galliæ non hostem aduenisse. Ingresso Galliam Hannibale, incredibilis Gallicæ iuuentutis multitudo ad eius castra confluxit. Hanc humanissimè excepit: nonnullos etiam quò facilius alios pertraheret ad sese, cohortibus præfecit: eaque arte vniuersæ gentis studia sibi adiunxit, *adeò humanitas & comitas Ducibus vtilis, nam quod cæteri Reges imperio, hi beneuolentia tenent*. Octauo circiter die ad Rhodani ripam cum copiis penetrauit, Soli Allobroges rerum suarum metu, freti montibus quò se statim si cogerentur tutò reciperent, fluminis rapidissimi transitu prohibere conati sunt. Sed cùm eâ parte quà Lugdunum est ad Rhodani Ararisque

Liu. l. 5.

A. V. C. DXXXII.

Liu. l. 21.

Æmil. Prob Timol.

confluentem, copiarum partem traiecisset, repetentibus suos montes Allobrogibus, amnem facilè transmisit.

CAPVT NONVM.

Massiliensium fides erga Romanos.

MAssiliæ societate & viribus, in discriminibus arduis fultam aliquoties Romam legimus. Sine qua Romani vix aut nunquam de transalpinis gentibus triumpharunt. Fuit verò eo tempore singularis in Romanos Massiliensium fides, iij pro antiquo fœdere, P. Cornelium Scipionem cum sexaginta triremibus ex Italia vectum portu exceperunt: quóque affectum in Rempublicam suum testarentur, commeatibus, armis, cæterisque ad bellum necessarijs rebus iuuerunt. Sed iam promotis Carthaginiensium copiis cum Italiæ immineret Hannibal, re infectâ cùm se tantis in Gallia legionibus longè imparem esse sciret, Romam properè ad patriæ suæ præsidium remigrauit. *Marc. 15. Cic. Phil. 8.*

CAPVT DECIMVM.

Hannibal operâ Gallorum Alpes transmittit.

ALpibus cum exercitu transcendendis vna Hannibali supererat difficultas;

nec minimus circa Allobrogas labor. Commodè euênit, Fortunâ Pœnis per omnia aspirante, vt Allobrogũ Principes fratres, de principatu cõtenderent: ij disceptationum suarum arbitrum eligunt Hannibalem, qui cognitâ vtriusque causa volutatisque diu rationibus, Branco, is erat fratrum alter, principatum adiudicauit: quò factũ vt ille pronus in Hannibalem se suamq; regionem facilè permitteret. Hac ratione inuias alioqui Alpium radices, transgressus, montium claustra anfractusque primos scopulorum facilè euasit: sed magnũ inde periculum sequutũ est: quippe luctatus cũ rupibus exercitus, Rusticorum hominum qui ea saxa insederant, improuiso impetu penè deletus est. Prærupta erant omnia saxis & cotibus, niuibus albicantia perpetuis iuga; gnari locorum ac scopulorum incolæ impeditos Pœnos sistebant sternebantque; namque ingentis magnitudinis saxa per montium prona deuoluentes, nõ singulos modo, sed agmina plerumque integra proterebant: id erat omnium miserrimum fortibus viris, quòd inulti more ferarum cæderentur: stabat inter primos Hannibal, inuicto animo omnia perferens; sed cum hærere ibi sine periculo diutius, nec eniti in summa cacumina vlla ratione posset exercitus, de recepru cogitauit. Iamque dari militibus signum imperabat; cum Matali cuiusdam Boiorum reguli consilio abstinuit. Hic iter aperuit, obsitum quidem niuibus, sed quas vis frigoris astrinxerat; perque acutos cal-

les agmen antecedens quasi facturus periculum incedebat. Hannibal inuictus suos exemplo præibat, ac pedes per niuem & asperos montes ingrediebatur. Erubuerunt, vt de Alexandro Magno ferunt, non sequi præeuntem impigrè, primùm amici, deinde copiarum Duces, ad vltimum milites. Tandem nono die summa Alpium iuga emensus cum exercitu, inuias olim ea parte rupes ferro, flamma, aceto aperuit: quæ inde Pœninæ, quod per eas Pœni Duce Hannibale in Italiam perrexerint, appellatæ sunt: sic post decimum & quintum circiter laboris diem, amissis intra Alpes XXXVI. armatorum millibus, in Cisalpinam Galliam peruenit. hodiernis adhuc temporibus inter Queracensem & Traxineam valles, superato montis dorso per impedita & ardua loca panditur via, admodum angusta, in saxo humana industria excisa, quæ ab accolis Hannibalis via dicitur.

Curt. l. 5.

Iuuen. Sat. 10.

Thuan. l. 27.

CAPVT VNDECIMVM.

Carthaginiensium de Romanis victoriæ.

HAnnibalis signa secuti Galli omnes (si vnos Cœnomannos excipias, qui Romanis partibus penitissimè adhæsere) quippe veteris Romanorũ odij, & tot acceptarum iniuriarũ ac cladiũ haud immemores, oblata inferendi detrimenti occasione vtebantur. Mutina quò se Rom. receperãt, fuso velut belli grauissimi præludio, L. Manlio prætore, oppugnatur: erãt in Castris Roma-

nis omnino duo Gallorum millia; sed in populares suos qui pro Carthaginiensibus militabant, telum torquere primum indignati, mox communi omnes assensu maiori mercede sollicitati ad Hānibalem transeunt: quæ res quantum Pœnos alacritate erexerat, tantùm Romanorum copias debilitauit ac depressit. Nec diu Romanorum
Liu. l. 22. Poly. l. 3.
clades maximas Fortuna morata est. Inter Padum & Ticinum amnes fusus Scipio in hostium manus venisset, nî protectum patrem Prætextatus filius ab ipsâ morte rapuisset. Mox ad Trebiam ingenti Romanorum occisione, secunda belli Punici procella desæuiit: vbi alter Consul Sempronius pari fortuna conflixit. Inde ad Thrasymenum imperatore Flaminio lacum; ac tandem apud Cannas ignobilem
A. V. C. DXXXIII.
antea Apuliæ vicum, Paulo & Varrone Consulibus infelicissimè pugnatum est. Indignantibus nonnunquam Gallis, qui vastari suas regiones, & impendio penè omni suo, bellum committi querebantur: nec longè à
A. V. C. DXXXIV.
seditione in Hannibalem tumultus fuit: sed callidus imperator mutato identidem vestium cultu, ne internosceretur, Gallorum impetum ingenti solertiâ euasit.

CAPVT DVODECIMVM.

Romani à Gallis cæsi.

QVo ferè tempore, in Gallia Cisalpina Romanus exercitus L. Posthumio

Albino Cos. designato cæso, à Gallis planè deletus est, cæsis hominum xxv. mill. quæ clades non tam virtute quàm arte Gallorum illata est: proruentibus in Romanos passim arboribus, quas Galli, quà hostibus iter per ingentem & opacam syluam præaltis densisque arboribus vmbrosam, Litanam vocant, erat, cautè ad radices ita succiderant, vt impulsi primi arborum ordines, cæteros facilè prouoluerent; hisque ita impediti partim obtriti Romani ad internecionem occisi sunt. Posthumij caput præcisum Boij ouantes, templo quòd sanctissimum est apud eos, intulere: quod inde purgatum cælatâ auro caluâ, vt mos est genti, poculum quo solennibus libarent sacrũ, templi antistitibus fuit: præda quoque haud minor Gallis, quam victoria fuit: ea clades Romæ nunciata Cannensis cladis recenti adhuc memoriâ cõsternatos animos ita obtriuit, vt rerum omnium desperationem penè inueheret: sed Ti. Sempronij cõsilio recreata respublica est, Romani tot aduersis rebus minimè frangi didicerunt.

Liu. 23. *Oros. l. 4. c. 10.* *Zon. to. 2.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Hannibal Italia eiectus.

INterim Asdrubali Hannibalis fratri per Gallias in Italiam festinanti, ingentes se Aruernorum aliorumque Gallorum co-

piæ adiungűt: quippe Romanorum vltima calamitas vulgabatur; Actum mehercule de Romanis erat, si vir ille cum tanto sociorum exercitu se cum fratre iam victore iunxisset. Sed hunc castra metantem, audaci quidem, sed tali rerum statu necessario facinore, Claudius Nero, cum Liuio Salinatore Collega, aggressus; coniunctis incredibili celeritate legionibus, relicto in castris T. Tatio debellauit, quo in prælio concisis Hispanorum & Ligurum agminibus, soli Galli, quos potissimum Romani formidabant, aciem diu sustentauere: pari tamen cum cæteris fortunâ affecti sunt. Itaque his tanquam Pœnorum neruis refectis, repente totum exercitus corpus ad terram collapsum est. Recisum à ceruicibus Asdrubalis caput, & in fratris castra per lithobolon proiectum, cladis acceptæ nuncium dedit: Tùm ille quasi eo casu redeuntem ad Romanos Fortunam, quæ vultum aliquandiu in se aduerterat, conspexisset; agnoscere se Carthaginis infelicitatem, professus palam, de belli exitu dubitare dux bello maximus incœpit. Tum enim repente fluere, & retro sublapsa referri in Italia res Carthaginiensium; adeò *nunquam diu eodem vestigio stat fortuna: quantamcumque felicitatem habeas, inuidiam & cladem senties maiorem.*

A. V. C. DXLIII. *Liu.* 27. 28. 29.

Nec felicior fuit Magonis Hannibalis tertij fratris exitus, nam ab Quint. Varo Prætore, & M. Cornelio Proconsul. apud Insubres cum Gallis fœderatis fusus ac profli-

A. V. C. DXLVI.

gatus, ex vulnere obiit. Tum Hannibal à peregrinis externisque bellis ad opem patriæ ferendam, quippe Africam Scipio ingressus, Carthaginiensium fines armis deuastabat, reuocatur. *Liu. c. 30.*

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Bellum Romanum nonum.

REuocato in Africam cum exercitu Hannibale, vt sua tueretur, qui aliena bello inuaserat, grauissimis bellis cum Romanis Gallos, veteres inimicitiæ commisere. Romani tanto hoste liberati, in Gallos ob societatem secundo bello Punico cum Carthaginiensibus initã, quam primùm mouent. Illi se strenue armis tueri, tantâ audacia fiduciaque suæ virtutis, quam Romanorum tot clades acuerant, vt hostem alacres occuparent. Primi omnium sub signis, qui maiore in Romanos odio semper flagrauerant Boij: hi tanta felicitate hostes aggrediuntur, vt P. Ælium Pœtum Consulem acie vincerent, cæso C. Appio sociorum Duce cum vij. armatorum millibus: quo ferè anno, vt in diuersis locis diuersam fuisse armorum fortunam intelligas, ab Scipione Hannibal in Africa debellatus Carthaginiensium potentiam toto nuper orbe formidabilem pessumdedit. Cessit in victoriæ præmium Africa post *A. V. C. DXL-IX.*

ſeptennium; hinc Duci quo tantæ res geſtæ ſunt, ab gentis excidio Africano cognomen inditum eſt. Sic domi foriſque bella grauiſſima Romanis incumbebant; Amilcaris inſtinctu Galli omnes Ciſalpini cum immanibus copiis in Romanorum fines irruerant: quo ſcilicet bello Scipionem Africæ inhærentem extorqueret à patriæ ſinu: ferro ignique deleta Placentia, quippe in oppidum victor miles poſt quaſſata machinis mœnia irruperat. Inde Cremonam bellum tranſlatum eſt: ea vrbs vehementiſſimè oppugnata, omnem hoſtium molem fortiter ſuſtinuit: iamque continuis oppugnationibus feſſa ciuitas propè erat, vt caperetur, vltróque in poteſtatem Gallorum conceſſiſſet; ni opportuno Lucij Fuluij aduentu recreata, vt *unius ſæpe virtute clades proximæ auertuntur*, ſpem concepiſſet meliorem. Huic obuiam Galli eductis copiis progrediuntur. Furius compoſito agmine incedens, magnis ſuccinctus legionibus, in Gallos toto impetu effunditur. Pugnatum eſt vtrinque magno armorum animorumque ardore: ac naturâ parte cedente, ingens ſtrages edita eſt. Tandem penes Romanos ſtetit victoria: cæſo in acie belli authore ac fomite Amilcare, exercitus in fugam auerſus eſt.

A. V. C. DL.

Cladem reparant Galli in agro Mediolanenſi: cæſis viciſſim Romanorum VI. millibus ſub Caio Bœbio Prætore. Reliquias victi exercitus turpi agmine Romam retrahente Lentulo Conſule. Fruſtra inde

A. V. C. DLI.

tòto biennio Gallos Romani aggressi sunt; Sexto Ælio aliisque Ducibus parum prosperè rem gerentibus. Sed breui Cænomannorum proditione Insubres, quos iterum ad arma Amilcar alter conciuerat, à Cornelio Cethego & Minutio Rufo Cons. xxxv. millium internecione penitus profligati sunt: tantâ Romanorum felicitate, vt multæ vrbes arcesque vltrò imperium acciperent. Reliquæ cum Liguribus post aliquot vltro citroque acceptas clades, à Minutio tentatæ magis quàm domitæ quieuerunt: datus tamen reluctantibus bonis Triumphi honos, quem ille propè victus, nedum victor, enixissimè ambiebat. A. V. C. DLII. A. V. C. DLIII.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Bellum Romanum decimum.

INsequente anno, ne Gallorum vires quiete datâ augerentur, quippe ex amissæ libertatis desiderio belli societas nunciabatur, Marcello Consuli demandatum in Gallorum reliquias bellum, variâ fortunâ gestum est diu; donec tandem in Romanorum iura potestatemque orbe terrarum concedente, ipsi etiam Galli post diuturnas contentiones tantæ potentiæ succumberent. Vltimi Cisalpinorum Boij imperium acceperunt. Horum iuuentus tantâ pugnauisse pertinaciâ memoratur, vt mori A. V. C. DLIV.

priùs, quam summoueri loco ac vinci, in animum induxerit. Quis non mirabitur vnicam gentem angustissimis septam terminis, toties Romanorum arma sensisse magis quam timuisse? spreuisse diu atque adeò fregisse? tot acceptis vulneribus, tot illatis cladibus, adhuc incolumes, bellum reparant identidem. *Tantus libertatis suæ & gloriæ amor, mortalium animis impressus infixusque hæret, vt quantò premitur magis, tantò altiùs assurgat; nec nisi cum vita in generosis pectoribus deleri ac extingui potest: adeò suaue est & honestum liberis hominibus cum libertate mori.* Galli verò in acie præstare interfici, quam veterem belli gloriam libertatemque, quam à maioribus acceperint, amittere putant. Nutat Posterorum fides, vt credant tenuissimam gentem tot Consulares exercitus, tot Prætorios; Valerij Flacci, Cornelij Scipionis, Sempronij Longi, Lucij Cornelij Merulæ, Scipionis Nasicæ: nec vno aut altero, sed annis pluribus, neglecta nonnunquam Romanorum Pace ac societate, aut spreuisse, aut tulisse infracta inter tot rerum suarum clades ceruice. Dixisses, quod Pyrrho etiam vsu venit, cùm videret fusis aliquot Rom. exercitibus, eorum qui superessent in reparando exercitu festinationem; Romanos Herculis sidere creatos, quibus quasi ab angue Lernæo, tot cæsa hostium capita de sanguine suo renascerentur. Sed absumptis tandem & exhaustis planè viribus prælio XXX. armatorum millia cecidissent

Cæs. 7. com.

Fl. l. 1. c. 18.

in acie, qui maximè omnium Romanorum opibus semper obstiterant, receptis à victoribus quas arma imponebant legibus, Populi Romani iugum subire coacti sunt. Nulla hominum gens, aut pro libertate diutiùs & generosiùs decertauit, aut victoris Gentium populi imperium ægrè magis accepit. Sed versa in rationem necessitate paruerunt; non illi, vt de Atheniensibus ferunt; inerti, neque incruento cecidere bello: sed præliati ad vltimum, victores etiam interdum, consumpti magis fortunæ varietate, quàm victi. *Iust. l. 4.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bella in Asia variâ fortunâ à Gallis gesta.

NOn dissimili fortuna res à Gallis in Asia gerebantur, eo ferè tempore: in disiunctissimis regionibus, *Sic res mortalium vertente ac moderante fato, vt quæ hominum gens clades maximas aliis inuexerat, ipsa suo velut orbe ac ordine, maximis cladibus pulsaretur.* Ruentis in Oriente Gallici imperij initium, ab Attalo Pergami rege; ab hoc victi acie, congesto diu auro spoliati sunt; breuissimo tempore amissis opibus, quas longa annorum serie, & regionum euastatione comparauerant. Orto mox in Achæum Syriæ Tyrannum ab *A. V. C. DLX. Polyb. l. 5. Liuius li. 38.*

eodem rege Attalo, grauissimo bello; Galli in ipsius Attali castris ingenti mercede conducti militarunt: profligato hoste
A. V. C. DLXI. Hellespontiacam oram cum liberis & vxoribus incoluere. Tum frequentibus prædis dites, finitimarum gentium inuidiam & odium ex prosperis rebus in se conciuere, ac ne diu comparatis rebus potirentur, Alexandrinorum aliorumque populorum conjuratione, sed à Prusiâ imprimis Bithyniæ Rege expulsi sunt.

Hîc rerum imperiorumque certas incertasque vices demirari licet. Ecce tibi gentem illam Asiæ olim formidabilem, dominam Orientis, & solo nominis sui terrore tributa à maximis Regibus extorquentem, Fortuna (vt ei summam in res prosperas & aduersas vim inesse intelligas) in eorum quos armis domuerat imperium arbitriumque traduxit. Sic illa genuina Gallorum
Flo. 2. c. 11. ferocitas, sic propria nominis Gallici ac virtutis militaris gloriæ laus, vt frugum semina mutato sole ac solo plerumque degenerant, Asiaticâ amœnitate paulatim emollita, luxu ac peregrinis infecta moribus, vt plus amissum inertia quàm bello aut victoriâ olim quæsitum facilè dicas; elanguit ac consenuit.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Galli à Romanis in Asia debellati.

SEd longè atrocior à Romanis clades. *Iust. li. 28.* Fuerant Galli inter Antiochi Syriæ Regis ſtipendiarios, quorum virtute victor euaſerat: ſed cum Seleucum Antiochi fratrem in prælio cecidiſſe crederent, inuadendæ Aſiæ ſpe incitati, in ipſum Antiochum verſis armis, eò redegere, vt auro ſe redimere cogeretur: nec ita multò poſt ab Eumene Rege Bithyniæ tentati ſunt, & aliquantò longiùs ab Aſiæ dominatione ſummoti. Seleuco tamen & Antiocho fratribus, Ptolemæo Ægypti, Eumene Bithyniæ Regibus Aſiæ inhiantibus, ſparſis tot viribus, quibus tuta eſſe debuerat, impunè ab Gallis diripiebatur: compreſſi tamen ab Ætolis, donec iis per Romanos victis ac libertate, quam illibatam aduerſus dominationem Athenienſium ac Spartanorum inter tot Græciæ ciuitates ſoli ſeruauerant, exutis; tota Romanorum vis in Gallos latè Aſiam occupantes incubuit. Inde belli noui principium natum conflatumque eſt: atque eò promptius animum adiecerunt Romani, quòd vindicandæ à Gallico iugo Aſiæ ſtudio flagrantiſſimè tenerentur: niſi verius immodicam in Manlio triumphanti cupiditatem bello maximo cauſam præ-

büiſſe dixerimus: ac negatus quidem victori triumphus: is adductis in belli ſocietatem aliquot vicinis gentibus, vt ſecurior ac expeditior in hoſtem inueheretur, prudentia id aſſequutus eſt, quod viribus ſe haud quaquam poſſe callidus imperator diffidebat. Namque addita virtuti fraus victoriam inſigniter promouit; vt non tam bello quàm furto, viciſſe diceretur, diſtractis etiam feciliter à mutua ſocietate Gallorum Regulis, quibus vt par erat in commune ſentientibus, haud dubiè impar longè extitiſſet. Nondum bello finis impoſitus, cum fraude Romanorum detectâ, vt virtuti ſuæ traderentur partes, redeuntibus in concordiam ac fidem Gallis, magno impetu ac toto gentis niſu certatum eſt. Galli occupatis montibus & aſcenſu arduo aſperoque prope inacceſſis locis, hoſtem fruſtra irruentem facilè expuliſſent, ſed indignati tandiu circumſideri, ac more ferarum cingi indagine, erumpunt in planum malo ſuo fato. Erat inter vtrumque exercitum medius collis, commodus ei parti qua inſideret: eo inuulant IV. Gallorum millia; occupant haud difficulter; quippe præter facilem aditum, nullus hoſtis qui arceret repertus eſt Sed ex improuiſo vndique irrumpunt Romani, exutos ſuis armis ſecuroſque (velut nihil negotij in difficili bello ſuſcepiſſent) adeò ſupina Gallorum inter hoſtes medios incuries erat, nullo negotio ſternunt cæduntque, Proſpero euentu erecti Romani in ſuperiores colles qui-

bus se Galli communierant, illico euadunt, longa & difficilis pugna; non enim cum hoste tantùm, sed etiam cum loco pugnandum Romanis fuit. Perculsi insperata hostium irruptione Galli, vt subita conterrent, deficientibus ad hæc telis, quibus irruentes exciperent sisterentque, exfactis vi montium claustris, captisque angustiis, desperato locum quem occupauerāt posse retineri, castris relictis impedimentisque omnibus, rati nimirum hostem non segniùs prædæ quàm victoriæ conficiendæ daturum operam, in latebras se coniiciunt: Sed callidus Consul omissa prædâ, Gallos tanto impetu ac celeritate est insequutus fugientes; vt palantes, passimque ab se diuulsi cæderentur, alij præcipites acti, nonnulli in fugâ deprehensi, pauci admodum euasere incolumes: nam omnis vndique ad salutem exitus claudebatur. Fuit in Romanis castris Attalus Pergami rex, is qui Pop. Romanum, regni sui ac diuitiarum hæredem mox testatus est, præclaramque Reip. operam nauauit: expleto de se Phaennis oraculo, quo Gallorum quidem exercitum ex Europa in Asiam ad vrbiū perniciem transmissurum, sed ab Attalo, quam Tauricornem appellabant, profligatum iri prædixerat: quo ferè temporum tractu Massiliani quòd contra veterem amicitiæ fidem pro Phocensibus conditoribus suis Antiochi & Aristonici Asiæ Regum bello, infesta contra Pop. Rom. arma tulerat. Senatus deleri iusserat. Sed missis Romam Legatis, veniam

obtinuere Massilienses: nec enim fas erat tot antiqua fidelissimæ ciuitatis officia, vnius erroris culpâ aboleri.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Galli Tectosages in Asia profligati.

HÆc ad Olympum montem feliciter à Romanis gesta sunt. Inde Manlius victor mouit castra, & in Tectosages anno insequente progressus est. Penè ab hostibus fraude interceptus, cùm ad colloquium cum Gallorum Regulis ineundum properaret: sed suspectâ dudum Gentis fide, monitis qui illico adessent, si quid fraudis subesset, seruatus à suis, in castra reuertitur, ira simul & dolore stimulatus: nec inulta diu Gallorum fraus: namque expugnatis eorum munimentis, eò redegit victricem nuper Asiæ ac totius prope Orientis gentem, vt omissis sponsionum fideique pignoribus, acceptâ deditione, in perpetuam pacem se Romanis tradiderit, eam demum fortunam quàm victores dedissent victi admitterent, habitura. Néque tamen hîc prætereundum est insigne Ortiagontis Gallorum Reguli vxoris factum, in viro nedum in muliere memorabile. Hæc à Centurione stuprum per vim passa, quanquam *mens impudicam facere non casus soleat*, in pœnam tamen tanti sceleris, stupratoris

Liu. 38. Flo. 2. c. 11.

caput reuulsum à ceruice, præclaro ac singulari exemplo, ad maritum detulisse fertur: laudatum ab hostibus facinus, quo insignis mulier, viri iniuriam ac suam virtute ingenui pudoris vindicauerat. *Sen. hipp.*

CAPVT DECIMVM NONVM.

Bellum Macedonicum cum Perseo.

HIs peractis, victis ac deditis agri assignati, in quibus XVII. circiter annos quieti vixere. Donec pacis gens impatiens, ingenio suo ad mouendum turbandumque prona, bellum cũ Perseo Macedonum Rege, quippe Philippus pater Gallos ingenti apparatu ad belli societatem perpulerat, redintegraret. Incitati ab eo Rege, ingentibusque promissis allecti Galli, ij potissimum qui nuper Thraciam insederant, Scordiscos appellabant, & ad Danubij Sabique confluentem consederant in Pannonia, applicuere se Macedonibus pro Perseo militantibus. Itaque in Romanos plurimi expeditique aduolant. Sed agente in transuersum Fortunâ regem, negato quod pactus fuerat auro, illusi; euastatis quâcumque iter fuit regionibus, reuersi sunt: erat tunc Gallorum in Thracia Rex Clondicus: quantùm Persei vires debilitauit Gallorum discessus, tantùm Romano- *Cæs.l.3. Iust.l. 32. Eloni-cus. Liu.44.*

A. V. C. DLXXXXI. rum auxit animos: nam breui à P. Æmilio absens victus, quippe qui gerenda ducibus bella mandauisset, Perseus: mox victori traditus, Romam insigni triumpho deductus est, redacta in prouinciæ formam Macedonia.

CAPVT VICESIMVM.

Galli Scordisci in Thracia fusi.

Cosconium. HOc fere tempore, querentibus Prouinciis se à Gallis qui Thraciam, vt dictum est, incolebant, & Scordisci vocabantur, euastari; bellum in eos susceptum est per M. Cæsonium Prætorem ac celeriter confectum compulsis in suas terras Gallis.

Sic quiescentibus ad Orientem Gallicis tumultibus, in Italiam, vnde nuper redactis in potestatem Boiis digressi fueramus, stylum referamus.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Galli à Romanis moderatè habiti.

A. V. DLXIII. M. Æmilio. PAce igitur cum Gallis Cisalpinis eo, quo diximus, modo composita, ne superbæ auaræque dominationis fastidio aut odio turbarent, victi toties ferro, humanitate & legum sanctitate vincuntur; tam

prona in Romanos voluntate, vt subesse tam iusto imperio priscæ libertati præponerent: vt *firmissimum est id imperium quo obedientes gaudent*. Sed quadriennio post, cùm vltro quiescentes M. Furius Prætor vexaret, in media pace turbas concitans, publicæ tranquillitatis, optatique tot annos otij malaciam, instar violenti turbinis excussit. *Nunquam nimirum iis destituta est Respublica, qui malos imitati medicos semper aliquid ægri esse volunt, vt sit ad cuius curationem adhibeantur, & in re turbida ditescant*, ad hæc honores quos quieta Rep. desperant, perturbata consequi se posse arbitrantur. Audiit Gallorum querelas Æmilius Cos. damnatus Prætor, restitutæ Cœnomannis, ij imprimis vexari se questi fuerant, res vi iniuriáque ablatæ, visum omnibus habitumque sanctum & augustum Romanorum imperium: quod tanta iustitia, integritasque comitabantur.

Lepido & C. Flaminio Coss. Liuius. l. 8. Liu. 39.

Liuius. Cic. 2. Catil.

Nec dissimili ratione excepti Transalpini, quanquam extructa trans suas Alpes ciuitate fixisque ibidem arcibus, Romanos in se vehementer concitassent, iterumque velut ad nouas sedes quæritandas in Italiam descendissent. Sed iussi, aut, vt veriùs dicam, à Marcello Consule persuasi, nequid temerè in Romanos vltra molirentur, vt *suasio ab eo qui iubere potest vim necessitatis adfert*, abstinere: quo factum, vt à Senatu amplissimis muneribus affecti & laudati, dimitterentur. Ita *tantæ moderationi obtemperare*

A. V. C. DLXVII.

Tac. 14. ann.

Herod. l. 1. omnes, sua quemque voluntas adigebat, quos seruire nulla vis: nulla necessitas coegisset.
Liu. l. 40. Nunquam enim imperia detrectant, qui non violenter ac contumeliose habentur. Tertio
A.V. C. DL. XXI. exinde anno interiecto cùm rursum Galli in Italiam transgressi, agrum à Senatu peterent, vt pacati sub imperio Pop. Rom. essent, excedere Italia iussi sunt.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Alpinæ Gallorum gentes subiugatæ.

Liu. l. 43. Zon. to. 2. A.V. C. DL. XXX. PEruasit Galliam vniuersam, tam singularis Romanorum humanitas, itaque perspecta ea imperij moderatione post nouennium, de C. Cassio Longino Prætore per Fratrem suum Gallorum Regulus Cincibilis conquestus est: expilatam quasi flagrante bello prouinciam, hostilem in modum habitos populares, multa superbè & insolenter commissa, nec vllum nefariæ dominationis exemplum passim in vrbibus, agris, prædiis omissum. Sed cùm negligentiùs Romani super ea re consulerent, quasi iam innatam Romanis moderationem nimiæ opes corrupissent: nec in absentem reum quicquã Senatus decerneret, ad arma velut ex nimio iam otio ventum est: quamque legibus diu frustra submiserant, exacto circiter decennio velut data ad:

recipiendum spiritum requie, ferro quæsiuere vltionem. Deo quodam assiduè incitante, ne rubiginem ac situm arma vix bene condita seruirent. Ligures inter Macrũ & Varum amnes, imis Alpium iugis adhærentes, dumis se occultabant: quò maior inuenire quàm vincere erat labor: reperti tamen cùm eorum latebras ignibus sepsisset Fuluius Consul, & partim cædendo saltum aperuisset: facilè profligati sunt: namq; venantium modo, hostium tanquam ferarum latibula scrutati Romani pleròsque confodere. Cæteri belli societate coniuncti (Salyos, Deccates, Oxybros & Euburiates vocabant) ita exarmati, vt non modo rebellandi in posterum licentia: sed vix ferrum relinqueretur, quo agros iidem subigerent: quippe. *Parum est impunè malè fecisse, nisi deinde faciendi licentia eripitur.* Nec longo annorum interuallo *Salassorum* gens ad Padi fontes posita, in Romanos ausa est insurgere. *Causa belli, eadem quæ cæterorum, libertatis amor*, cum Romanæ superbiæ & auaritiæ odio iunctus: *Omnes enim homines natura libertati student, & conditionem seruitutis oderunt*: illi prima belli impressione Appium Claudiũ Consulem cæsis decem Romanæ iuuentutis millibus vicerunt, prostraruntque. Sed cùm victoria sua in hostium contemptum elati abuterentur, vt *difficile est in maxima licentia, prosperísque rebus moderari sibi, & quasi frænos cupiditatibus imponere*: feriantibus, interque epulas passim oscitantibus superuenit impro-

A. V. DXCI.
Fl. l. 2. c. 3.
Sall. Iug.
Cæs. 3. Bell. Gall.
A. V. C. DCVII.
Herod. l. 1.

uisus ex fuga Appius, feroces compescuit animos, cæsisque hostium VI. millibus cladem superiorem restaurasse visus est. Petitus à victore ingenti ambitu triumphus (nam lege constitutum erat, vt qui tot hostes in acie peremisset, triumphandi haberet potestatem) sed cum acceptæ cladis primo prælio nondum ex hominum mentibus excidisset memoria, ab Senatu repulsam passus, ambitioso ac sordido more priuatis sumptibus, egregius imperator triũphauit.

Oros. l. 5. c. 4

Anacephalæosis.

Paterc. lib. 2.

TOt annorum spatio, tot præliorum conflictu, tot cladium impendio, populus Romanus pro Italiæ principatu cum Gallis Cisalpinis ita contendit, vt per tot sæcula diiudicari non potuerit, Gallicis Romanisne in castris plus esset roboris; & iudicatu difficile, vter aliquando populus alteri foret pariturus. Sed virtus tandem principis gentium populi cum Fortuna comite, Cisalpinas Gallorum gentes, ad eam pacem perduxit, vt quæ maximis bellis propè nunquam vacauerant: ex innatis sibi ac familiaribus vacarent incursionibus, postquam pertinacissimè Romanis pius D. annis obstitisset. Quis iam inficias eat, esse imperiorum velut orbem, & florentissimas gentes è tenui principio ortas, præfixis à fortuna temporibus vigere: *Certis enim cuncta temporibus nasci debent, crescere,*

Sen. Consl. ad hel.

extingui. Quæ vbi attigerint, excusso velut rerum suarum ac diuturnæ facilitatis flore, marcescere quasi inducta senectute. Germaniam, quà longè excurrit Danubius, occupauerat, Asiam insederat, Macedoniam domuerat, Thracia, Illyricum, Italiam penè totam & Pyrenæos vltra Celtiberiam, aliasque orbis regiones, Gallorum gens nec ita breui annorum spatio tenuerat; tot locis, tot prouinciis, tot regnis passim aut pulsa, aut deuicta iugum subiit, quod aliis imposuerat. Neque vero puduit post exactum Italia Pyrrhum profligatum Hannibalem domitam Carthaginem, subiugatam Africam, Perseum triumphatum, deletam septuagesimo anno quam condita erat Carthaginem, fortunam sequi victoris tot gentium, populorum ac Ducum populi. Hunc finem habuit Romani imperij æmula gens, cum qua ab ipso pene imperij exordio bellare Romani cœpere, tanta vtriusque populi pertinacia, vt aut bellum, aut belli præparatio, aut infida pax extiterit. *A. V. C.* DCXII.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Bellum ab Italia in Galliam translatum.

VErùm claudi Alpibus non poterat tanti imperij moles, cuius tot vltra maria propagati essent longè latéque termini,

Quippe Romani non contenti Italiæ terminis, imperium spe improbâ totius orbis amplexi, bellum cum omnibus Regibus gerebant. Exacti Italia Galli, quasi nefas esset iuxta imperij eorum terminos esse, qui non legibus parerent. Siciliæ, Sardiniæ, Hispaniæque, totius denique Africæ Aliæque imperium aliis aliisque temporibus occupauerant. Intacti hactenus qui Pyrenæo, Alpibus; vtroque Oceano, ac Rheno validissimis septi ac vallati munimentis, quorum nepotes Romanos ita bello diu exercuerant, vt prope imperio suo summisissent. Sed his tandem domitis, cupido incessit referendi in eas sedes belli, vnde olim eruperant. Facilem fore per domitas Gallias in Germanos aditum: nec nisi subiugatis hominum fortissimis dominam orbis Romam adoraturos populos, aut Tybri Oceanum decessurum, hoc nimirum erat clarissimæ ac bellicosissimæ gentis fatum, vt Romanis aliquando pareret: nec nisi post quadringentos fœdissimæ seruitutis annos pristinum splendorem cum libertate per Francos recuperaret.

Iust. l. 28.

Fl. l. 3. c. 10.

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Galli in Thracia identidem profligati.

Acne interim impunè Orientem Galli diriperent, dum in Occidente armis Roma-

Romanorum peterentur, missis cum ingentibus copiis, qui tumultuantes coërcerent. *A. V. C.*
Compressi nuper à M. Cæsonio, quiescere diu non potuere: sed cùm maiori disciplina pugnarent quàm priùs, L. siue Caium Catonem cum exercitu penitus conciso profligarunt. Hac elati victoria, in proximas prouincias torrentium instar liberiùs diffudere sese, nec à crudelitate sibi temperantes in captiuos. Litare diis suis sanguine humano, bibere in ossibus capitum, & huiusmodi ludibrio fœdare mortem tam igni quàm fumo: partus quoque grauidarum extorquere tormentis consueuerant. *D C-XXXVI. Eutrop. lib. 4. Flo. l. 3. c. 4.*
Hos igitur vagos & liberâ populatione diffusos Titus Didius intra suam repulit Thraciam. Nec diu tranquillos, sed in populi Ramani socios irrumpentes Liuius Drusus exegit: & Danubij ripam vetuit excedere, verùm *dedidicit animus serò quod didicit diu.* Itaque redeuntibus identidem ad solitas populationes Scordiscis, (nam eo nomine Galli, qui Thraciam insederant, appellabantur) occurrit cum exercitu improuisus Minutius Rufus: is victoriam, quam habere bello non poterat, furto rapuit incautis, quippe commisso prælio, collocatis in obscuro æneatoribus, vno impetu classica hinc inde strepere imperat, vt noui subsidij opinione hostes fallerentur. Tum illi rei nouitate exterriti fugere per concretum glacie Hebrum: sed rupto amne equitantiũ onere, rapidis vorticibus hausti absorptiq; sunt plurimi. Interposito *A. V. C. D.C-XXX. IIX. Sen. Traia. A. V. C. DCXL. Front. c. 4 lib. 2. Strat.*

aliquot annorum interuallo, peregrinantibus velut Romanorum armis, grauissimoque bello in Mithridatem Ponti regem, quem Gallogræci variis beneficiorum muneribus illecti iam ante sequebantur, occupatis; de recuperando Asiæ imperio meditantur: pertractisque ad belli societatē vicinis gentibus Dardanis, Dalmatis ac Mœsis, Rempub. in ancipites metus adduxere. In hos Sylla Lucius, is qui mox anno interiecto author pessimi facinoris fuit, proscriptis in Republicâ optimis quibusque, sed contrariæ factionis hominibus, mouit: ac pace cum Mithridate tertium victo & castris exuto facta, partim vicit, alios in fidem accepit, nec cessatū tamen à pristinis direptionibus; distracto enim factionibus potentiū imperio, ac triumuirali potissimum potestate afflicto, in gentes finitimas veteri gentis more irrumpunt: tantúmque adepti sunt potentiæ, vt ab Augusto imperatore (cuius amicitiam ac societátem virtute sibi comparauerant) in Pannonios ab iugo imposito resilientes euocati, sub Tiberio Legato meruerint.

Iust. l. 38.

A. V. C. DCLX.

Eutrop. li. 5.

Dio. l. 5.

Hæc strictim diuersis gesta temporibus attigimus: ne intermissis identidem grauissimis sæpe Galliarum bellis, eò reuerti, ac reflecti stylus orationis cogeretur. Cæterum, ita se rebus in Oriente habentibus, ad inuadendas Gallias maximo apparatu Romana se potentia accingebat. Dedit Fortuna ambitioni locum, vt non imperij cupiditate, sed sociorum causa, mouere in

Galles Romani viderentur. *Sic est profecto, populus Romanus sociis defendendis terrarum omnium potitus est.* Cic. 3. de rep.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Veteris Galliæ descriptio.

SEd priusquam Transalpinæ Galliæ fines Romanæ legiones ingrediantur, facturus operæ pretium videor; totam eius imaginem; situm, & populos multitudine innumerabiles, locis infinitos, in breuissima quasi tabella proponere: vt eâ velut vno intuitu perspectâ & cognitâ: quæ tandem, & vbinā gesta bella fuerint, ac quibus illata populis vltrò possint vnicuique occurrere. Nam faciliùs cuiusque rei species, si exhibeatur, quàm distincta locis & temporibus, oculis animisque hominum inhærere solet; itaque antequam ea attingamus, quæ à diuersis imperatoribus suscepta & gesta bella sunt, statui rem sæpius cogitatam animo, signare stylo: hoc est, veterem ipsius Galliæ typum imaginemque ac totam eius magnitudinem, non inutili rerū notitia in arctum contractam delineare: ac huic deinde tabellæ subiicere, qui quasque Galliæ partes populi olim incoluerint, quæ ciuitates clariores, ante Romanorum primam in Gallias impressionē floruerint: cætera ad maiorem historicę veritatis ac dignitatis nitorē haud intempestiuè subtexturi. *Faciam igitur quod solent qui terrarū situs pingunt; in breui quasi tabella totam eius magnitudinem amplectar.* Flor. in Prol.

Gallia omnis, vt patet ex tabella; & iam alibi prædiximus, initio inclusa fuit ab Ortu Rheno, Alpium parte & Varo fluuio: à meridie interno mari, Pyrenæis montibus, ab Occidentali plaga Gallico Oceano; à Septentrionibus Britannico. Sed postquam Galli ad quæritandas nouas sedes Alpium inuicta iuga transcenderunt; dimidia ferè Italiæ pars ad Rubiconem tenuissimum amnem, in Gallorum iura ac nomen concessit: omne autem hoc terrarum spatium duas in partes diuisum fuit; in Transalpinam vlteriorem, quæ Galliam propriè dictam comprehendit: & Cisalpinam, quæ Italica eademque citerior & Togata dicta fuit. Sed de illa posteriori neque huius loci est, neque præsentis instituti differere.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

De Gallia Transalpina.

Transalpina in duas itidem portiones à cultu habituque corporis, in Comatam & Braccatam, distributa à veteribus fuit. Hæc mox Narbonensis, Romanorum prouincia, & altera quasi Italia, quòd eam Romani primum occuparint, appellabitur: Mediterraneis fluctibus alluitur, Varo amne Alpibusque ab Italia discreta, Pyrenæis ab Hispania Garumna & Rhodano

Cæs. l. 1. de Bel. Gall.

flumine, ac Gebenna monte in Aruernis separatur, Comata verò quæ ad Oceanum & Germanos spectat, à tribus populis, Aquitanis, Celtis, ac Belgis, in Aquitanicam, Celticam, & Belgicam fuit diuisa.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

De Gallia Narbonensi.

IN Braccata siue Narbonensi Gallia, quæ hodie Languedokium siue Occitaniam, Sabaudiam, Delphinatum, & Prouinciam continet, præcipui fuere populi Allobroges, quorum princeps ciuitas Vienna, ad Rhodanum, *Vienne*. Centrones in Alpibus, quorum oppida Axima, *Centron* & Tarantasia, *Tarantaise*. Segalauni, horum Valentia in ripa Rhodani, *Valence*. Vocontij, quorum duæ ciuitates insignes olim Dia Vocontiorum *Die* & Vasio *Vaison*. Caturiges Alpibus maritimis, eorum oppidum Caturigomagus. *Chorges*, forsan Eberodunum *Embrun*. Cauares siue Gauares: primária ciuitas Auenio, *Auignon*, pontificiæ ditionis. Salyes siue *Salyi*, vbi Aquæ Sextiæ. *Aix*, his vicina Massilia nobilissima Phocensium Colonia, *Marseille*, & Arelate Sextanorum, *Arles*. Velauni, *Velay*, oppidum eorum, Anicia, *Le Puy*. Gabali *Giuaudan* metropolis. Mimate, *Mende*, aliis *Lodesue*, Ruteni *Rouergue*, quo- P. Mel. l. 2. c. 5.

rum vrbs Segodunum, *Rhodais*. Heluij, *Albigeois*; primaria vrbs Albia siue Albaugusta, *Alby*, sunt qui Heluios ad sinistram Rhodani ripam statuant: Vulgo *Viuareis*: caput gentis Castrum-Viuario, *Viuiers*. Volcæ in Tectosages, quorum oppidum Tholosa, *Thoulouse*: & Aremoricos, quorum princeps ciuitas *Nemausus*, *Nismes* diuiduntur: vtraque gens nunc *le Languedoc*: sunt & alij populi, vt Nitiobriges, *Agenois*: oppidum eorum Aginnum, *Agen*, quanquam non desint qui Nitiobrigas Monspelienses faciant, & Vticenses vulgo *Monpelier & Vzez*. Garoceli, Inalpini prope montem Cibennicum *Montcenis*, dictum. Veragri, quorum vrbs Octodorus *Sainct Maurice*. Accusij, Colonia Accusiorum *Grenoble*: aliique, sed non ita celebres. Cæterum ea regio omnis agrorum cultu, virorum dignitate, morum elegantia, vrbium amplitudine, claritudine opum, nulli prouinciarum postponenda; eoque olim habita in pretio à Romanis, vt & noua Italia & Prouincia Romanorum diceretur.

Pomp. Mela. l. 2. c. 5.

CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

De Gallia Aquitanica.

Cæs. l. 1. Bell. Gall.

Aquitania à Garumna flumine ad Pyrenæos montes, & partem Oceani, quæ ad Hispaniam pertinet, spectat. Inter

occasum solis & Septentriones: quæ pars, *Pomp. Mel. l. 3.*
& regionum latitudine, & multitudine hominum, ex tertia parte Galliæ est existimanda Huius regionis quæ Cæsaris primum, inde Augusti diuisionem comprehendit, insignes populi extitere olim complures: Auscorum siue Asciorum, Elusaberris, siue Augusta Asciorum *Aux, Auche*, Nouempopulaniæ caput, regio nunc. *Armagnac*: dicitur. Vasatum præcipua vrbs *Bazas*: regio *Albret* dicitur. Begerrorum siue Bigerrionum, vulgo *Bigorre*, Tarba, *Tarbe* Tarbelliorum oppidum, aquæ Tarbellicæ *d'Acqs* Precianorum, vt nonnulli putant *Bearn*, oppidum præcipuum *Po*. *A. y Eause.*
Cadurcorum vulgo, *Quercy*: oppido clarissima, Ducona siue Deuona, *Cahors*, & Vxellodunum *Cadenac*, alij *Vssoldun*, vt ab incolis appellatur Podium Vxello duni. *Le puech d'Vssoldun* Petricoriorum siue Petrogoriorum, *Perigort*, oppidum est Vesonna seu Vesuna. *Perigueux*. Aruernorum, *Auuergne*, primaria ciuitas est Gergouia, Cæsarianâ clade insignis, *Clermont*. Boiiorum, *Bourbonnois*, oppidum fuit Boia, forsan *Bourbon*, Lemouicum, *Limosin*, ciuitas princeps Ratiastum, *Limoges* Biturigum Cuborum, *Berry*, ad differentiam Visuiscorum, *Bordeaux*, clarissimum oppidum Auaricum *Bourges*; furor est aliam ab ea vrbem appellare *Viarron*. Pictonum *Poictou*, vrbs amplissima & florentissima Augustoritum siue Limonum, *Poictiers* Santonum oppidum fuit Mediolanum;

vulgo *Xaintes*, Regio *Xaintonge*. Vbi & Santonum portus Rupellam diximus, *la Rochelle*. Hi omnes populi vt terrarum amplitudine, sic rerum quondam gestarum fama præ cæteris nobiles extitere: nam & totius Galliæ principatum diu Bituriges Ardenique tenuêrunt; nec iis generosius vlli Galliarum populi, Romanorum opibus ac potentiæ pro libertate sua obstitere, vt sequenti libello apertè demonstrabimus.

CAPVT VICESIMVM NONVM.

De Gallia Celtica.

GAlliæ Celticæ, quam etiam Lugdunensem à nobilissimo oppido appellamus, populi vt olim sic & nostra celebres ætate, quanquam plurimorum vetus appellatio desierit, plurimi extitere: hi inter Matronam, Sequanam, & Ligerim amnes & Oceanum positi sunt, atque vt ab vltimo oræ Britannicæ in mare excursu incipiamus, Osismi seu rectiùs Osismij, qui & iidem Sismij ac Timij apud Strabonem dicuntur, oppidum habuere vt ferunt Vorganium vulgò *Guinguand*, alij *Landriquet*. Veneti Vindanam *Vannes*. Nannetes ad Ligerim fluuium Condiuincum *Nantes* Curiosolitæ alij Corisopites Corisopitum, *Cornuaille* seu *Quinperkorentin*. Rhedo-

Cæs. l. 1. de Bel. Gal.

Strab. l. 4. Geog.

nes Condate *Redon* rectiùs *Rennes*, Diablintes seu Diablintes, de quibus non ita inter Geographos constat, oppidum habuere vulgo, *Leondoul*, in Armorica, alij Belgas faciunt, ad Getam fluuium: nonnulli inter Cenomannos statuunt, eisque oppidum assignant Nouiodunum, vulgò *Mayne* Cenomanni Vindinum siue Vidunum primarium oppidum coluere. *Le Mans* rectiùs fortasse *Vandosme*. Vnelli ignorantur: hos enim ad oram maritimam habitasse asserunt, eisque Crociatonum oppidum vulgò *Quarentan* attribuunt: alij Perticenses esse contendunt. *Le Perche*, quorum oppidum est Nongentum *Nogent* siue Neomagus Carnutes pro vrbe primaria Autricum vulgò *Chartres* antiquissimum Galliarum oppidū est, & Druidarum sacerdotum patria, à quibus dicta est etiam vrbs quæ vulgò *Dreux*, pugna in Hæreticos nobilitata. Est etiam in Carnutum finibus Genabum ad Ligerim vulgò *Orleans*. Lexouij siue Lexobij oppidum quod vulgò *Lisieux* appellamus, quidam Nouiomagum. Eburonicus ciuitatem habent primariam Mediolanum. *Eureux*. Sesuni vel potius Sesunij Sagium, vulgò *Seez*. Ambiliates, hi oppidum habent vulgo *Aurancbes*. Bellocasses seu Verocasses oppidum habent Nouiomagum vulgò *Bayeux*. Parisij omnium iam clarissimi Lucetiam, Lutetiam siue Leucotetiam, vt à diuersis scriptoribus nominatur, incoluere; vulgò *Paris*, totius Galliæ caput. Senones antiquissimi Gallorum Agen-

dicum *Sens*. Tricallij seu Tricasses Augustobonam, *Troyes*. Ædui siue Hedui Augustodunũ, vulgo *Austun*, hi Romanorum fratres dicti. Mandubij Alexiã clarissimam olim vrbem, sed cuius hodie, vt & multarũ vix extant vestigia, vulgo *Alize* in Burgundia, Velleius Alesiam vocat. Segusiani populi, Foresianos nonnulli vocant, *Forest*: oppidum habent Forum Segusianorum, vulgò *Fours en Forest*: nec desunt, qui in Segusianis Lugdunum ponant, vulgò *Lyon*: multi etiam Segusianos seu Sebusianos esse contendunt, quos vulgò *la Bresse* appellamus: horum oppidum itidem Forum Sebusianorum, vulgò *Bourg en Bresse*.

Paterc. l. 4.

CAPVT TRIGESIMVM.

De Gallia Belgica.

SVperest ea Galliæ pars, quæ Rheno Rhodanoque amnibus, lacu Lemanno, vulgò *Lac de Geneue*, Matronâ & Sequanâ itidem fluuiis, & Oceano clauditur Britannico. Huius populi præ cæteris bello semper excelluere, ob continentes cum finitimis Germanis, à quibus se ortos prædicant, pugnas, hinc fortissimi Gallorum habiti Belgæ: eamque veteris famæ ac virtutis laudem hodiernis temporibus constantissimè retinent. Horum præcipui sunt Taxandri, quos inter Mosam & inferiorem Brabantiæ, vt vocant, partem ad

Am. Mar. l. 15.

Schaldim & Oceanum constituunt, Grudiis, id est, Brugensibus & Amabiuaritis Antuerpiensibus finitimos, vulgo Zelandios appellamus, alij forsan rectius eam regionem incoluisse putant, quæ nunc *Kempen.* Vbi & Taxandrum oppidum, vulgò *Tessenderloo*, hos ad oram maritimam insequuntur Menapij, vulgò *Gueldres*: eorumque oppidum Castellum Meniapiorum *Kessel* appellatur. Inde Morini notissimi, quos extremos hominum fuisse veteres putauere oppidum habuerunt Taroanam, vulgò *Terouanne*, siue illud quod Monstrolium dicimus. *Monstruel*: his in finibus fuit Iccius portus Morinorum naualis: sed dubium est inter scriptores, quod oppidum & cuius nominis olim fuerit: nam alij Caletum fuisse putant, hodie *Calais*, vnde breuissimus est in Britanniam traiectus: multi Bononiam vulgo *Boulongne*: nec desunt qui Fanum Audomari esse cõtendant, vulgò *Sainct Omer*, persuasi nimirũ partim loci situ, vbi sinum maris olim capacissimum fuisse indicant, partim vetusto vrbis nomine, quo *Sithieu*, quasi dicas sinus Ithij, vocitabatur. Sed non nostrum est inter eos tantas componere lites; primis tamen vltro assentior: nec minori opinionum diuersitate Gesloriacus portus inter Geographos distrahitur: non tamen probatur mihi eorum sententia; qui eundem cum Ictio faciunt: eò inclinat animus, vt putem Bononiam fuisse. Morinos excipiunt Ambiani, quorum oppidum erat Samonabriga siue Sama-

Cæs. l. 1. & 2. de Bell. Gall.

robrina vulgo *Amiens.* Bellouaci horum primaria vrbs, Cæsaromagus à Cæsare dicta, vulgò *Beaunais*, Calctes, siue Calici hodie *le pays de Caux*, ad Sequanæ ostia pertingunt, horum caput Iuliobona nunc *Dieppe*, aliis *Honfleur*, portu nobilis. Aulerci quos & Vellocassios putant, præcipuam habent ciuitatem Rothomagum, vulgò *Roüen*, nobilissimum Gallorũ emporium. Plinius Rothomagum Vlcynetium vocat. Atrebabates *Artois*, oppidum eorum Regiacum vulgò *Arras*. Neruij oppida habuere duo, Tornacum *Tournay*, & Cameracum *Cambray* olim, vt volunt nonnulli, Samarobrinam. His finitimi Essui fuere, hodie vt putant aliqui *Retelois*. Eburones quibus Condrusi, Segni, Cæresij & Pœmani annectuntur, & inter Germanos olim censebantur, oppidum habuere præcipuum Leodium siue Leodicum nunc *Liege*: his Veromandui *Vermandois* pro vrbe primaria habent Augustam Veromanduorum, hodie Fanum D. Quintini, vulgò *Sainct Quentin.* Suessiones quorum itidem oppidum. Suessionum Augusta, *Soissons.* Remorum vrbs præcipua Durocotorum vulgò *Rheims.* Treuerorum pari ratione Augusta, nunc *Treues* siue *Trier* Mediomatricum princeps ciuitas Diuiodurum fuit, hodie *Metz*, aliis *Thionville* Leuci, Tullum & Virodunum, siue Vertodunum, vulò *Toul & Verdun*, qui & Tulingi dicti, nunc *Lorainois* ditionis Francicæ per Henricum II. Regem: nec desunt qui Leucos Luceburgenses esse pu-

tent. Lingones Audomatum seu Audomatunum habuere, nunc *Langres.* Meldæ Iatinum, vulgò *Meaux*. Rauracorum Augusta, modò *Basle*. Heluetij inter veteres Galliæ populos annumerantur: horum pagi quatuor Cantones illi vocant. Tigurinus *Zurich.* Tugenus *Zug*. Ambro. *Emme* & Vrbigenus vulgò *Orbe*. Nunc Heluetia omnis præter fœderatos populos, in tredecim partes, Cantones dicimus, illi patria lingua *Ort*, Latini Pagos, distribuitur: qui fœdere perpetuo ad communis libertatis defensionem cæso Leopoldo Duce in prælio, anno Christi circiter MCCCC. coiere: cuiusmodi sunt Tigurum *Zurich* Berna *Berne*, Lucerna *Lucerne*, Vria *Vri*, Suitia *Scuis*, à qua ciuitate genti vniuersæ nomen inditum est. Vnderualdia. *Vnderua'd.* Tugium *Zug*. Glarona *Glaris*. Basilea *Basle*. Friburgum, *Fribourg*. Salodorum, *Soleurre*. Scaphusium *Scafouze*, & Abbatiscella, *Apentzel*. His vicini sunt Seduni Alpibus finitimi: horum caput Sedunum, *Syon*. & Nantuates, siue Vantuates, vulgò *pays de Vaud*; quorum Auenticum, vulgò *Auenche* præcipuum oppidum: hi secundùm Lemanni ripam prope Veragros finitimi etiam sunt Heluetiis Latobrigi: horum oppidum *Lozanne* ad lacum. Trebocci ad Rhenum, vrbem habent primariam Argentoractum, vulgò *Strasbourg*. Nemetes quorum oppidum est Nouiomagus, nunc *Spire*, forsan Nemetocerna, nisi melius *Namur*. Vangiones Moguntiacum habuere,

Simlerus lib. 1. de 2. Hel.

vulgo *Mentz. Mayence*, nec desunt tamen qui Vangiones Spirenses esse existimant; vt & Nemetes. VVormatienses. Tum sequuntur secundo flumine Vbij, quorum oppidum Colonia Agrippina, fuit vulgo *Cologne*. Bataui denique ad Rheni ostia insulasque positi sunt, vulgus Hollandos vocat, militari disciplina, vt olim, sic & nostrâ, vt prædiximus, ætate insignes, his ad fines ij qui Caninefates, vulgò *le pays de Gords*: ibi Traiectum, nunc *Vtrecht* & Lugdunum Batauorum, *Leyden*. præcipua hodie gentis ciuitas Amsterodamum *Amsterdam* appellatur. Cæterùm omnium clarissimi Gallorum fuere Belgæ, namque iis etiam Heluetij bellicosissimis continentur.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

De statu siue Politia veteris Galliæ.


IN ipsa Gallia sic à nobis accuratè per suos distincta populos, vixit vniuersa gens, quot nominibus, tot ciuitatibus, imperiis ac magistratibus discreta: eo scilicet rerum statu, vt neque vniuersa vnius imperio regeretur: neque singulæ ciuitates, vel in populi, vel in Optimatum potestate essent, sed ita diuisa in LXIV. ciuitates Gallia fuit, vt pleræque optimatum consilio regerentur, quæ liberæ dicebantur. Cæteræ Reges haberent: omnes porrò hoc tenue-

Tac. l. 3.

re institutum, vt certo anni tempore publicum gentis concilium agerent: quo, quæ ad reipublicæ summam pertinere videbantur, constituerent, tamdiu autem inuicti Galli, donec mutuis inter se dissidiis lacerati ac proscissi, exteros in sui perniciem exitiumque euocarent. Tum Romani veluti è specula quadam libertati omnium insidiati, Gallorum ciuitates quæ dominandi libidine, singulæ imperare cogitauerant, omnes in suam aliis aliisque temporibus potestatem redegere, quæ *dominationis cupiditas omnibus populis regnisque certum semper exitium intulit.* Nam & Græciæ quondam ciuitates, dum imperare singulæ cupiunt, imperium omnes perdidere; quippe in mutuum exitium sine modo ruentes, omnibus perire quod singulæ amitterent, non nisi oppressæ senserunt. Sed de iis sequentibus libris agendum est.

Strab. l. 4. Hottom. l. 1. Gallo Fr. initio.

Finis Libri secundi.



FLORI GALLICI,

LIBER TERTIVS.

HACTENVS ea quæ ab veteribus Gallis contra exteros in disiunctissimis regionibus vario Fortunæ successu gesta sunt, duobus libellis complexi sumus. Duobus itidem sequentibus enumerare conabimur, quâ ratione è libertate pristinâ excidentes, propter insanam dominandi libidinem, vt iam præmonuimus, capitalibus inter se odiis & factionibus dissidentes, in Romanorum iura tandem concessere. Posteriori demum operis parte, exactos Galliis Romanos, excitatumque à Francis florentissimum orbis terrarum imperium demonstrabimus.

CAPVT PRIMVM.

Bellum in Salyos gestum à Romanis.

PRima igitur trans Alpes Romanorum arma sensere Salyi, cùm de incursionibus eorum, fidissima atque amicissima ciuitas Massilia quereretur: cuius ciuitatis miserias nemo erat ciuis Rom, qui à se alienas arbitraretur. In hos Fuluius Flaccus cum aliquot legionibus missus, nulla re memorabili gesta reuersus est. Creuit inde Salyorum audacia, vt liberius quam antea & latius grassarentur. Itaque biennio interiecto, Caius Sextius Exconsul cum numerosissimo exercitu eò profectus, susceptam superiori expeditione maculam rebus feliciter gestis deleuit. Nam ferocem gentem leuibus aliquot prælijs repressit, extructaque ea, quam Aquas sextias vocant, coloniâ, quasi vallo Salyorum impetus, non tam coercuit, quàm futuræ & iam ineuntis dominationis fundamenta iecisse visus est. *Sic honesto sociorum obtentu imperium taciè proferebant Romani, quorum cum nationibus, populis, Regibus cunctis, vna & vetus bellandi causa fuit: cupido imperij ac diuitiarum.*

Flor. l. 3. c. 2. A. V. C. xxv. Cic. Phil. 5. Strab. l. 4. Pater. l. 1.

Cic. 3. de Rep.

CAPVT SECVNDVM.

Bellum Allobrogum & Aruernorum.

ALlobroges deinde & Auerni, cum aduersus eosdem similes Æduorum querelæ opem & auxilium enixè ab renatu flagitarent; Romanorum ingentes copias in Galliam exciuere: nempe ita erant laxandæ fores Galliarum Romanis, quà illi irrumperent, gentem mox vniuersam armis oppressuri: nec vlla bella cupidè à Romanis suscepta vnquàm fuisse putem, quippe qui subsidij nomine, augeri vltra Alpes imperium suum læti, suis & Gallorum viribus frangi Gallos flagrantissimè optarent.

A. V. C. DC XXVII. *Fl. l.3. c.2. Eutr. l.5. Oros. l.5. c.14. Strab. l.4. Senec. Liu. l.5.*

Duplici acie vincuntur à Cn. Domitio Ænobarbo, primùm apud Vndalum vrbem, vbi Sulgas fluuius, quem etiam Vindelicum vocant, Rhodano commiscetur: cæsis Gallorum ferè xx. millibus. Inde à Q. Fabio Maximo Æmiliano profligantur ad Isaræ & Rhodani confluentem, quanquam ex ducentis sociorum millibus Aruernorũ (ij cæterorum facilè principes erant) acies constaret; Romanorum longè inferior numerus vix duo supra xxx. armatorum millia in armis; vt *non multitudine ac ferociâ, sed virtute militum ac consilio Ducum constare victoriam intelligas: non enim vires habet militum multitudo, sed pondus; & impedimentum maius quam auxilium.* Varus,

quem nuper Galliam inter & Italiam medium esse amnem diximus, & impiger fluminum Rhodanus, tantæ victoriæ testes extitere; hoc enim depressis scaphis infinita Gallorum multitudo hausta submersaque est. Centũ & quinquaginta è Gallis M. periisse, ægrè adducor vt credam: cùm Romanorum quindecim desiderati numerentur. Sed nihil æquè Gallis nocuit ea in clade, ac elephanti in id tempus Genti incogniti: horum cum magnitudine, tum deformitate, & nouo simul colore, stridore, odoreque insolito consternati equi, (nam Gallorum præcipuus erat equitatus) cùm incognitas sibi belluas, amplius quàm erãt suspicarentur, excussis sessoribus huc illuc cursitantes, fugam stragemque latè dederunt: quod ipsum Rom. contra Phyrrum olim pugnãtibus euenerat. Domitij ex Aruernis, Fabij Maximi ex Allobrogibus, quam nobilis extiterit victoria, argumento est cum triumpho celebri, victæ vtriusque gentis agnomen: vt virtute comparatum, sic sine inuidia vllius tantis concessum delatumq; imperatoribus: nam Fabio Pauli nepoti ex victoriâ cognomen Allobrigico inditũ est, Nunquam populus Romanus hostibus domitis in hunc vsque diem victoriam exprobrauerat, nec si vincerentur, minui animis, neque si vincerent, secundis rebus insolescere consueuerant. Vicit tum primum moderationem Romanorum, hostium superbia: vt qui Romanis ante aciem, ferociter illuserãt, digna post cladem maxi-

Flor. l. 1. c. 18.
Paterc. 1.
Marc. 15.
Iustin. l. 5.

mam ignominia afficerentur. Nam ſuperbiſſimi Gallorum Regis, cui Bituito Bittóve nomen, fractâ potentia, placuit victoribus, ipſis quibus acies commiſſa fuerat, locis: ſaxas turres erigere; ac deſuper exornata armis exuuiiſque hoſtibus trophæa figere: ac vt ſuus religioni honos haberetur, quaſi diis authoribus viciſſent. Marti & Herculi templa Fabius extruxit. Sed nihil tam conſpicuum Roman. in hoc triumpho fuit, quàm Rex ipſe *ſummo triſtis captiuus in arcu*, diſcoloribus in armis argenteoque eſſedo qualis pugnauerat. In tam illuſtri re mirari ſatis nemo poterit ſcriptorum varietatem. Victos ac proſtratos ingenti ſtrage Gallos, captumque in acie &, in triumpho ductum Regem conſtat: quis vicerit penè non conſtat, quàm non ſuſpecta eorum fides, qui Caio Caſſio Longino, & S. Domitio Caluino Coſſ. tanti facinoris gloriam tribuunt? atque Domitio deditionem ſui feciſſe Bituitum liquet.

Strab. lib. 4. *Iuuen. Saty. 10.* *Eutr. l. 4.* *Pater. l. 1.*

CAPVT TERTIVM.

Colonia Narbonem ducta.

Ertio deinde anno, Q. Martius Narbo Rex, in Galliâ coloniam; quæ ab eo Narbo appellata eſt, inſtituit, anno ferè vrbis conditæ DCXXXIII. M. Portio Catone, & Q. Martio Rege Coſſ. quanquam à ciuitate Romanum Ducem, non verò ſecus, appellatum fuiſſe, nonnulli aſ-

A. V. C. *Eutr. 4.*

firment. Amplissimum eius regionis emporium, supra exitum Atacis fluminis, ac Narbonensem lacum iacet. Martius domitis Stonis, siue vt quidam malunt Sarniis, (ea gens Allobrogibus finitima, ad Alpium radices sita fuit. Tricastinos suspicantur) ac ex vltima rerum desperatione interfectis coniugibus ac liberis, in subiectum rogum se præcipitantibus, vt nihil hostis victor suarum rerum, præterquam incendij spectaculo frueretur, latè terrorem circumtulit, regionemque omnem ad Pyrenæos occupauit, ea vrbe, quæ vniuersæ prouinciæ nomen dedit, tanquam arce quadam Gallorum excursiones velut fræno Romani continuere: ac liberi populi ceruicibus graues incubuere, ita sensim in Romanorum ditionem ac potestatem concedentibus Gallis, quos discordia à mutuo in publicum consensu seiungebat: iam Principis terrarum opes augebantur: & vicina quæque velut contagione correpta aliis atque aliis temporibus cæterorum fortunam sequebantur. Sed nimirum vrgebant fata, destinatumque nomini Romano orbis imperium, ex aliorum disceptationibus comparabant, nec tamen cladibus, quibus nonnunquam conflictabantur, aliud victores didicere per tot annos, quàm *Diuino nutu, non humanis viribus, imperia fundari ac stabiliri, eademque euerti: æternaque constitutione ac nexu causarum latentium & multo ante destinatarum, suum quemque ordinem immutabili lege percurrere.*

Oros. 5. c. 14.
Isid. in Etym.
Strab. l. 4.

CAPVT QVARTVM.

Bellum Cymbricum.

Flo. l. 3. c. 3. Eutrop. lib. 5. Plut. in Mario. Orof. c 15. l. 5. Paterc. l. 2.

NAmque his ferè temporibus obrui & extingui penitus potuerat Romanorum virtus, magna vndique barbarorum illuuie crescente, nec longè abfuiſſet ab ſuo interitu Roma, tunc cùm latius imperij ſui fines propagabat, niſi ea tempora in C. Marium incidiſſent. Victis iuxta flumen Rhodanum, & ingenti internecione attritis Romanis, timor Romæ tantus fuit, quantus vix Hannibalis tempore Punicis bellis, ne iterum Calli Romam properarent. Quippe Cimbri (quos aliqui Cimmerios cum faciunt, rem Cimmeriis tenebris obſcuriorem faciunt) adiunctis ſecum in belli, ſiue vt verius dicam, prædæ ſocietatem Teutonibus, ac Tigurinis, ſimilique hominum colluuie: ab extremis Galliæ partibus profugi, cum Oceani inundatione terræ eorum quibus alebantur, periiſſent; nouas ſedes toto orbe quæſiere, interiora Galliæ Italiæq; ſubituri haud dubiè, ni Syllano, Carbone, Scauro, L. Caſſio, L. Piſone, C. Publio, Q. Cæpione (is aurum Tholóſanum, vt prædiximus, malo ſuo fato extraxit è lacu) M. Manilio Atilio, aliiſque Ducibus viris conſularibus victis partim, partim cæſis ac ſingulari ignominiâ à victoribus affectis, C. ille Ma-

A. V. C. CD-XLIV.

tius qui omnia fortunæ suæ virtuti incrementa debet, vir alioqui nobilitatis nouæ, sed vel ob id perennis, torrenti omnia disiicienti ac transcendenti obicem posuisset in anceps præruptumque periculū adductus populus Romanus, consilioque dudum incerto fluctuans, non alium repellendis tantis hostibus idoneum magis imperatorem arbitratus, in eum belli grauissimi molem transmisit, cuius singulari virtute acceptæ clades resarcirentur. In hunc finem multiplicatis Consularibus rerum summæ imperioque admouetur. Iamque præsens imminebat Romanorum prouinciæ periculum, cum quantum creatus Consul transportato vltra Alpes exercitu, circa Aquas Sextias cum Barbaris eo in loco qui nunc campus Martij, siuè C. Marij ager, ab incolis *la Cam argue*, vbi nimirum castrametatus fuerat, nō longe ab Arelato, conflixit: amplius c l. hostium millibus priore ac posterio die trucidatis, vt gens Teutonum Cimbrorumque penitus deleretur. Quintò citra Alpes, quo alia Barbarorum colluuies incubuerat, cum Q. Catulo, cuius à parte felicius primum dimicatum ferunt, in patentissimo, quem Claudium vocant campo: cæsa ab eo aut capta in acie centum hominum millia. Theutobocchi eorum Regis captiuitate Cimbricus triumphus illustratus est. Memorabile apud posteros tanti imperatoris factum celebratur, quippe eo bello primùm victus, somno admonetur se victorem fore, si filiam Calpur-

A. V. C. DCXLVI. *Eutrop. l. 5.*

A. V. C. DCXLIX.

niam immolaret; ille ciuium saluti naturæ vinculum postponens, priuatæ cladis immemor, si publicam repararet, aræ illico admouit immolauitque. Hoc facto visus est Marius id assequutus, ne eius nati Rempublicam pœniteret, ac bonis mala compensasse: qui Iugurtham nuper victum captumque Romam abduxerat, hunc labantem & prope cadentem Rempublicam fulciuerat, hærentemque tenuissimo discrimine patriam sustentarat nec per homines, sed ipsos (si fas est credere) Deos tam lætum tamque felicem libertatis Italiæ assertique imperij nuncium accepisse Pop. Rom. ferunt. Nam quo die res gesta est feliciter: rumor Cimbricæ victoriæ Romam peruasit: vt vno eodemque momento cum in acie hostes occumberent, populus in vrbe plaudens caneret epinicium. Hoc bello, Cimbrorum & sociorum CCCL. periere millia, capta LX extincta penitus gente, ac liberatâ tanto metu Româ, Allobrogum gentem cuius Vienna tunc erat metropolis, cum Salyorum tractu ad Massiliensium terras, reliquisque vltra Rhodanum agris ad Pyrenæos per oram Gallicam in prouinciæ formam, Senatus redegit: quod antea Fabius Maximus, victis, vt dictum est, Allobrogibus meditatus fuerat. Sed Cimbricæ procellæ tempestatisque fama, res magis dilata quam perfecta.

Plut. Paral.

CAPVT

CAPVT QVINTVM.

Galliæ seruitus primùm imposita.

SIc imposita seruitus iis gentibus, quibus libertate nihil antiquius ac pretiosius vnquam visum fuerat: tum initæ cum finitimis societates, quibus suo tempore ac loco, ad aliorum exitium, callidè Romani vterentur. Massilienses veteri consuetudine amicos, fide mehercule meliores quam consilio. Heduos fratres; Remos fœderatos ac socios, aliisque nominibus, quo facilius incautos deciperent, & iacto securius imperij superbissimi fundamento, gentem vniuersam furtim inuaderent, vocitabant. Galli interim oscitantes, & velut animi stupore languidi, quibus scilicet nondum innotuisset insana Romanorum dominandi cupiditas, sublatam nuper finitimis imo ciuibus suis libertatem, extructas arces, deductas Colonias, aliaque id genus in totius gentis ac nominis Gallici imperium parari, aut non aduertebant, aut si viderent, ignaui ac molles patiebantur. Hærebant velut in speculis Romanæ legiones, quæ non tam prædonum latrocinia, & barbarorum impetus sisterent, quàm temporibus insidiarentur, & si ex vsu reipublicæ videretur, in eorum quos fratres amicosque appellabant, perniciem nihil nō auderent, tanto plerumque fastu, vt grassa-

Strab. l. 4.

A. V. C. DCLII. toribus aliquot deletis, quasi reportatâ de totâ gente victoria, aut sublato Viriathō, L. Crassus Galliæ Prætor, triumphum ambiret enixissimè.

A. V. C. DC. LVI. Salyi primi omnium Romanorum arma senserant, primi rebellionem incœptantes, intempestiuæ seditionis pœnas dedere, extinctaque in ipso sui ortu belli fama est, per C. Cæcilium, aut Cælium, qui veritus ne cæteræ Gallorum gentes ad partes contagione accederent, incredibili celeritate tumultum compescuit, vt *magna plerumque incendia ex tenui fauilla si neglexeris oriuntur: sic ipso initio ignem facile impedias, quem deinde, si vires ceperit, extinguere non possis.* *Curt. l.6.*

CAPVT SEXTVM.

Bellum Sertorianum.

HIs temporibus Syllæ, Cinnæ & Carbonis aliorumque funestis ac cruentis seditionibus iactata respublica est, quâ tandem ægre composita, Sertorianum inde bellum exarsit: totamque adeò Hispaniam exul & profugus feralis illius tabulæ, cæterum Romanus in Romanos armâuit. Exhausta per Syllam Dictatorem ciuitate, peregrinantibus velut in Asia Romanorum armis, fiduciam cepit, Lusitanis ac Celtiberis, præcipuis Hispaniæ populis & à Gallis oriundis, imperatoris sui causam & partes strenuè tutantibus. Petendus erat

Plut. in Sert. Eutr. l.6. A. V. C. DCL. XXII. F o 3. c. 22.

per Gallias Sertorius, hinc agrorum vastitates, vrbiumque direptiones secutæ sunt, missi illicò à Romanis qui Pyrenæorum fauces occuparent: Primus omnium C. Annies Salinatorem Sertorij Ducem qui cum validis præsidiis ea claustra insederat, deiecit, haud difficilè inde ipsos montes transmisit. Hunc Q. Cecilius Metellus ingentibus copiis succinctus, aliquantò post est insecutus, nec longâ mensium intercapedine, Domitius Prætor & Manilius in Sertorium profecti, ab Herculeio eiusdem promptissimo Duce magna occidione profligati sunt. Vno imperatore subnixa res Romana Sertorianis obsistere non poterat, ne dum officere. Additus Metello Cn. Pompeius, rerum gestarum fama gloriaque notissimus imperator: huic nouæ copiæ cum noua belli mole traditę sunt. Verum pertæsi tot clades Galli, vastatis per tot annos exercitusque agris, cum suarum rerum regionumque dispendio maximo, ab Italia Hispaniam vsque esset iter, coactis vndique copiis, Cn. Pompeio ausi sunt occurrere. Sed maior tanti viri virtus, quàm vt à militari sine Duce turba & tumultuario delecta, sisteretur: itaque Romanis legionibus per Gallorum strages in Hispaniam ferro & manu, tantus imperator, viam aperuit. Tandiu Gallia belli Sertoriani pœnas dedit, donec M. Perpenna vir prætorius gentis clarioris quàm animi, quem olim Syllana rabies proscripserat, Sertoriū inter cœnam Oscæ octauo circiter

A. V. C. DCLXXX.

A. V. C. DCXC.

Pater. l. 2.

& decimo anno, quam tumultus Sertorianus incœperat, interemisset, quo facinore Romanis certa victoria, Sertorianis exitium, Hispaniæ Galliæque summa quies enata est.

CAPVT SEPTIMVM.

Vexatæ à Prætore Galliæ.

Cic. pro Font. Flagrante adhuc eo bello, subsidiis pressa, aliisque afflicta incommodis ac damnis Gallia, de Fonteio Prætore suo apud Senatũ questa est per Legatos. Nunquam clarius innotuit, quanto sit etiam malis præsidio diserti hominis eloquentia, in ea potissimum ciuitate, in quâ pessimo cuique patronus nunquam defuit. Hunc non sua innocentia, sed Ciceronis seruauit facundia, quo circiter temporis tractu *Plut. in Lucul.* C. Cotta vir Consularis rem præclarè in Gallos gessit: nec caruisset triumpho vir egregius, nisi fato præuentus hominem exuisset.

CAPVT OCTAVVM.

Bellum seruile Grassatorum.

INterim abundabat hominum multitudine Gallia, & sublata excurrendi in finitimos libertate, feracissima gentium grassa-

toribus, vt monuimus, redundabat, præcipuus in Romanos, qui præsidiis hinc inde dispositis extructisque arcibus feroces cohibebant, furor: nec dubius erat tumultus, si qui vexillum rebellionis tolleret, adfuisset. Commodè factum, vt vix exstincto Sertoriano bello, nihilo graujus velut è superioris belli cineribus exardesceret. Spartacus enim Chryso & Oenomao, cæterisque eiusdem fortunæ hominibus LXIV. fugitiuis, è ludo Lentuli gladiatorio profugiens, confluente vndique ac crescente in dies multitudine, grauibus damnis Italiam omnem afflixit, Gratum id rebellibus: nam huic effusa Gallorum Germanorumque vis Casto, Canimoco, & Granico Ducibus prædæ magis quam pugnæ voluntate sese, adiunxit applicuitque. Sine sacramento, sine armis, (nam è viminibus pecudumque tegumentis clypeos sibi primum, recoctoque ergastulorum ferro, gladios ac tela ingeniosa in commune Reip. malum industria conflauerunt) in iusti exercitus numerum; & quod mireris amplius, formam coaluit, nihil quippe discors, nihil turbidum inter tot dissimiles moribus, lingua: sed ad vnum intenti omnes imperium, instar corporis vnius spiritu regebantur. Tam proiectæ audaciæ extiterunt, vt Romano exercitui occurrentes, Vatinium & Claudium Prætores, L. Gellium & Cn. Lentulum Consules magna clade illatâ profligarent. Quæ victoria feroces animos ad maximã spem,

Paterc. l. 2.
Flor. 3. c. 20.
Liu. l. 97. epist.
Tac. 1. ann.
Plut. in M. Craß.
App. in Ibericis.

Orof. A. V. C. DCXCIV. quia prima prouenerant, erexit, prona sibi omnia ac peruia fore stratis iam Romanis acie, dictitantes. De inuadenda ac diripienda vrbe Cassio ad Mutinam victo, deliberabant, cum ab M. Licinio Crasso (is Romanorum ditissimus habitus est, Cæsaris ac Pompeij societate insignis) interceptis Gallis, ac xxx. circiter armatorum millibus deletis, cæteri cum Spartaco Duce in Siciliam fugam parant: sed nauigiis non suppetentibus, ad vnum concisi, diu sustentato Romanorum impetu, dignam viris mortem oppetiere, & prælio animum quem supplicio debebant, reddidere.

CAPVT NONVM.

Vasconum origo.

Plut. in Sertor. Fl. l. 3. c. 22. Iuuen. Sat. 15. NEc prætereundum suo præsertim loco Vasconum, antequam ex Hispania in Galliam à Cn. Pompeio post sublatúm Sertorium summouerentur, inuictæ virtutis argumentum hi apud Caliagurrim iuxta Pyrenæos Vrbem obsessi oppressique ab eodem imperatore, humanas carnes in vltima fame esitarunt: nec quidquam aliud in hac epulatione captabant nisi tantum ne esurirent, & longæ tædio obsidionis hostes suos fatigarent. Tandem æquis conditionibus in deditionem recepti, citra Pyrenæos in Conuenarum, quasi illuc sparsi

conuenissent, regionem transportati, clarissimæ genti nomen dederunt.

CAPVT DECIMVM.

Galliarum quies ingens.

DEmandatum his ferè temporibus A. Gabinij Tribuni Pl. lege Cn. Pompei Duci maximo in piratas bellum, qui non latrociniorum, sed belli grauissimi more maria infestabant, orbemque Romanum classibus, nō furtiuis expeditionibus terrebant, quo singulari celeritate ac felicitate confecto, Mithridaticum tantò periculosius, quantò fortior qui bellum inferebat, administrauit. Nihil à Gallis memoria dignum gestum reperimus his temporibus: quippe superioribus damnis accisi penitus, præsentem rerum statum tantum non abnuissent, vt probassent maximè, si contra libidinem auaritiamque Romanorum Magistratuum valido legum auxilio subnixi forent. Nam *à natura tributum est omnibus, vt tuta & præsentia, quàm vetera & periculosa malint.* Soli Allobroges à Sergio Catilina aliisque Coniuratis ad res nouas sollicitati turbauerunt: sed oppressa Ciceronis tunc Consulis virtute, coniuratione, ab incœptis destitere; cùm Cn. Pomptinius Prætor Cotugnatum Allobrogum Ducem, qui regiones, quæ Romanæ ditionis erant, euastabat, ita profligasset, vt ei à Senatu triumphus decerneretur.

Paterc. l. 2. *Eutr. l. 6.* *Tac. I. ann.* *Dio. l. 37.*

CAPVT VNDECIMVM.

Galliarum factiones ante Cæsarem.

SEcuta deinde Cæsaris in Galliam expe-
A. V. ditio, quæ post nouennium, & conti-
C. nuas per id tempus pugnas, fortissimi ho-
DCXCV. minum Galli imperio Rom. tandem subie-
cti, nõ tam libertatem amisere suam, quàm reliquorum fortunam populorum sequuti sunt. Nec verò difficile fuit tanto potissimum imperatori, gentem illam mutuis discordiis laceratam ac proscissam, cũ aliorum partes amplecteretur, debellare, Principibus populis Heduis; Allobrogibus, & qui Galliæ Narbonensis nomine continentur, ipsisque Rhemis, pro Romanis, id est, pro suis hostibus, in populares suos depugnantibus: ad hæc Principum, & ciuitatum factionibus inquieti omni hominum æuo Galli, mobilitate & leuitate animi, nouis imperiis studentes rem Romanam cum Iulij Cæsaris potentia promouere insigniter: Nam cùm illi de Galliarum principatu
Cæs l.2. disceptarent, & armis continenter conten-
& .6. derent, eo ipso, quem anxiè ambiebant, spoliati sunt præcipua Heduorum, Sequanorum, & Aruernorũ contentio; illi Romanorum freti potentia, hi Germanorum, quos mercede conductos ad suum auxilium euocabant, viribus nitebantur: non dubia vter populus vinceret seruitute,

CAPVT. DVODECIMVM.

Galli Cæsarem ad se euocant.

IAmque Sequani suis agris mulctati fuerant: Hedui bis ingenti clade prostati. oppressæ libertatis antelucana intuebantur, cùm expeditis ad Cæsarem Legatis, vt effusam Germanorum multitudinem (nam paucis iam ante annis Harudum millia xxiv. ad Sequanorum agros, occupandos exierant) & passim omnia ferro euastantem sisteret, deprecantur. Sic de regno ambigentes, ea re de qua improspere disceptabant facilè priuati, amissa libertate serò concordiam seruare edocti, Romanis tandem præualentibus, dum factionibus & studiis distrahuntur, in victoris gentium populi potestatem concesserunt. Pulsi armis Germani, siue (quod probabilius est) pretio à Romanis empti, quà Rhenus longè excurrens in Oceanum influit, consedere. Vnde Francicarũ Coloniarum semina primum exorta sunt, vt clariùs infra demonstrabimus. Hinc etiã Germaniæ inferioris nomen huic terrarum parti inditum, cuius præcipui populi Nemetes, Tribocci, Vangiones, Vbij, Condrusi, Eburones, Cæresi & Pœmani, qui vno nomine Germani à Gallis appellantur.

Cic. Ep. ad Att. 1.

Cæs. l.1.

Cæs. l.2.

Plin. l. 4. c. 16. Tac. de morib. Germ. Cæs. l.2.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Gallicum Bellum Cæsari demandatum.

Paterc. l. 2.

ATque is fere erat Galliarum status, cùm post initam inter I. Cæsarem, Cn. Pompeium & M. Crassum potentiæ societatem, quæ vrbi orbique terrarum, nec minus diuerso quoque tempore ipsis exitialis fuit; Cæsari nullam aliam ad imperium capessendum viam cogitanti, decretæ in quinquennium Galliæ: nullo repugnante, quia ingens in eum populi fauor ob immodicas largitiones, frustra Senatu ea quæ mox acciderunt, præsentiente. Sed vt *vincit plerumque pars maioris animi quàm consilij*, vicit horum prudentiam, *pronus iam & in seruitium ruens populus qui non dilectu aut sapientia ducitur, sed impetu & quadam temeritate.* Fortuna etiam ea quæ restabant in Europa, cùm Pompeij manibus Asia esset subacta, in Cæsarem transferente, cui nequid ad explendam cupiditatem (nam imperium iam animo inuaserat) deesse posset, decem expeditæ legiones cum Illyrico toto adiectæ sunt. Tanto scilicet imperatore, tôt subnixo opibus, tantis copiis succincto, prorogatoque per Cn. Pompeium & M. Crassum in alterum quinquennium imperio opus fuit, vt Gallia trans Alpes sub iugum mitteretur.

Liu. l. 7. Tac. I. ann. Cic. pro Plan.

A. V. C. DCC.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Belli Heluetij tumultus.

PRimus Galliarum motus ab Heluetiis cœpit: hi Rheno Iura monte (Sanclaudianum vocant) incolæ, lacu Lemanno, ac Rhodano augustioribus quam tanta gens caperet, terminis continentur, tanta eorum fama, ac virtus, vt reliquos Gallos ob quotidiana cum Germanis prælia, præcederent. Diuisi primum in quatuor Pagos, quemadmodum superiori libro expressimus: Tigurinum scilicet, Tugenum, Vrbigenum & Ambronicum, non sufficientibus terris, quæ gentis bello inuictæ multitudinem alerent, adducti primum authoritate Orgetorigis (is Heluetiorum longè nobilissimus ac ditissimus erat,) mox eo è viuis rapto, homines bellandi cupidi, è finibus exeunt, oppidaque omnia sua, vicos, domos incendunt, combusto, etiam si portari non poterat frumento, vt sublata reditus spe hoc velut sacramento obstricti, ad omnia pericula subeunda essent paratiores: quippe auxilio fugæ adempto, aut vincendum, aut moriendum supererat. Rauraci, Tulingi, Latobrigi, Boij aliique in rei gerendæ societatem recepti sunt. Santonum fines cum aliquot feracissimis earum partium terris petebantur. Ferunt

Cæs. l. 1. Flo. l. 3. c. 10.

Iustin. lib. 22. Strab. lib. 4.

CCCLXVIII. Heluetiorum sociorumque millia extitisse. Turbauit Galliam omnem, ipsamque Rempublicam Romanam tantæ multitudinis metus, ne prouincias ditionis suæ ceu vndarum ingens illuuies obrueret. Creuit metus diuersis sparsus rumoribus, *famaque ex longinquo aucta*: tanta Romæ trepidatio, vt ex Senatus decreto, Consules duas Gallias sortirentur, delectus haberetur, vacationes ne valerent, legati cum authoritate mitterentur, qui adirent Galliæ ciuitates, darentque operam, ne cum Heluetiis iungerentur, ac missos quidem constat Q. Metellum Creticum, & L. Flaccum, cum Lentulo Clodiæ filio. Quæ me res eò facilè impellit vt putem, bis ab Heluetiis turbatum his fere temporibus: ac primo statim compositos indignante Metello Consule, qui nondum Româ profectus, otium è Gallia nuntiari ægrè ferebat; triumphi nimirum, vt creditum est, auidus præter modum. Sed redeuntibus iterum ac longè maiori impetu ad vetus occupandæ Galliæ consilium, eo quo dictum est modo Heluetiis, belli grauissimi moles, in Cæsarem Galliarum imperatorem incubuit.

Cic. l. 1. Ep. ad Att.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Heluetij à Cæsare prostrati.

NEgato igitur per prouinciam Romanam itinere, quanquam à maleficio temperaturos pollicerentur; per Sequanos via vna relicta est quâ exirent angusta & difficilis. *Sed par est omnia quantumuis ardua experiri, qui res magnas, & magnoperè expetitas adipisci desiderant.* Tum Heduorum & Allobrogum querelis motus partim, partim precibus adductus, Cæsar, conscriptis nuper in Italia duabus legionibus, ad Ararim amnem impeditos, & nihil tale expectantes ita est adortus, vt magnam Heluetiorum partem conciderct: ac reliquos in fugam verteret. Indè reparatis animis, vt prælio vincerentur qui dolo victi fuerant, iterum diu pugnatum est acerrimo impetu: cùm antea per Diuicum (qui nuper in bello Cassiano dux Heluetiorum extiterat,) pacem & terras quas incolerent, ferociter postulassent. Fertur Cæsar, antequam manus committerentur, professus suis, non nisi victo hoste equum inscensurum: itaque pedes pugnauit: illicò Ducis exemplum cæteri sequuti sunt, quæ res maximum ad victoriam momentum fuit. Nam *facta promptius quàm dicta sequuntur milites: nec disciplinam modò: sed, exemplum*

Cic. in Orat.

Dio. l. 38
Cæs. l. 1.

Liu. l. 7.

etiam à Ducibus petunt. Tandem magnâ ſtrage profligati, cum reſciſſo Rhodani ponte fugam Cæſar abſtuliſſet, adducti etiam magna rerum inopia, deditionem faciunt, quos Cæſar, veritus ne qui trans Rhenum incolerent Germani; vacuis Heluetiorum finibus potirentur, eo vnde profecti erant, reuerti iuſſit: hacque ratione bellicoſiſſimam gentem ſic in ſuas ſedes quaſi greges in paſtorum ſtabula victor Cæſar deduxit, tanta ſui laude, ac militum commendatione, vt acceptæ nuper ab Heluetiis Tigurinis cladis ac ſingularis ignominiæ, Caſſiano exercitu ſub iugum furcis Caudinis turpius miſſo, pene non puderet amplius Romanos, *Abſtulit virtus turpitudinem, & facinus vrius, intra alterius imperatoris gloriam fuit.* Nec publicas ſolum Cæſar, ſed priuatas etiam iniurias vltus eſt. Nã eius L. Piſonis auum L. Piſonem Legatum Tigurini Heluetiorum Principes eodem prælio quo Caſſium interfecerant.

Flo. ibid.

Fl l. 1. c. 5.

Interim pulſo hoſte Cæſarem vrgebat vehementer frumenti inopia: tum queſtus de Heduis, quorum precibus adductus bellum ſuſcepiſſet, Dumnorigem magnæ apud eos authoritatis virum, equitatus, quem Romanorum ſubſidio Hedui miſerant, præfectum, cæterùm tacitè Romanis infenſum, authorem egeſtatis reſciuit, ac in eum quidem grauius animaduertiſſet Cæſar; ni Diuiatici fratris lacrymis ac precibus demiſſiſſimis victus, iram iam ſe manifeſtè prodentem continuiſſet. Dati tamen

Dumnorigi custodes, qui, nequid in posterum moliretur, præcauerent diligenter.

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Bellum Germanicum pro Gallis.

CONfecto feliciter Heluetiorum bello, Heduorum & Sequanorum enixissimis precibus, simul Romanæ prouinciæ periculo ne à Germanis Rhenum identidem traiicientibus vastaretur toties impune incitatus: in Ariouistum Gentis Regem, fama ingentis virtutis clarum copias direxit, is multorum iam bellorum ac victoriarum gloria, tantos sibi spiritus tantamque arrogantiam sumpserat, vt vno velut spiritu Romanorum vires difflatum iri à se iactitaret. Vocatus in colloquium, cum superbè Cæsarem excepisset habuissetque, eum ira accensum & indigna percitum contumelia, ad decernendum bello compulit. Romanorum militum mentes pauor ac stupor repente inuaserat, quippe lymphati (vt de Macedonibus quondam sub Alexandro M. fertur) trepidare cœperunt: omnium pectora occulto metu percurrente, nec alia causa suberat: ex Ariouisti, vt creditum est, & Germanorum in bello fama ac virtute militari suscepta animorum consternatio. Sed, vt *Ducis magnitudo vnicum est remedium deficientis exercitus*; feruida Cæsaris oratione, tanta

Curt. l. 4. c. 12.

Curt. l. 7.

belli cupiditas gerendi omnium animis iniecta est, tantum pugnandi studium exercitui derepente innatum, C. Valerij & M. Metij ignominia recenti adhuc accensum, quibus Ariouistus catenas iniecerat, vt post aliquot velitationes, toto tandem impetu reiectis telis, quæ pugnæ species atrocissima esse solet, cominus certaretur, nusquam alias pari contumacia & ratione pugnatum fuit. Scutis supra capita contextis in modum testudinis Germani tegebantur: Romani agiles in præstructam saliêre testudinem; reuulsisque velut squamarum tegumentis, facilè tum in iugulos gladiis descendentibus, fodiebant. Sic dissolutâ compage in fugam versi dissipatique, latâ internecione cæsi sunt. Victus acie Ariouistus vix Rheno nauiculâ traiecto seruatus est: reliqui Germanorum partim eo prælio, partim Vbiorum in palantes eruptione, concisi sunt. Sic confectis vna æstate duobus bellis iisque maximis, deductis in hiberna per Labienum Legatum ad Sequanos legionibus, in citeriorem Galliam Cæsar remigrauit.

Oros. l. 6. c. 7.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Bellum Belgicum Cæsarianum.

SEcunda longéque cruentior pugna Belgarum: non pro cultu regionum, sed

pro aris ac focis: ipsáque rerum omnium charissima libertate pugnantium. Hi armorum gloria tantùm non pares, vt superiores Heluetiis, ab extremis Galliarum finibus ad inferiorem Rheni partem pertinent, Neruij, Atrebates, Ambiani, Morini, Menapij, Caleti, Vellocasses, Veromandui, Catuaci; Suessiones, cum aliquot Germanorum populis ad Rhenum: sed omnium virtute ac numero hominum principes Bellouaci, datis mutuò obsidibus, vt in publicâ gentium cõiuratione accidere solet, in Cæsarem signa attollunt. Verebantur quippe nè pacata omni Gallia, eo quo cæteri iure, ab Romanis opprimerentur. Indicto pro communibus rebus consilio, *Imperaturum omnibus eligi debere ex omnibus prudenter arbitrati*, ne diuersitas imperantium tumultu cuncta turbaret, intenti vnius imperio adhærescunt. Erat his temporibus rerum fortiter gestarum fama insignis Galba, (Adram vocant nonnulli) Suessionum Regulus: Huic totius belli summa ex opinione anteactæ virtutis defertur. Fœderatorum copiæ ex CCC. circiter armatorum millibus compositæ: Cæsar VIII. circiter legionibus subnixus erat, eò celeriùs omni opinione aduolauit, receptisqué in fidem Rhemis totius belli rationem ab eis edoctus apud Axonam castra posuit: hunc amnem vadis repertis traiicere conatos prohibuit, eam equitatu circumuentos oppressit Cæsar: & in suos fines reuertentes subsecutus, tantam hostium multitudinem interfecit,

Cæs l.2.
Fl.l.3. c. 10.
Plin. Paneg.
Dio.l. 39.
Strab. l. 4.

quãtum per diei ſpatium licuit. Nec inulti cadebant Galli, quibus ſcilicet nihil aliud ſupereſſet, locorum fraude deceptis, quod hinc inde Cæſariani tranſmiſſo flumine incumberent, quam honeſtæ mortis ſolatium ex hoſtium ſuorum cæde. Nouiodunum cum duobus Galbæ liberis, & Sueſſiones in deditionem recepit; inde Bellouacos datis DC. obſidibus Ambianoſque; adductus ſcilicet Heduorum precibus: maior contra Neruios difficultas: quippe feri homines magnæque virtutis, vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium ignari, quibus languescere animos, & remitti virtutem exiſtimarent, pertinaci animo obſiſtebant, quanquam deficientibus cæteris, tam proiectæ audatiæ viſi ſunt, vt neque Legatos ad Cæſarem miſſuros, neque vllam pacis conditionem accepturos, ſed paſſuros pro libertate vltima profiterentur. Hi Romani exercitus perſpecta conſuetudine, quod inter ſingulas legiones numerus impedimentorum ingens incederet: in ſyluas abditi, ex compacto omnibus copiis in Romanos Equites prouolat improſperè, nam fractus virtute impetus, pulſi facilè ab exercitatis, Cæſare in omnia imperatoris plerumque & militis munia incumbente, magna clade: quanquam tumultuario, non ex rei militatis ordine ac diſciplina pugnaretur: quò incertior diu fortuna prælij fuit: nam quarta legio Romanorum Centuriones ſuos ſignumque amiſit; cæteri aut occiſi aut

Dio. l. 39.

vulnerati. Ac periculo vicina res erat: ni P. Sextius Baculus, quanquam acceptis toto corpore vulneribus penè confectus, arrepto scuto, Centurionibus nominatim appellatis, spem animumque militibus propè in fugam emissis attulisset: vt *sæpe vnius virtute multorum ignauia castigatur, animusque desperatione debilitatus confirmatur.* Legati insuper Cæsaris Labieni aduentu, qui qua primum pugnauerat, Galliorum castris potitus fuerat, restauratum est prælium, & ad Neruiorum vltimam internecionem productum. Ex armatorum millibus ferè LX. vix quingentos superstites deditionem fecisse accepimus. *Flor. lib. 3. c. 10.*

Idem ab Aduaticis qui in Neruiorum subsidium venerant factum, trádito insuper munitissimo oppido, quod cæteris desertis euersisque vnum commeatu vndique importato insederant. Hic vsus mansuetudine erga supplices Cæsar prope exitiali sibi ac suis: nam recepto oppido, ac iussis deinde exire militibus; quæ inire gratiam debuerat facilitas, eadem rebellionis licentiam præbuit. Ecce derepente in Cæsarianos erumpunt oppidani, adeóque pugnant acriter in extrema spe, quæ enim vltra perfidis salus relicta, ab irato potissimum victore: vt aut moriendum sibi honestè, aut vincendum generosè ea die, nihil præterea reliqui post patriæ cladem & libertatis iacturam superesse statuerent: quippe *turpissimum est, cùm possis cum summa virtute pro patria interire, malle per dedecus &*

ignauiam viuere: post diuturnum prælium in oppidum reiecti sunt, ac postridie refractis portis ab irruentibus & recenti perfidia accensis capti cæsique sunt.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Bellum Armoricum.

EOdem ferè temporis tractu, quo Belgarum populos, eo quo dictum est modo Cæsar subiugabat, per P. Crassum M. Filium Armoricæ ciuitates imperium accepere. Veneti, Vnelli, Osisini, Curiosolitæ, Sesunij, Rhedones (qui mox rebellarunt) in deditionem potestatemque Pop. Rom. redacti sunt. Tum deductis iterum in hyberna legionibus, in Italiam Illyricumque iter Cæsar instituit. Ob eas res tam feliciter gestas, supplicatio in xv. dies (quod antea nemini vnquam imperatori contigerat) decreta est: misso cum legione duodecima & expeditiori equitatus parte, in Antuates, siue Nantuates, Veragros, Sedunosque, Sergio Galbâ, Barbaros aliquot in Alpibus castra Romanorum oppugnantes, fortuna Cæsaris vbique eadem debellauit.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Armoricorum Rebellio.

AGentem in Illyrico Cæſarem repentinum in Armorica bellum maturiùs ſolito reuocauit in Gallias, ab Venetis, horum longè ampliſſima authoritas erat omnis oræ maritimæ, initium cœptum grauiſſimi tumultus: ij Silium & Velanium commeatus comparandi cauſa à P. Craſſo, qui in Andibus hyemabat miſſos, retinent: ac ſollicitatis ad recuperandam libertatem reliquis ciuitatibus, terra marique pro magnitudine periculi bellum parant, tantò maiore ſpe, quòd locorum, portuum, vadorum, inſularum etiam circumiacentium inſcitia Romanos laboraturos confiderent, ac præterea fiducia Britannorum freti, quorum promptiſſimis auxiliis iuuarentur. Cæſar veritus ne hac neglecta tot ciuitatum in Galliæ vltimo angulo ſitarum rebellione, cæteræ velut contagione correptæ, Galliam omnem ad eiuſdem coniurationis ſocietatem pertraherent; ad hæc ne ſi orientem illum ignem continuò opprimeret, ingenti ſtatim omnia, tum cum opem ferre non poſſet, incendio ardere cerneret, nam *parua ſæpe ſcintilla neglecta, magnum excitauit incendium* Gnarus inſuper longo rerum exemplorumque

Cæſ. l. 3. Dio. l. 39. Oroſ. l. 6. c. 7.

Curt. 6.

vſu, promptum eſſe Callis omnibus & mobile ad res nouas, ſed libertatis ante omnia amorem; ingenium: ne auxilia rebellibus aliunde mitterentur, Treueros, Rhemos, reliquoſque Belgas, per T. Labienum: Aquitaniam per P. Craſſum, aliaſque ciuitates ac gentes per diuerſos duces in officio continuit. Dec. Bruto claſſi præfecit: ipſe pedeſtribus copiis in Venetos celeriter contendit. Nauibus longè expeditiores erant Armorici, vſu tempeſtatum, loci natura ac peritia, cæteriſque ad maritimum prælium inſtruendum ineundumque multò tutiores. Iamque in mutuo conſpectu naues conſtiterant, hærente Bruto aliiſque Tribunis, ignaris ſcilicet quam potiſſimum pugnæ rationem inirent, nam omni genere armorum Armorici erant ornatiſſimi: vnde illis audacia, his creuit deſperatio. Suaſit pugnam non pugnæ voluntas, ſed neceſſitas, quæ in bellis maximum eſt ad res arduas incitamentum nunquam manifeſtius periculo atque negotiis compertum eſt, *ingenium in bello plurimum poſſe.* Haud dubiè enim pugnatum foret à Romanis infeliciter, niſi conſilio magis, quàm impetu nauticum prælium inſtruxiſſent, quippe præacutis falcibus, abruptis quibus antennæ illigabantur vinculis, omnis repente nauium Armoricarum vſus eripitur: ortaque ſubito (vt omnia Romanis fauere crederes) maris tranquillitate, mole ſua naues Armoricæ ſtantes quaſi fixæ & immotæ, mox quia remis flectebatur facilè

Strab. l. 4.
Sall. Catil.

Romanorum claſſis, tranſcendentibus militibus nullo negotio expugnantur: multis cæſis facta deditio eſt.

CAPVT VICESIMVM.

Galli in diuerſis regionibus à Cæſare profligati.

Quo tempore Viridouix Vnellorum Regulus, cui ſe Eburouices Lexobiique finitimi Senatu interfecto, quod pacis ſuaſor eſſet, iunxerant: temerè Romanorum caſtra aggreſſus à Titurio Sabina magna ſtrage vincitur. Nec felicior fuit in diſiunctiſſimis partibus Gallorum rebellantium fortuna: nam Sontiates, quos alij Apiates vocant, Pyrenæis finitimi iugis, dedito in Aquitania oppido, Vocates & Taruſates caſtris vi expugnatis, cæteriſque Aquitaniæ populi, poſt iteratas ſæpius clades à P. Craſſo debellantur. Horum in numero recenſentur Tarbelli, Bigerrones, Preciani, Vocates, aliique fuſis paucos ante annos Romanis feroces, interfecto L. Valerio Præconio, ac L. Manilio proconſule in fugam coniecto, quos pari clade victor afflixit. *Dio. l. 39.*

Itum inde eſt in Morinos & ad Rheni oſtia poſitos Menapios: quodque acerbiſſimum Cæſarianis fuit, non fuere qui vincerentur; quippe in ſyluas & paludes illico compulſi ſunt, vaſtatis omnibus agris *Fl. l. 3. c. 10.*

vicisque incensis (tantùm pauoris incussit subitò Romana vis) Cæsaris arma timuerunt magis quàm senserunt: tum sæuiente hyeme, quæ iis in locis acerrima est, ad hæc continuis imbribus fatigatus miles, in hybernis collocatur.

CAPVT VICESIMVM PRIMVM.

Rhenus à Cæsare primùm traiectus.

INeunte anno pulsi suis sedibus à Sueuis, ea gens longè maxima & bellicosissima est Germanorum, Vsipetes & Tenchtheri, oppressis Menapiis Rhenum traiiciunt; ibique constitere. Cæsar veritus, quod erat, Belgarum consensum, relictis ad cæteros in fide Romanorum continendos copiis, eò magnis profectus itineribus, Germanorum legatione frustra iniecta mora, dum omnis Equitatus trans Mosam omnem prædandi causa missus adesset: hostium castra aggreditur, nec difficulter capit diripitque: qui incolumes fugam capessebant, ad Mosæ & Rheni confluentem partim ferro concisi, partim acti in flumen præcipites: timore, lassitudine, vi fluminis abrepti, oppressi, haustique periere. Cæsar ratus decorum sibi ac populo Romano bellum in hostem refundere, Rhenum firmissimo ponte iunctum transgressus, tantùm incussit terroris Germanicis gentibus,

vt ferocissimi quique pacem & amicitiam per Legatos peterent: cæteri quos bello persequebatur, in syluas ac solitudines se abderent, reductis igitur in Galliam copiis pontem rescindi imperauit.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Bellum Britannicum.

INde se vltro Morini rerum gestarum fama permoti dedidere; gratum id Cæsari, nam omnibus terra marique superatis quà longè lateque Gallia porrigitur, Oceanum respiciebat, & in eo alterum velut orbem Britanniam suo & Romanorum imperio subiugandam: quippe id sibi gloriæ ducebat maximæ, dum aliũ subigeret, in alio quodammodo orbe trophæa statuere: & quæ longo interuallo natura videtur diremisse, vna victoria subito committere: quanquam Rom. primus D. Iulius cum exercitu Britanniam ingressus, videri possit ostendisse magis insulam posteris, quàm tradidisse. Ea insula omnium quas antiqui nouerint amplissima est, Albion ante ab albis ad littus petris, Græcis nominibus vocitata, inde Britanniæ nomen & alterius quasi orbis amplitudine sua, sortita est: Clara Græcis, clara Latinis monumentis, huius partem proximam occupasse Gallos documento est, cùm vetus ciuitatum,

Tac. in vit. Agric.

tum recens adhuc prouinciarum aliquot appellatio, nam & maritima pars ab iis, vel vno teste Cæsare, incolitur, qui prædæ ac belli inferendi causâ, vt libro primo docuimus satis, ex Belgis transierunt qui omnes his ferè nominibus ciuitatū appellantur, quibus orti ex ciuitatibus eo peruenerunt. Ac Iberos quidem veteres eò traiecisse, easque sedes occupasse, quibus hodiernum nomen Hiberniæ inditum est, constat; proximas vero & Gallico solo vicinas à Gallis quibus similes sunt, occupatas, liquet manifestissimè, nunc Angliæ nomen vulgò, quanquam & Britanniæ veterem etiam vocem retineat, obtinuit. Causa belli Britannici eadem quæ cæterorum, *nimiæ imperij diuitiarumque cupiditas*: Nam *fere illis maximum discrimen, penes quos aurum & opes, præcipuæ bellorum causæ.* Sed ea vulgò obtendebatur, quòd inde Armoricis tumultibus petita adductaque auxilia in Romanos forent. Neque verò temerè adeunda erant littora, Romanis antea legionibus incognita. Itaque præmittitur cum longa naui qui insulam, loca, portus, aditusque exploraret, Caius Volusenus, renunciatis quæ ille perspexerat, è Morinorum portu, vndè breuissimus in Britanniam traiectus est, nihil vltra cunctatus Cæsar soluit, ac repulsis disiectisque in ipso aditu Barbaris, qui essedis volitantes aciem Romanam terruerant, applicuit: tum facilis ex trepidis victoria fuit, dedentibus seultrò oppidanis. Sed fractis tempestate validâ

Suet. in Cæs. c. 47.
Tac. 4. hist.

nauibus, turbatio ingens Cæsaris milites, ipſumque Ducem inuaſit, ex frumenti inopia, ſi iis in locis inter barbaros eodem quidem prælio domitos quo victi ſunt, ſed qui armis non ſuis moribus contineri in fide poſſent, eſſet hyemandum, deeſſe naues quibus in continentem reportarentur, iamque proximæ Britannorum rebellionis malum rumor haud ita leuis vulgauerat. Tum illi trepidare, & plenam periculi ac laboris expeditionem damnare; incuſare etiam liberis querelis imperatoris immoderatam gloriæ cupiditatem. Augebat militum trepidationem venturi ab Gallia commeatus deſperatio? Verum, vt *eſt difficultatum omnium diligens ratio victrix*, Cæſaris prouidentiâ quam longe maximam periculi magnitudo effecit, partim reſtitutus militibus animus, partim vt erat vel minimis rebus intentus refectæ naues: & quæ erant vſui è vicina Gallia celeriter comparata ſunt. Tum commiſſo incredibili ardore à Cæſarianis prælio, partaque victoriâ, in deditionem recepta ſecundo Britannia eſt. His peractis rebus Cæſar Morinorum vindicata rebellione (cùm Oceanum prius tranſmiſiſſet) vaſtatiſque iterum per Titurium Sabinum, & L. Cottam legatos Menapiorum finibus, decretam ab Senatu XX. dierum ſupplicationem lætus accepit.

Am. Marc. l. 17.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Bellum Britannicum secundum.

Cic. 2. off. O Dulce libertatis nomen, cuius intermissæ acriores sunt morsus, quàm recentæ! Vt *enim Gentibus etiam Barbaris ingratum est qualecumque seruitutis nomen: sic pronus à natura omni hominum generi ad recuperandæ libertatis, si semel amissa sit, studium desideriumque animus*: & qui præsentes metuunt, iidem in absentia hostes erunt: cæteri quamuis ingenio sint tardiores si terga viderint, sublato metu facilè sequentur, nec vllius vnquam gentis clariori exemplo comprobatum est *ægrè subiectos esse quos viceris*. Curt. l. 6. c. 3. Deficientibus igitur à fide Britannis, de secunda in eam insulam expeditione cœpit Cæsar cogitare. Nec moratus diu comparata maiori classe, auctis copiis nouo militum supplemento, Treueris, vbi Cingentorix & Iudiciomarus fratres disceptabant, in fidem receptis, Dumnorige consilio manuque promptissimo viro interfecto, nequid in Gallia per absentiam Cæsaris eo authore turbarum oriretur: Fl. l. 3. c. 10. in eundem rursus Oceanum, eosdemque iterum Britannos nauigauit Cæsar, pari quam antea felicitate, maiori etiam præda auctus exercitus, ipso quoque Oceano tranquilliore vsus, vt qui se

tanto Duci imparem fateretur, in Galliam reuectus est.

CAPVT VICESIMVM. QVARTVM.

Gallorum in Cæsarem rebellio.

COllocato in hybernis exercitu, legiones Romanas, quod eo anno frumentum angustius ex siccitate prouenisset, latius distribuere coactus est. Tum orta repente ab Eburonibus rebellio, quasi initum esset de communi libertate recuperanda consilium, Titurium Sabinum Cottamque legatos Cæsaris turbauit, Ambiorige insuper Treuerorum longè clarissimo, quo Rom. militum animos deterreret, Germanorum aduentum nunciante. Metum augebat cæsus eodem tempore à Carnutibus Talgetius Cæsaris amicitia præcipuus. Nec minimi terroris loco fuit, Cæsaris vt solebat per id ferè temporis absentia. Legatorum etiam dissensione ac pertinacia magna clades accepta est: Sabino (is author pugnandi fuerat) Cotta contra trahendam cunctatione rem donec adesset Cæsar contendente, ab Ambiorige coniurationis authore perfidiosè interfecto, tum eodem Cotta cum fortissimè pugnaret, pariter cæso. Milites desperata salute mutuis se vulneribus quasi gladiatorio more concidebant, hoc facinore penitus Romano- *Cæs. l. 5.*

rum opes corruissent, nisi multorum furias lymphatasque mentes, paucorum moderata prudentia continuisset. Dignum immortalitate T. Pulsionis, & L. Vareni Centurionum facinus memoratu, vt rarum inter hostes, sic famâ posteritatis commendabile: cum enim ab Aduaticis Neruiisque Quinti Ciceronis, is Oratoris frater erat, castra oppugnarentur, eademque qua superiori impressione Titurium Sabinum arte Ambiorix frustra Romanos tentasset: *Qui omnibus annis de loco summis simultatibus contenderant, priuatas controuersias pro republica tunc periclitante, in hostes vertere, tanto virtutis consensu, quantum olim fuerat inter diuersos moribus & æmulatione dissidium:* Nam alter alteri ita profuit, vt ambo incolumes multis interfectis in castra reuerterentur, nec diiudicari posset vter viri virtute anteferendus videretur: adeo *præclarum est & vtile quicquid irarum in tabernaculo conceptum est, in hostium capita effundere.*

Curt. l. 7.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Galli Rebelles à Cæsare in ordinem redacti.

His nunciatis, Cæsar de suorum periculo vehementer sollicitus, quia *puncto sæpe temporis maximarum rerum momenta vertuntur*, vnum communis salutis

Liu. 3.

auxilium in celeritate situm arbitratus, magnis itineribus in Neruiorum fines accelerat. Galli dimissa obsidione in eum cum omnibus copiis iter instituunt, nec cum ferocibus congredi ausus Cæsar, haud ignarus *lentè aduersus hostem, quem tempus deteriorem in dies, & locus alienus faciant*, progrediendum, nec eum temerè aggredi Galli, is delecto castris loco consedit: illi iniquissimo loco aciem constituunt: tum factâ vndique à Cæsarianis eruptione, loci iniquitate, & sua impeditus multitudine Gallorum exercitus pene totus conciditur: Sic aperta per vastissimas cædes viâ ad obsessam legionem Cæsar peruenit, *O nulla longi temporis felicitas! ecce tibi dolor ac voluptas inuicem cedunt.* Non Gallis diutina lætitia, non Romanis longior dolor ex legatorum infelici casu relictus est. Cæsas Ciceronis, Centurionum ac militum laudatâ virtute, expiatum cruore hostium dedecus amplissimis verbis gratulatur, hac victoria haud dubiè dissolutum iri, qui ab Armoricis ciuitatibus aliisque populis nunciabantur motus.

Liu. 7.

Sen. Agam. idem. Thyest.

Nec fefellit callidum imperatorem suscepta spes, quippe sollicitati trans Rhenum à Treueris & Iudiciomaro Germani spem omnem auxilij absciderunt: nihilo tamen secius, Iudiciomarus Labieni castra expugnare statuit, sed frustrato impetu cum discederet à Romanis (quos vnum omnes peterent magnis propositis præmiis Cæsar monuerat.) comprobante hominis

consilium fortunâ interficitur: Reliqui cæso duce ab equitibus palantes conciduntur. Neque verò sine Romanorum damno maximo, & legionum internecione geri tantæ res à Cæsare poterant in iis potissimum regionibus, quæ subinde pro libertate repetenda rebellabant. Igitur auctus Cæsar tribus legionibus Cn. Pompeij opera, paratum in se Bellum à Neruiis, Aduaticis, Menapiis & aliquot cis Rhenum gentibus, in ipso belli ortu extinxit: habitoque Lutetiæ Parisiorum Concilio, Senones & Carnutes Heduis ac Rhemis deprecantibus (nam adesse conuentui abnuerant) in fidem recepit. Treueros & Menapios cum assiduo belli machinatore Ambiorige: hos per Labienum, Menapios suo ductu redegit in ordinem.

Cæs. l 3.

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Sicambri aliique populi à Cæsare compressi.

TVm secundo transmissus Rhenus, vt Sueuorum incursiones in Galliam, armis coercerentur. Sed his in suas se syluas illicò coniicientibus; ad Ambiorigem remigrauit Cæsar. Eburonum fines conuocatis ad prædam finitimis, ferro flammaque euastauit. Sicambri, qui inuitati præda, ad diripiendas miserorum fortunas, Rhenum

transierunt: accepta Cæsaris absentia, relictisque quas congesserant rebus, spe maioris fortunæ incitati. Q. Ciceronis legionem aggrediuntur, cæsisque primo impetu aliquot militibus in anceps periculum Romanos adduxerant, cùm Cæsaris aduentu desperatâ expugnatione, in suas redire sedes coacti sunt. Cæsar nihil omisit quominus vastatis agris hoste potiretur, diuiso in multas partes equitatu, inuitatis etiam magno præmio, qui interciperent; multis insuper sponte nitentibus quod magnam se à Cæsare gratiam inituros putarēt. Sed ad summam rerum felicitatem defuit. Ambiorix, qui latebris ac saltibus densis, flagrantissimè optanti est ereptus. *Nimirum felicitatem præstare sibi à seipso nemo potest: sed deesse semper aliquid hominum fortunæ volunt dij, vt sit quo se virtus exerceat, ne si vota obuenerint, modum excedentes elatique superbia, supra quàm fas est, assurgant: Nam prosperæ animos efferunt.* *Cic. pro Manil.* *Sen. Agam.*

CAPVT VICESIMVM. SEPTIMVM.

Gallorum secunda in Cæsarem Rebellio.

HOc tractu temporis consternata Clodij cæde republica, Milo, (is author cædis fuerat) frustra Ciceronis ac Catonis authoritate defensus, Massiliæ exulauit: tum in gladios & cædes itum, ciuium fu- *Cæs. l. 7. Pat. l. 2.*

rente ambitu, cuius neque finis, neque modus, reperiebatur: interempto etiam in Parthis cum parte maiore Romani exercitus Crasso, tot rerum perturbatione ac tumultu, grauiter concussus est imperij Romani status. Neque verò ignari turbarum Galli, quippe qui in omnem occasionem intenti ad spem libertatis, vbi aliqua lux affulsisset, illico accendebantur. Ea omnium maxima eademque nouissima coniuratio fuit, quæ præcipuos militari disciplina populos Carnutas, Biturigas, Sequanos, Aruernosque communi velut Gentium fœdere inuoluit. Aberat tunc suo more Cæsar, Rauennæ delectum agens, hinc facilis ac pronus populorum ad Rebellionem animus, quos alioqui in fide imperatoris authoritas continuisset, in ea re, vehementer commotus; quam potest citissimè in prouinciam remigrauit: vt Vercingentorigis (quem corpore, armis, spiritu terribilem fœderata gens bello præfecerat) consilia quamprimum opprimeret. Narbonam nutantem, cæterasque ciuitates dubias, collocatis præsidiis confirmat. Indè Aruernos, relictoque in castris Bruto, Viennam per Heduorum fines in Lingonas iter intendit volanti magis quam vadenti similis cum expedita manu, miraculo proximum fuit, interclusis montium ac niuium per id tempus tumulis, nam dira hyems sæuiebat, itineribus, Galliam penè omnem emensum esse Cæsarem, & ex distantibus hybernis, castra tam celeriter

contraxisse, nec minori celeritate Vellaunodunum in Senonibus, Genabum in Carnutibus, in Biturigibus Nouiodunum expugnauit, relictis vbicumque victoriarum monumentis. Vercingentorix quò Cæsarem pabulatione & commeatu prohiberet: neque enim acie congredi tutum erat, vrbes latè vicosque incendi iubet, sterile ac nudum solum, quod tueri non poterat, hosti relictarus & solitudinem. Rei frumentariæ difficultate affecti Romani milites: vltimam famem æquissimis animis sustentarunt: vt ne quererentur quidem, nec vox Romani nominis maiestate indigna totque victoris, audiretur in castris. Oppugnabat Cæsar Auaricum, singulari oppidanorum virtute diu defensum: sed tandem frustra in subsidium suorum aduolante Vercingentorige captum direptumque est: tam promiscua miserorum ciuium cæde, vt non ætate confectis, non mulierum ac infantulorum imbelli & inermi multitudine parceretur. *Victor feroces impetus primos habet, regi frænis nequit & ira, & ardens hostis, & Victoria empta labore, quæsita damno* Collegit sparsas miserabilis exercitus reliquias Vercingentorix, nec ipse tanto fractus incommodo desperauit: aduente insuper Teutomari Nitiobrigum Regis, magnoque Aquitanorum Equitum numero recreatus, & copiarum vndique ac virium accessione munitus, cùm Cæsarem Gergobiam properare ab exploratoribus accepisset, interruptis

Sen. Troad.

Elaueris fluminis pontibus prohibere transitu frustra conatus est: nam refecto celeriter ponte intra quintum diem, quo intenderat Cæsar copias promouit.

CAPVT VICESIMVM OCTAVVM.

Cæsaris clades circa Gergouiam.

ERat Gergouia situ munitissima vrbs, positaque in altissimo monte, aditu difficilis, nec vlla hominum vi, sed solo tempore & longo bello expugnabilis. Cæsar loci situ diligenter inspecto, re infecta ac desperata expugnatione discessisset ab oppido, nî occupatus vi collis qui vrbi imminebat, spem labantem confirmasset. Interim C. Fabio legato Castris præfecto. Heduorum, qui authore Litauico quodam Tribuno seditionem cœptauerant, consilia non oppressit ita, vt eo discedente, non renouarentur. Hi rei male ad Gergouiam gestæ rumorem leuissimum, & haud certo authore sparsum vulgatumque, pro re comperta habuerant. Itaque bona Ciuium Romanorum diripere, cædes facere, in seruitutem abstrahere occipiunt.
Tac 4. ann. Cautius opinor & opportunius si (vt *priuata odia publicis vtilitatibus remittere decet*) positis olim inimicitiis, & condonatis patriæ æmulorum suorum iniuriis, in commune Galliæ bonum consuluissent, adhuc

infirmis in Gallia Romanorum opibus: id nimirum adferebat fraternum nomen, illud erat Romanæ amicitiæ luctuosum ac funectum pignus, vt suis quasi manibus eam popularibus suis seruitutem ac iugum componerent, quo ipsi tandem fœde necterentur: admissus hostis receptusque in sinum ita fuerat, vt pelli iam non posset. Igitur vbi teneri à Cæsare suos milites intellexere Hedui, nihil publico consilio factum exclamant: puniret noxios: Dissimulauit Cæsar facinus, ne si grauius ageret ac seuerius, maiori Galliæ motu impediretur, dimissaque Gergouiæ obsidione, aliorum animos augeret. Vrget itaque oppidi oppugnationem, admotisque vineis, musculis, cæterisque id genus machinis muros contingebat: quin & occupato colle propè erat vt oppidum caperetur, cum ex altera vrbis parte Galli in Romanos repentè improuisi irrunt, eosque amissis XLVI. centurionibus ingentique militum multitudine concisa loco deiiciunt. Tum Cæsar victus ægrè quidem ab oppido discessit. Sed ne circa muros vnius vrbis hærere, tot præsertim ciuitatum defectione audita videretur, Heduis tertium iam rebellantibus, aliisque inita armorum ac fortunæ qualiscumque demum obueniret societate, in spem suæ libertatis arrectis, soluit obsidionem, & animi æger in Sequanos copias vertit.

CAPVT VICESIMVM-NONVM.

Gallorum Rebellio tertia in Cæsarem.

HOc tractu temporis incensâ Lutetiâ Parisiorum, Galli cum Cæsarianis qui sub Labieno eam partem occupabant; manus conseruerunt; sed victi, Comulogeno Duce inter cæsos reperto, antea ruentes Romanorum opes erexerunt: nec eâ tamen clade castigata cessit Gallorum coniuratio; Sed concilio totius gentis Bibracte habito; Belli imperator idem qui ab Aruernis nuper deligitur Vercingentorix. Euocatæ vndique ab sociis ciuitatibus copiæ, Galli Allobroges, quorum mentes nondum à superiori bello & immortali in Romanos odio dudum suscepto resedisse suspicabantur, sollicitati ad partes. Cæsar Germanos Equites ad se euocat, ratus omni ratione & vltimo velut impetu, publicæ Gallorum coniurationi esse occurrendum celeriter. Nam sanctissimo Sacramento confirmauerant, nulli forè, ad liberos, parentes, coniuges nisi per Romanorum strages, regressum, libertatem, si dij velint, impendio vitæ & sanguinis sui recuperaturos. Sed conceptis spiritibus fortuna defuit: collatis enim signis cæsus omnis propè Equitatûs, capti Heduorum nobilissimi, hæc expeditio de-

ficientem magna ex parte Galliam fama tam opportunæ victoriæ domuit.

CAPVT TRICESIMVM.

Gallia omnis à Cæsare domita.

Leuiora hactenus fuisse discrimina crederes, vnum certamen ex quo cætera penderent quasi intuente fortuna. Itaque apud Alexiam Mandubiorum oppidum semel ac iterum pugnatum est, vtrobique Gallorum internecione: qui omnes Rhemis, Lingonibus, Treuerisque exceptis, qua latè patet Gallia coactis Equitum VIII. Peditum circiter ccxl. millibus animo & opibus in id bellum incubuerant, nimirum ita collatis viribus vincendi erant semel, vt vinci se posse intelligerent, qui suo nuper consensui ne orbem quidem terrarum posse obsistere iactauerant. Hoc prælio confecto Galli de communi salute desperare, tot fracti malis, tot damnis accisi, incipiunt: Romani finem omnium laborum assequuti visi sunt, dedito cum Vercingentorige oppido. Hunc ferunt cùm supplex ad Cæsaris genua accidisset proiectis armis, ceu optimum belli Decus præferens occurrisset, his vsum ferè verbis: *Habes fortem: vir fortissime, vicisti: nec turpe puto quidquid miserum iubet fortuna, proderit tantò victore vinci cæpique:* Non enim turpe est ab eo vinci, quem

Alesiam Paterc. 2.

Strab. l. 4. Flo. l. 3. c. 10.

Dio. l. 40. vincere est nefas: neque ei inhonestè aliquis submittitur, quem fortuna super omnes extulit. Sic redacto in Cæsaris potestatem imperatore, bellum Gallicum finitum est. Fefellit virum sperata Cæsaris humanitas; ac clementiæ fides, deditionisque minimè coactæ periculosa libertas ingentis spiritus Ducem decepêre: namque is postea in triumphum ductus, diutino carceris squallore confectus periit, hoc vno facinore fama Cæsaris violata est: fuit enim in reliquos captiuos singularis eius humanitas: qua haud dubiè victoria tutius & securius quàm armis tota inde Gallia facile debellata est. Bituriges clementiam Cæsaris primi experti sunt, qui primi se dediderant. Carnutes in finitimas ciuitates dispersi, maior circa Bellouacos, Ambianos, Aruernos, Caletes, Vellocassios Atrebatesque contentio; Corbeo tamen authore belli & multutidinis concitatore interfecto, pari qua cæteros humanitate habuit. Tum magnus reliquorum ad Cæsarem concursus. Sic bellicosissimis gentibus deuictis, per Fabium & Caninium legatos Dumnacum Andium Ducem in extremas Galliæ plagas fugere coëgit. Carnutes Armoricasque ciuitates in ordinem redegit. Vltra fidem est, integram Cæsaris gloriam & victoriam distinuisse aliquandiu, leuissimam Grassatorum manum. Hæc Drapetis & Lucterij sequuta vexillum, Vxellodunum in Cadurcis egregiè natura munitum oppidum insederat: obsidetur, captoque

Pater. lib. 2.

Hirt. l. de Bel. Gal.

Dio. l. 40.

Oros. c. 9. l. 6.

altero multitudinis Duce, cùm frumento abundaret, intercisis aut auersis fistulis, quibus aqua suppeditabatur, siti oppidum expugnatur. Solito asperius in captiuos animaduertit Cæsar, præcisæ manus iis qui arma tulerant. Inde in Aquitaniam cùm duabus legionibus profectus, Comio Atrebatensi regulo, qui toties Cæsarem turbauerat & insequentem effugerat, M. Antonij potestati dedito, regionem omnem in fidem recipit. Tandem fessam vt prædiximus tot aduersis prœliis Galliam, & nouem annorum interuallo domitam, conditione parendi meliore tutam, præter socias ac bene meritas ciuitates, in prouinciæ formam redegit: eique in singulos annos HS. quadringenties stipendij nomine imposuit.

CAPVT TRIGESIMVM PRIMVM.

Cæsar Galliæ victor.

SVbiugata hunc in modum Gallia, collocatisque ad præsidia Regionum & continendos in fide animos legionibus, in Italiam quàm maximis itineribus profectus est: mira omnium in excipiendo tantæ gentis victore hilaritas fuit, quà iter erat, nihil ad ornatum locorum vrbiumque omittebatur, non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardauit, quominus oculos insolito spectaculo impleret, vt acclamationibus studia sua multitudo

profiteretur, omnia plausu & lætis cunctorum vocibus personabant. Tum Romam orbis Reginam, Victorem gentium populum, Augustum ac sanctum imperium appellare fas fuit. Nihil ad summam Romani nominis felicitatem relictum videbatur, sublato gentis formidolosæ ac bello diu indomitæ metu: Sed vt *summa petit liuor: tanta fortuna gentesque per omnes clara nobilitas, capax inuidiæ fuit*: Orta ex rerum gestarum magnitudine, nimiæ potentiæ, ac sinistræ cuiusdam in Rempublicam voluntatis suspicio est. Crassi apud Carras cæde, Iuliæ morte, extinctoque intra breue spatium Iulia nato, erumpente paulatim, vt inter magnos & æquales assolet æmulatione, omniaque velut fœdera inter destinatos tanto discrimini Duces Pompeium ac Cæsarem dirimente, belli ciuilis initia exarserunt. Sic *assiduum inter pares discordiæ malum*, duo clarissima reipublicæ lumina extinxit.

CAPVT TRIGESIMVM SECVNDVM.

Cæsar Gallorum opera Romanis bellum infert.

Fl. l. 4 c. 2. CÆsar vt Gallo milite Romanos subigeret, qui nuper Romano Gallos debellauerat, numerosissimo huius gentis exer- *Pat. l. 2.*
citu succinctus, eáque potissimum fretus *Cæs. l. 1.*

legione quam Alaudam à cristata casside appellabat Gallico nomine, bellum patriæ, iniuriis inimicorum concitatus, sed Marcelli Cons. imprimis grauibus conuitiis accensus intulit; statuitque præmia armorum armis defendere: relictoque in Gallis D. Bruto, Romam vacuam diffugiente cum Pompeio Senatu ingressus, primum velut imperio gradum, quo ascenderet statuit: illisque incrementis viam statuit, quâ in regnum, cuius à puero fuerat cupidissimus, assurgeret. *bel. ciuil Luc. l. 1. & 2.*

CAPVT TRICESIMVM TERTIVM.

Massilia à Cæsare obsessa captaque.

INde in Galliam ad nouos delectus agendos, quibus Afranium Petreium & Varronem Pompeij legatos Hispania excluderet remigrauit. Properanti in Hispaniam, Massilia misera ciuitas quæ dum cupit pacem belli metu, in bellum incidit, fide melior quàm consilio, ausa est portas claudere, confligere bis, terra marique sæpius erumpere: cum antea per legatos suos renunciasset Cæsari, diuisum esse duas in partes Rom. populum: nec sui iudicij ac virium esse, vtra pars iustior sit discernere: proinde si quis amici more ad se venire vellet vtrumque se, sed inermem in vrbem admissuros suam: sin bello veniant, neutrum, id cautè quidem: sed antea *Dio. l. 41.*

Massilienses adhortatus erat Pompeius, ne noua Cæsaris officia suis beneficiis anteponerent: hinc pronior in Pompeium omnium animus: tutius adhæc videbatur inde stare vnde Senatus ac tota nobilitas. Itaque terra marique pressa Massilia, ac vtrobique domita, frustra L. Domitio, cui Senatus Gallias decreuerat aduentante, Dec. Bruto maritimis, C. Trebonio terrestribus copiis præfectis deditionem fecit. Massiliensibus non pro suis in se meritis, sed pro veteri amicitia at fide conseruatis, ademit omnia victor, præter eam, quam cæteris rebus potiorem habebant, libertatem. Sed quæ ille ademerat, mox à Senatu fidelissima ciuitas recuperauit.

Cic. Phil. 8.

CAPVT TRIGESIMVM QVARTVM.

Cæsaris mors.

Dio. l. 46.

CÆsar diebus XL. Hispaniarum Victor, pulsis duobus exercitibus, totidemque superatis Ducibus, recepta Massilia, Dictator à M. Lepido Prætore dictus, frustra reluctantibus Pompeianis: Equitatu Gallico imprimis fretus, Pompeium Italia solo nominis terrore exactum, & in acie Pharsalica victum, in Ægyptum fugere compulit: quo statim à vilissimo mancipio interempto, sublato velut impe-

A. V. C. DCCV.

rij æmulo, ac potentiæ refracto obice, extinctis in eo duce genero quondam suo reipublicę partibus, priuato arbitrio omnia vnus administrauit. Verum eo in Senatu tertio ferè Dictaturæ anno tribus supra viginti vulneribus trucidato, longè maiores quam antea fuerant, turbæ exortæ remp. afflixere. A. V. C. DCCC. VIII.

CAPVT TRICESIMVM QVINTVM.

Galliarum vis ac robur.

QVo tempore M. Lepidus à Cæsare nuper Magister Equitum appellatus, quasi vicem Dictator rependeret, cum Munatio Planco (hunc Lugduni conditorem fuisse volunt) Gallias administrabat, inde ab Senatu more adhuc prisco D. Bruto designato consuli decretæ sunt. Sed intentus dominationi Antonius, veluti vnica esset via, qua in imperium assurgeret, fieretque ex Consule qualis Cæsar Dictator, præsentis adhuc fortunæ tam citò immemor, *Vt ruunt in voluntarium interitum præcipites, quos semel ambitio excæcauit.* Galliam occupare statuit spreta Macedonia, quæ ei nuper sorte obuenerat. Nec defuit Antonio populi fauor. D. Brutus apud Mutinam ab Antonio obsidetur. Sed properante in subsidium Octauio cum Coss. Hirtio & Pansa, victus An- A. V. C. DCC. X.

tonius, quanquam cæsis Consulibus, fugâ Alpes transgreditur ad M. Lepidum: ab hoc primùm repulsus, móx militum singulari affectu in castris inscio imperatore exceptus, reiecto imperij quod promptissimi quique facilè obtulissent, titulo: specie recusantis summam virium paulatim ad se traxit: ac breui Lepidus & Plancus, hic dubia fide, diu quarum esset partium secum ipse luctatus fuerat, exercitus Antonio tradidere. Brutus ita ab Collega Coss. designato desertus, insidiis etiam adpetitus, apud Sequanos ab Antonij satellitibus iugulatus est. Visum id facinus Senatui atrox & vindicandum: vt *nullum est grauius supplicium publico odio*, Antonium hostem patriæ iudicatum, (neque enim iam aut ciuis mentem gerebat, aut ciuilia moliebatur) armis persequendum esse decreuit; & qui armorum ac partium societate pares erant, pari nomine & loco habiti sunt; Lepidus vnà hostis appellatus.

Pater. l. 2. Eutr. l. 7. Sen.

CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

Res gestæ in Galliis sub triumuiratu secundo.

Sed inter Cæsarem Octauium & M. Antonium primùm commercio literarum, cùm vterque Pompeianis partibus ob Iulij cædem esset inimicus, deinde hortantibus orantibusque exercitibus, contracta adfi-

Paterc. l. 2. Suet. in Aug. Appia.

nitas, mox inita potentiæ ſocietas, Lepido *de bel.* ad partes, quaſi igne incendio accedente: *ciuil.* & ne quid ad Reip. cladem deeſſet, inſtau- *Dio. l.* ratum Syllanæ crudelitatis exemplum: 48. Proſcripto ſcilicet tot illuſtrium viro- *Dio.* rum, ſed Ciceronis imprimis qui conti- *Nic.* nuis actionibus æternas Antonij memo- *Aug.* riæ notas inuſſerat, cæde authorata: quo tempore tumultus Aquitanicus per M. Agrippam, loco ignobilem, ſed militia bonum, eſt compoſitus, vno prælio res ſtetit; victis qui turbauerant. Digna lite- *A. V.* ris tanti viri modeſtia; decretum ſibi an- *C.* nitente Cæſare à Senatu triumphum, ob DCC. amiſſam per ea tempora bello Siculo in S. XVII. Pompeium ab Auguſto claſſem, recuſauit; ne priuatæ gloriæ obiecta ſpecies, publicæ cladis & accepti vulneris memoriam, non tam obruere quàm refricare, & in communi luctu lætus videretur: quis enim non eſſe turpiſſimum exiſtimaret efferri gloria in aduerſa Principis fortuna? Sed vt *firmiſſima inter pares amicitia*, ſic diuturna imperatorum ſocietas, inter natura *Curt.* moribuſque diſſimiles eſſe non potuit. *l. 7.* *Neque enim profectò vlla vi poſſunt coire, quæ naturali diuortio diſſident: nec vlla* *Naz.* *tam fidelis eſt copula, quæ in diuerſum ten-* *Pan.* *dentia nexu ſuo teneat.* Citò Lepidi & M. *Conſt.* Antonij arma in Auguſtum ceſſere: hoc interfecto, exuto illo, ſopitus vbique armorũ furor; cum ferociſſimi per acies cecidiſſent, cuncta Diſcordiis ciuilibus feſſa nomine Principis ſub imperium accepit Auguſtus:

Tac. 1. ann. Pacatusque terrarum orbis eundem vltro imperatorem salutauit.

CAPVT TRICESIMVM SEPTIMVM.

Aliquot Gallorum Rebelliones sub Augusto.

INcumbebat tantæ molis Augusti mens, ordinandis Romæ Italiæque, ac inde Asiæ totiusque orientis rebus, circumferens lustratione prouinciarum ac ciuitatum, terrarum orbi præsentiâ suâ pacis suæ bona: cum in Gallia turbatum est. Treueri vt primi signa extulerant, sic omnium primi per Nonium Gallum in ordinem armis redacti sunt: frustra euocatis in auxilium Germanis. Sequuti Treuerorum exemplum Morini parem fortunam experti sunt. Nam eos & alios quosdam qui vna defecerant, C. Carrinas Galliæ Procoss. subegit. Tum victi nuper ab Agrippa, vt dictum est. Aquitaniæ populi, quippe qui plus cæteris Galliæ populis libertatem sibi ereptam esse indignarentur, ab M. Valerio Messala Coruino debellantur, breui iterum ab eodem Agrippa subiugandi.

A. V. C. DCC. XXVI.

Tibull. l. 1. eleg. 7.

CAPVT

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Augustus in Galliam profectus.

DVm in diuersis imperij partibus omnia gererentur, prosperrimè, belli initium fecere Sicambri, Melone, Duce Rheno vicini; accepta sub M. Lollio legato ab his, qui Rheno transmisso in prouincias Romanorum excurrebant clades, amissaque legionis quintæ Aquila, vocauit ab vrbe in Gallias Cæsarem. Quippe illi deprehensos primùm in suo territorio Romanorum quosdam in crucem egerant, deinde Rheno traiecto facta latè præda, cæso Equitatu Romanor. contra se misso, Lollium etiam Præfectum vicerunt. Sed audito Augusti aduentu in suos reuersi fines, pacem obsidibus datis accepére ab Imperatore; qui eosdem cum Vsipetis & Tencteris, armis vltra Albim fluuium summouit, ex iis ferocissimos Sueuos ac Sicambros, qui deditionem sui fecerant, traduxit in Galliam, atque in proximis Rheno agris collocauit, quod bellum auspiciis quidem Augusti gestum, cæterum Drusi priuigni sui ductu administratum fuisse facilè crediderim, atque vt mutatione terrarum quietiores agerent Germani, cccc, captiuorum millia supra Rheni ripam constituit, ita victi ac profligati eas regiones adepti sunt, quas adepta victoriâ insedissent.

Strab. l. 7.
Suet in Augu. c. 21.
Dio. l. 54
Eutr. l. 7.

CAPVT TRICESIMVM NONVM.

Alpes auspiciis Augusti domitæ.

GAlliam sic pacatam in aliquot prouincias Augustus distribuit, tributis impositis non vltra modum ciuilem: questi tamen de Licinio Galliarum quæstore; sed victa auro Cæsaris integritas supplicio hominem eripuit, tum sequutæ in Germaniæ & Galliarum finibus ab Rhœtis, Vindelicis & Salassis gentibus in Alpinis excursiones. Princeps Rebellionis Cottius Allobrogum Regulus extitit: hic perdomitis, vt dictum est, Gallis, solus in angustiis latens, vndique locorum asperitate confisus, graues Octauio iras mouerat; sed tandem victis & sub hasta venditis Salassis per Terentium Varronem Prætorem, in gratiam receptus ascitusque in societatem rei Romanæ, quietem genti præstitit, ab hoc Alpes Cottiæ dictæ sunt: quas ea parte inuias vbi Segusio est, eiusque sepulchrum mœnibus proximum, compendiarias & viatoribus opportunas, memorabili apud posteros munere reddidit. Cæteras Alpium gentes partim ipse ductu suo, partim per Drusum ac Tiberium priuignos ex Liuia Drusilla Neronis quondam vxore compescuit.

Dio. l. 54 Suet. ibid. Flo. l. 4. c. 12.

Amm. Marc. lib. 15.

Eut. l. 7.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Augusto honos habitus à Gallis.

ATque vt Germanorum incursiones velut fræno coercerentur, per Rheni, Mosæ, Albis, Visurgis, aliorumve fluminum ripam quinquaginta & amplius castella direxit, quæ præsidiis impositis firmauit. Bonnam & Gesorium pontibus iunxit. Tantus verò omnium in hunc amor, vt populi Rom. amici Reges sociæque gentes, in eius honorem conderent ciuitates, quas ab eius nomine Cæsareas appellabant. Sed præcipuus Gallorum in Augustum affectus: nam ei tanquàm Diuo aram eximiæ dignitatis, cum titulo gentium sexaginta quæ singulæ statuas ibidem singulas affixerant Lugduni erexere; qua in vrbe ad Rhodani & Araris clarissimorum amnium confluentes sitâ, cùm Galliarum motus præsens componeret, morari consueuerat, ad hanc verò Aram certamen Græcæ Latinæque Eloquentiæ institutum fuisse accepimus: quo qui vincerentur, aut præmia victoribus conferre, aut eorumdem laudes, quod summæ ignominiæ fuit, componere cogerentur: hos autem qui maximè displicuissent, scripta sua spongia linguaue delere iussos ferunt, nisi aut ferulis obiurgari aut proximo flumine mergi maluissent. Verùm ea, vt

Eutrop. l. 7. *A. V. C. DCC. XLII.* *Iuuen. Sat. I.* *Strab. l 4.* *Dio. 54.* *Bud. 4. de asse.*

Suet. in Aug. mox dicturi sumus, certaminis lex à C. Caligula lata fuit.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Galliarum Diuisio per Augustum.

Plin. l. 4. c. 17. Suet. in Iulio. CÆterùm sic redacta in Prouinciæ formam Gallia, Romanorum imperium agnouit, iure & legibus mutatis; securibus subiecta: nonnullis tamen ciuitatibus libertati suæ relictis: cuiusmodi fuere Neruij, Suessiones, Lingones, Rhemi, Hedui: quo etiam tempore in præcipuas ciuitates, &, vt vocant, capita gentium, quibus aliæ minores obnoxiæ erant, distinctam fuisse Galliam accepimus. Iulius Cæsar Galliarum victor in quatuor duntaxat partes, seu vt vocant Diœceses, Narbonenses duas Germanicam vnam, & Belgicam vnam distribuit: Augustus deinde in Lugdunensem, Belgicam, Germanicam, Viennensem, Narbonensem, Aquitanicam & Alpes: mox quia latè patebant singulæ, in singulas alias siue in secundas, tertias & aliquando plures diuisæ sunt: ac numero quidem ferè XVII. extitere: Viennensis, Narbonensis 1. Narbonensis 2. Aquitanica 1. & 2. & 3. quæ Nouempopulana etiam vocabatur. Alpes Graiæ seu Pœninæ ab Herculis in Hispaniam, & Hannibalis in Italiam expeditione, alij à sacro vertice

Isid. Scalig. in Notit. Itin. Ant. Pij Am. Mar. l. 15.

quem Penninum incolæ vocabant. Alpes Maritimæ, Belgica 1. & 2. Lugdunensis 1. 2.3 & 4. ac denique Maxima Sequanorum à Maximo Tyranno sic dicta *Liuius l. 21.*

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Galliarum ciuitates clarissimæ.

Neque alienum erit ab instituto opere, Principes ciuitates, iisque velut subiectas ex antiquâ partim, partim ex sequentiũ temporum diuisione hic attexere.

SVB VIENNENSI PROuincia continentur Ciuitates.

XIV.	1. Vienna,	*Vienne.*
	2. Geneua.	*Geneve.*
	3. Acussiorum Colonia.	*Grenoble.*
	4. Alba Heluiorum, *vel* Castrum Viuario.	*Viuiers.*
	5. Dia Vocontiorum.	*Die.*
	6. Valentia.	*Valence.*
	7. Auenio.	*Auignon.*
	8. Arelate.	*Arles.*
	9. Carpentoracte.	*Carpẽtras*
	10. Massilia.	*Marseille.*
	11. Augusta Tricastinorum.	*saint Paul Tricastin.*
	12. Vasio Vocontiorum.	*Viaison.*
	13 Arausio.	*Avrenge.*
	14. Cauillio.	*Canaillon.*

Sub Narbonensi 1. continentur Ciuitates.

VIII.	1. Narbo Martius.	*Narbonne.*
	2. Tolosa.	*Tholose.*
	3. Biterræ *vel* Blitera.	*Beziers.*
	4. Agathe.	*Agde*
	5. Nemausus.	*Nysmes.*
	6. Magalone.	*Narbonne pres Monpellier.*
	7. Luteua.	*Ledeue.*
	8. Vtica.	*Vzez.*

Sub Narbonensi 2. continentur Ciuitates.

VII.	1. Aquæ Sextiæ.	*Aix.*
	2. Apta Iulia.	*Apt.*
	3. Reius.	*Riez.*
	4. Forum Iulium.	*Freius.*
	5. Vapingum.	*Gap.*
	6. Segestoreum.	*Cisteron.*
	7. Antipolis.	*Antibe.*

Sub Aquitanica 1. continentur Ciuitates.

VIII.	1. Auaricum.	*Bourges.*
	2. Gergouia.	*Clermont.*
	3. Segodunum Rutenorum.	*Rodais.*
	4. Albaugusta.	*Alby.*
	5. Deuona Cadurcorũ.	*Cahors.*
	6. Ratiastũ Lemouicũ.	*Limoges.*
	7. Minate Gabaiorum.	*Mende.*
	8. Anicia Velaunorum.	*Le Puy en Vellay*

Sub 2. Aquitanica continentur Ciuitates.

VI.	Burdegala Bitur. Vibiſ.	*Bordeaux.*
	Aginnum.	*Agen.*
	Incoliſma.	*Engouleſme.*
	Mediolanum Santonum.	*Sainctes.*
	Auguſtoritum & Limonum.	*Poictiers.*
	Veſonna Petrocoriorum.	*Perigueux.*

Sub Aquitania 3. Nouempopulana, ciuitates continentur.

XII.	Auguſta Auſciorum.	*Auch.*
	Aquæ Tarbellicæ.	*d'Acqs.*
	Lacturacium.	*Lectoure.*
	Lugd. Conuenarum.	*Comminges, S. Bertrand.*
	Conſorannum.	*Conſerans.*
	Ciuitas Boatum.	*Bayonne.*
	Benebarnum.	*Laſcar.*
	Ciuitas Adurenſium, *ſeu* Vicoiulium.	*Ayre.*
	Coſſio Vaſatum.	*Bazas.*
	Turba, *ſiue* Turſa.	*Tarbes.*
	Illuro.	*Oleron.*
	Eluſaberis olim metrop.	*Eauſe.*

Sub Alpibus Graiis continentur.

II.	Ciuitas Centronum.	*Tarentaise.*
	Octodorus Veragrorum, *seu* Vallusium, Vallensium.	*Sainct Maurice* ou *Syon.*

Sub Alpibus maritimis.

VIII.	Ebrodunum.	*Embrun.*
	Dinia.	*Dine.*
	Diuitas Sollinienſium.	forte *Souliers.*
	Sanicio.	*Senez.*
	Glanateua.	*Glandeues.*
	Ciuitas Rigomagenſium.	Incognitæ.
	Ciuitas Gamelanenſium.	Incognitæ.
	Venticum.	*Vences.*

Sub 1. Belgica continentur.

XIV.	Augusta Treuer.	*Treues.*
	Diuidurum Mediomat.	*Mets.*
	Tullum Leucorum.	*Toul.*
	Virodunum.	*Verdun.*

Sub Belgica 2. Ciuitates continentur.

XII.	Durocortum Remor.	*Rheims.*
	Augusta Suessionum.	*Soissons.*
	Catalaunum.	*Chaalons.*
	Augusta Veromand.	*Sainct Quentin.*
	Regiacum Atrebatum.	*Arras.*
	Cameracum.	*Cambray.*
	Tornacum Neruiorum.	*Tournay.*
	Syluanectum.	*Senlis.*
	Bellouacum Cæsaromagus.	*Beauuais.*
	Samarobrina Ambian.	*Amiens.*
	Morinum á Car. V. Imp. deletum.	*Terouanne.*
	Bononia. Gessoriacũ.	*Boulogne.*

Sub Germanica 1. continentur Ciuitates.

IV.	Moguntiacum.	*Mayence.*
	Argentoratum.	*Strasbourg.*
	Nouiomagus.	*Spire.*
	Nemetum, Ciuitas, *siue* specula VVangionum.	*VVormes.*

Sub Germania 2. continentur.

II.	Colonia Agrippina, *siue Cologne.* Augusta Vbiorum.	
	Ciuitas Tungrorum.	*Tongres.*

Sub Lugdun. 1. continentur.

V.	Lugdunum.	*Lyon.*
	Augustodunum.	*Austun.*
	Audomatum.	*Langres.*
	Cabillonum ad Ararim.	*Chaalons sur Saone.*
	Matisco.	*Mascon.*

Sub Lugdun. 2.

VII.	Rothomagus.	*Roüen.*
	Ciuitas Baiocassium.	*Bayeux.*
	Ingena Abricantorum.	*Avranches.*
	Ciuitas Eburonicum.	*Evreux.*
	Sagium, *siue* Sesuuium.	*Seez.*
	Lexobium & Lexouium.	*Lysieux.*
	Castra Constantia.	*Contances.*

Sub Lugdun. 3.

IX.	Cæsarodunum Turonum.	*Tours.*
	Cænomanum.	*Le Mans.*
	Quidam.	*Vendome.*
	Vindinum rectius.	*Rennes.*
	Condate Redonum.	*Angers.*
	Iuliomagus Andium.	*Nantes.*
	Condiuincum Nannetum.	*Cornuaille.*
	Curiosopitum, Cyanctium	*Quinpert.*
	& Venetum quibusdam	*Vannes.*
	Vindana;	*Lautrec;*
	Ciuitas Osissimorum.	*Leondoul*, ou
	Neodunum Diablintrium.	*Leon.*

Sub Lugdun. 4.

VIII.	Agendicum Senonum.	*Sens.*
	Autricum Carnutum.	*Chartres.*
	Antissiodorum.	*Auxerre.*
	Augusto bona Tricassium.	*Troyes.*
	Genabum Aureliorum.	*Orleans.*
	Lutetia Parisiorum.	*Paris.*
	Iatinum Meldarum.	*Meaux.*
	Nouiodunum.	*Noyon.*

Sub maximo Sequanorum

VII.	Vesuntio Chysopolis.	*Besançon.*
	Auenticum.	*Auenche.*
	Basilea.	*Basle.*
	Viridunense.	Castra ad Rhenum incognita.
	Ebrodunense.	
	Argentarcense.	
	Rauirense.	

Finis Libri Tertij.





FLORI GALLICI,

LIBER QVARTVS.

SVPERIORIBVS libellis, veterem ante Christum Galliam, Gallorumque in varias orbis terrarum gentes incursiones, excitata extinctaque passim regna, ac denique res ibidem à Romanis Ducibus in Gallos gestas, breuissimo, vt instituimus, & in actum collecto stylo exposuimus: Hoc Quarto qui Flori Gallici postremus est: per cccc. circiter annos ab Augusti imperio ad Theodosij Magni excessum, siue ad Honorij & Arcadij imperatorum fratrum initia, Galliarum statum; & innumeras clades eò scilicet confluentibus vndique Barbarorum ingentibus copiis, acceptas euoluemus; donec regionem illam Europæ pulcherrimam, Franci fractâ aut certè multum debilitatâ Romanorum potentiâ, sibi armis assererent. Atque vt inde initium ha-

beamus, vnde cœpit Saluatoris nostri Dei humanitas hominibus innotescere: de eius natalibus, quo illi tempore contigerint, aliquid præmittemus.

CAPVT PRIMVM.

Christi Natiuitas.

Augustus Imp. *A.V.C.* DCC. LII. *Suet. in Aug.* *Dio. l. 51* *Oros. l. 6. c. 22.*

AVgustus Cæsar pacato, vt dictum est, orbe terrarum, bis clausum ante se, sub Numâ & victâ imperij æmula Carthagine Iani templum, tertiò clausit, tum anno circiter imperij sui XXXIIX. cùm edicto describi orbem imperasset, *Christus Iesus* ex Virgine nascens, quem illa diuino hausto Spiritu conceperat, sine vllo viri attactu vtero virginali intumescente, censui Romano addici ascribique voluit. Quo etiam tempore *Dominum* se Augustus appellari vetuit, quasi is nasceretur qui *Rex Regum est, & Dominus Dominantium.* Nihil ad felicitatem Augusti addi potuit augustius, & nobilius, quàm vt eius Principatus Christi Seruatoris Natalibus nobilitaretur. Eo igitur nato, nouus mihi rerum ordo nascitur, noua temporum, fastorum, annorumque series; nouus ille Sol, & sole hoc quem intuemur, quo illustramur antiquior, vt naturæ rerum ordinem aliquali modo nouum, vitæque hominum rationem nouam: sic, nouum suscepto operi in media prope sui

Aug. Imp.

parte computum annorum, imponet statuetque.

CAPVT SECVNDVM.

Augusti clades domestica.

MAgna tunc temporis Galliarum quies cùm nec Augustus superbè imperaret, nec Galli tam moderatæ dominationis statum abnuerent. Cæterùm quò securius imperium, vt instituerat, administraret Augustus, subsidia dominationi quæsierat, cùm fatorum iniquitas, & *nunquam ex toto mortalibus eueniens fortuna*, eadem distinctis temporibus eripuit, *vsque adeo nulla est sincera voluptas: sollicitumque aliquid lætis interuenit.* Non ætatis, non affectus Principis, non dignitatum habita ratio. Marcellum adolescentem Pontificatu & Curuli ædilitate donatum, imperij si quid accidisset successorem mors immatura abstulit. M. Agrippa, quem ad tertium Consulatum & Tribunitiæ potestatis societatem euexerat, generumque fecerat Principis amicitia, & ex eo geniti Principes iuuentutis Caius & Lucius, quamquam xx. ferè annorum interiecto spatio, continenti penè fato viuis erepti sunt. Tiberius Nero & Claudius Drusus priuigni, vltima spes, iam prouectum senectute ægrumque sustentabant: Sed *quàm rarum est felix idemq; senex!* citò Drusum Consulem, annos agentem

Ouid. Met. 7.

Aug. Imp.

xxx. lapſum equo Germanici motus rapuere. In Tiberium, Caio & Lucio Cæſaribus intra triennium ſublatis, cuncta vergere: filius, collega imperij, conſors tribunitiæ poteſtatis aſſumitur: & quo vſu imperandi imperio aſſueſceret, ſalutari Principibus exemplo, omnes per exercitus oſtentatur, omniumque fidei commendatur. Nihil enim Agrippam Poſthumum moror, qui proiectus in Planaſiam inſulam Corſicæ vicinam, initio Tiberij principatus per Centurionem interfectus eſt.

Sen. Herc. Oet.

Dio. l. 55.

CAPVT TERTIVM.

Clades Variana per Gallos.

CÆſo in Germania, ſeu veriùs in Gallia Celtica, cum fortiſſimis legionibus Q. Varo, grauiter turbatum Augusti animum ferunt, adeò vt vix ſomnum caperet: eoque liber, identidem inclamaret, Vare redde mihi legionem, is Syriæ quondam præpoſitus, imperium Germaniæ acceperat: inde in Galliam, quæ imperio addita fuerat, profectum, Gentem illam ſeruilem in modum tributis onerare cœpit: atque vt *Prouinciæ nouis oneribus turbantur*, ægre illud Galli ferre; ac tantò acerbiùs quòd ab Auguſto humaniſſimè adhuc habiti quieuiſſent, nec tamen apertè deficiunt, ſed ſimulata beneuolentia in eius

Aug. Imp. A. V. C. DCCXLIV.

Dio. Nic. in Aug.

Tac. 4. ann.

castra quasi sociis futuri essent conuolantes, cum nihil tale cogitantem inuadunt, concisoque penitus Rom. exercitu Varum cum aliquot clarissimis Ducibus ad mortem sibi consciscendam impulerunt. Veritus Cæsar ne Galli superatis properè Alpibus in Italiam exscenderent; coacto Veteranorum Libertorumque quàm maximo potuit numero, non eos modò coërcere (nam Germanis iunctos fama vulgauerat) sed infamiam tantæ cladis abolere constituit. Vnum igitur tristissimæ cladis vindicem Tiberium suum respexit Augustus: qui susceptam iniquissimo loco ignominiam armis restauraret. Mittitur in Germaniam: ac re gesta feliciter, nutantes, & in spem libertatis recuperandæ erectas continentes Gallias confirmat. Instruit exercitus, præsidia munit: res Galliarum maximæ molis, accensasque Viennensium dissensiones pro sua moderatione, magis coercitione quam pœna emolliit. Sic quietus rerum status. *Aug. Imp. Pater. l. 2.*

CAPVT QVARTVM.

Galliarum sub initia Tiberij quies. *Tiberius Imp.*

SEd siue Augusti ac Tiberij initiis auditis, nam *ferè fit, vt mutatus Princeps licentiam turbarum, & ex Ciuili bello spem melioris alicuius fortunæ ostentet*, Primum in Pannonià sub Iunio Blæso; iisdem- *Tac. I. ann. Dio. l. 57.*

que ferme diebus, iisdemque causis in Germania inferiori apud Rhenum turbatum est. Regimen summæ rei in Germanicis exercitibus penes Germanicum Druso Tiberij fatre ortum, qui tum agendo Galliarum censui intentus, summa moderatione, procliuem ad res nouas Gallorum gentem continebat. Huic, vno penè eodemque nuncio, Augusti excessus & legionum seditio adferuntur; fauor & spes in iuuenem multa, sed fides in Tiberium, à quo nuper Augusti iussu erat adoptatus, superauit: tantoque impensius pro eo eniti, quantò spei propinquior, cœpit, *Fides enim sanctissimum humani pectoris bonum nulla necessitate ad fallendum cogitur.* Itaque Sequanis & Belgarum ciuitatibus in Tiberij verba adactis, nouoque (vt moris erat) sacramento initio principatus astrictis, raptim profectus ad legiones, & in castra perductus, prolapsum in rabiem militem, quanta illi comitas! paulum flexit; Galliarum imprimis laudata fide, nihil in ea discors, nihil turbidum: quippe amissa virtute pariter ac libertate, orta cum otio segnitia Gallorum animos depresserat; sed cùm plurium ac ferocium concordia (quæ vetustissima est militaribus odiis materies) modestiam exemisset; vbi seditionem obiurgari audiuere, repentè mutatis animis missionem efflagitant. Destinatum excidio Vbiorum oppidum: periculum etiam erat, ne imbutæ præda manus, in Galliarum direptionem statim erumperent. Nam *simul ac*

Tiber. Imp. A. C. XIV.

Sen. ep. 89.

Tac. in vit. Agr.

furor aliquis militum animos inuasit, paulo momento propagatur, & dirâ scelerum contagione, velut sacramento consceleratas voluntates vinciens, immanitate virium impotenter exultat: deinde rapidi instar amnis effusi, quicquid opposueris facilè disiicit ac transcendit, postremò ægrè in antiquum alueum ac directum iter, hoc est, in priscam disciplinam, & ad ciuile vitæ institutum efferatam multitudinem reuocaueris. Furentibus ac lymphatis subducta vxor Agrippa cum infante Caligula in castris genito: pergit ad Treueros, Belgarumque ope ac beneficio, nomini tum Romano subuentum est: exercitus Germanici compressi imperatoris coniux, legionumque alumnus Gallis obsides traduntur. *Tiber. Imp.*

CAPVT QVINTVM.

Galliarum Rectores summi viri.

NEque verò id leue est ad Galliarum decus ac gloriam, clarissimis quibusque viris in sortem & præfecturam cessisse eas gentes, quæ omnium propè vnæ imperij pacem ac splendorem possent excutere: nec pudebat imperio subesse Gallos, quibus tanti Duces imperio proximi imperarent. Namque his à I. Cæsare Dictatore relictus M. Lepidus, is qui Triumuir postea extitit: D. Brutus, Mun. Plancus, quales quantique viri! iisdem præfuere. M. *Tiber. imp.*

inde Antonius cum dignitatem & gradum malis, vt ferè fit moribus amisisset, iudicatus ab Senatu hostis, & apud Mutinam oppressus, recuperandæ dignitatis rationem pene nullam sibi relictam aliam est arbitratus, quàm si Galliarum opibus niteretur. Augustus M. Agrippam Tiberium & Drusum priuignos, bellis aliquot in Galliis conficiendis præfecit? his Germanicum ex Augusta Liuia Nepotem suffecit: quibus viris, quos tum Respubl. vidit habuitque clariores? Itaque turbantibus Germanicis legionibus, quietos Germanicus publicè extulit: ac tantò lubentius, quòd ad supplenda exercitus Romani damna, quod cuique promptum, arma, equos, aurum, obtulissent.

Tac. l. 1. an.

Missus inde à Germanico ad census Galliarum P. Vitellius, eius qui mox imperium adeptus est auus, cum Cantio, nec de Ariminio Germanorum Rege facilis extitisset victoria, ni præter Segestis soceri Sicambrorum, vt volunt, Principis defectionem, Gallicus equitatus primam hostium aciem perrupisset: nec minor peditum virtus enituit. Sagittarij fundebantur, ni Gallicæ cohortes signa obiecissent. Tum crebris epistolis à Tiberio reuocatur Germanicus, anxio scilicet, vt *ingenia Regum prona sunt ad formidinem*: ne Germaniæ victor, Gallorumque studiis, vt erat, ingens & militum, oblatum toties imperium aliquando assumeret, quippe *Displicent Regnantibus ciuilia filiorum ingenia* hæc vna

Tiber, Imp. Tac. l. 2. Attius

properandi facinoris causa fuit. Nam Patris artibus, per Cn. Pisonem veneno periit Antiochiæ: Piso cuius egregia opera Germanicum sustulerat Tiberius, ad scalas mox Germanias in sceleris pretium tractus est.

CAPVT SEXTVM.

Rebellio Gallorum sub Tiberio.

NEc ita multò post Galliarum Ciuitates subsidiis oneratæ ac pressæ, ad hæc priscæ libertatis vltra omnem modum auidæ, rebellionem cœptauere. Initium ab Treuiris & Heduis, Iulio Floro & Sacrouiro nobilissimis Gallorum seditionem fouentibus hortantibusque, ac facilè quidem comprimi posse visa est primum, cùm orta licentia à paucis in omnes se repente vulgauit: hi (vt mos est in simili re) imperitorum animos, ferocissimo quoque assumpto; eos quos vulgò egestas, conscientia flagitiorum, rerum nouarum spes ad fœda quæque audenda excitare solent, impellit paulatim nocturnis colloquiis, aut flexo in vesperam die, seditiosa differens, Tributorum onus grauissimum; sæuitiam ac superbiam Prætorum exposuit: ecquando ausuros libertatem asserere, nisi florentibus adhuc suis rebus, inopi Italiâ, amisso Germanico, inualido mutuis dissen-

A. C. 23.
Tiber. ibid.
Imp. Tac. l.3.
Paterc. l.2.

ſionibus imperio? Satis per tot retrò annos peccatum ignauiâ: nullum tot malis remedium, quàm vt armis patriam ſuam, vxores liberos, cæteriſque rebus potiorem, ac ipſo denique ſpiritu chariorem libertatem reſumerent, quid ſpererant vltra, quibus *aut honeſtè moriendum, aut quod triſtius morte eſt, in*
Curt l. 8.c.7. *ſeruitute viuendũ?* Andegaui & Turones primi omnium in armis: ſed citò oppreſſi ſunt irritâ Sacrouiri proditione Iulius Florus Cæſis Romanis negotiatoribus (tunc enim referta Gallia negotiatorum erat, plena Ciuium Rom. ac nemo Gallorum ſine Ci-
Cic. pro Font. - Tiber. Imp. ue Rom. quicquam gerebat negotij: ne nummus quidem in Gallia ſine Ciuium Rom. tabulis commouebatur) cùm inconditam multitudinem obæratorũ aut clientium vocaſſet ad ſigna, in Arduenam ſyluam diſiectus eſt: vbi rebus deſperatis, ſua manu cecidit, immaturæ rebellionis pœnam referens.

Sed longè maior Heduorum tumultus, ſimili tamen exitu compoſitus. Nam Sacrouir ingenio ac manu promptus, Auguſtedunum caput gentis cum nobiliſſimis adoleſcentibus, qui in ea ciuitate liberalibus diſciplinis operam dabant, occupat, vt eo velut pignore parentes haberet ſuæ voluntati obſequentes, quod vbi Romæ nunciatum eſt rem augente famâ, vt *nunquam*
Curt l. 9. *ad liquidum perducitur: ſed omnia, illa tradente maiora ſunt:* mœrere optimus quiſque: Gallias in armis vniuerſas in ſocietatem rebellionis aſſumptas hinc Ger-

manias, inde Hiſpanias, trepida ciuitas incuſare Tiberium, quod in tanto rerum motu accuſationibus audiendis incumberet: eò ipſum aduertere, vnde maius reipublicæ periculum, debuiſſe. Immotus aduerſus eos ſermones Tiberij vultus animuſque: fixumque habuit quamuis, *otium ſerendis rumoribus natum alere hac ratione videretur, non omittere caput rerum Romam, vnde in omnia regimen*: Quaſi ea longè vulgaris eſſe leuiora comperiſſet. Nihilo ſecius Silium cum duabus legionibus eò mittit: ab hoc primum Sequanorum fines Heduis vicini euaſtantur: mox Auguſtoduno promouentur copiæ, nec ſegnius Sacrouir, quippe cui manu tutanda eſſet Rebellio, in patentibus locis agmina explicat: omneſque ſuorum ordines, equo præuolans ad patriæ & libertatis defenſionem, veterumq; factorum memoriam renouandam accendit: victis ſeruitutem, libertatem ac gloriã victoribus memorans, pro quibus emori dulce, & decorum ſemper ingenui viſum fuit, Plura parantem Silius ex aduerſo occupat, nec Romanorum impetum ac virtutem incondita multitudo ferre potuit: nec diu turbatam prima hoſtium impreſſione aciem reſtaurare Sacrouir conatus, repente victus in oppidum fugâ ſe recipit: ſed metu deditionis in proximam villam cum raro familiarium comitatu diuertit; vbi turbatus animo cum nec conſilium vllum opportunum, nec ſpes firma in tanto periculo ſuccurreret, veritus

Tac. l. 1. Curt. l. 8.

Tiber. Imp.

quod omnium maximè horrebat, ne Romanorum in manus laberetur, suo se ferro transuerberat, reliqui quasi Ducis sui Manibus missuri inferias, mutuis vulneribus occubuere.

CAPVT SEPTIMVM:

Christi mors.

Tiber. Imp. Orof l. 17. c. 4. Euseb. in Chro. Cassiod. ibid. A. C. 34.

ANnus agebatur imperij Tiberij Cæsaris XVII. cum ex Diuino decreto, prodente discipulo, petentibus Iudæis, Iudicante Pontio Pilato Syriæ Præside, quem quadriennio interiecto malorum, quibus continenter discruciabatur compendium mortis celeritate quæsiisse ferunt Viennæ ad Rhodanum; in Crucem fixus morte turpissima; hominum gentem æternæ mortis pœnæ addictam, ad vitam & salutem reuocauit, vitæ & mortis arbiter ac Dominus IESVS CHRISTVS. Vigebat adhuc quæsita ab Augusto pax, excitatæque nonnunquam inter exercitus seditiones, nullo negotio per legatos extinguebantur. Agitatum etiam in Senatu per Tiberium vt CHRISTVS Deus haberetur: sed Seiano potissimum aduersante, prohibitum edicto Senatus: vrbe exacti qui nouam illam vitæ ac religionis rationem sequebantur. Dedit pœnas impietatis, quanquam rerum nouarum quas moliebatur nomine Seianus, & Senatorum pene omnium comi-

Orof. ibid.

nuatis

tinuatis aliquot menses cædibus, cura restagnauit.

CAPVT OCTAVVM.

Gallia per Caligulam spoliata.

AC ea quidem Romæ: apud exteros quieta omnia nihil discors: quippe Augusti principis fœlix adhuc memoria, prouincias facilè in fide continebat: sed Caligulam huius otij puduit, quasi erepta sibi gerendæ rei materia. Itaque magno & incredibili apparatu Germaniam Galliamque percurrens, viribus ociosis hostem quærere visus: ciuitates quamuis obsequentissimas, & ditissimum quemque, impositis criminibus spoliauit: alios nouarum rerum, hos insidiarum insimulatos necabat, & erat omnibus commune crimen diuitiæ, vt qui bello grassari non poterat, & pacem orbis armorum furore conuellere, sæuiret in priuatos. Restitit in orâ Oceani contra Britanniæ prospectum, ad Iccium ferè portum: receptoque in fidem Aminio, Canobellini Britannorum Regis filio, quasi vniuersâ traditâ insulâ victor; vastatis, qua iter erat, prouinciis Romam reuersus est. Ad Triumphi pompam, quis credat? nullius hostis nisi publicæ duntaxat quietis, procerissimum quemque, ac nonnullos ex principibus Gallorũ sepoliuit. Hic (vt prædiximus) in Gallia miscellos ludos. Lugdu-

Caligula Imp. *Oros. l. 7. c. 5.* *Dio. l. 59. A. C. 40 41.* *Suet. in Calig. c. 44. & 47.* *Calig. Imp.*

Iuuen. Sat. 1. ni instituisse fertur: quâ in ciuitate ad Augusti Aram Græcæ Latinæque facundiæ *Suet. ibid. c. 20.* certamen fuit: sed quæ in cætero barbaries? pœnam victis sæuam & impiam imposuerat: Nam vel ferulis obiurgari, vel in pro- *Strab. l. 4.* fluentem mergi, vel scripta sua, lingua delere, aut victoris laudes victum componere *Suet. c. 29.* edixerat. Mirum est, quo ille studio & ambitu triumphum optauerit. Gallis Græcis- *Tac. an. 11.* que aliquot, vno eodemque tempore condemnatis, ferox crudelitate imperator, Gallogræciam subegisse se vulgò gloriatus est. Huius fuit vox index crudelitatis, *vtinam P.R. vnam ceruicem haberet.*

CAPVT NONVM.

Galli in Curiam asciti per Claudium.

A. C. 44. Claudius. Imp. QVo temporis tractu sub initia nimirum Claudij imperatoris, A Vitellio & L. Vipsano Coss. agitatum de supplendo Senatu, Galliæ quæ Comata dicitur primores iure ciuitatis iampridem donati, ius honorum adipiscendorum in vrbe, flagrantissimè postulabant. Ingens super eâ re variusq; primorum ac ciuitatis principum rumor, dissentientibus multis, & Romana maiestate indignum clamitantibus, si Transalpinæ gentes, in Curiam irrumperent: ac eorum potissimum nepotes qui capta vrbe, prostratis toties exercitibus

Senatorum olim iugulis enses indiderant, insignia patrum decora magistratuum assequerentur. Sed in contrarium disserens imperator, cùm iam insignes Galliæ Narbonensis viri transiissent in numerum: victis Gallis à D. Iulio datum in Senatu locum, quid iam assuetis imperio, qui tanto studio honorem amplissimum ambirent: nec amore in rem Romanis cedere viderentur? tanta potissimum ac tam fidâ pace quietis, vix enim eo ferè tempore cohors integra Gallias continebat, asciri voluit iussitque. Iaque orationem Principi secuto Patrum consulto, primi omnium Hedui, ex antiquissimi fœderis, & fraterni cùm Pop. Rom. nominis memoria, ius Senatorium in vrbe adepti sunt. Nec visum id Reip. indecorũ, vt magistratibus æquarētur ij, qui moribus, artibus, adfinitatibus mixti, vnum penè populum, vnis sub legibus efficerent, eiusdemque Iuris esse debent, qui sub eodem Rege victuri sunt. Narbonensi tamen Galliæ, quòd prima omnium Galliæ prouinciarum in Romanam ditionem transiisset, cuique ob insignem Pop. Rom. obseruantiam, id quoque concessum erat, vt altera Italia diceretur, pronior Patrum affectus: quos cùm singulari coleret reuerentia, datum insuper, vt eius prouinciæ Senatoribus haud exquisita Principis sententia, iure quo Sicilia (quæ prima in Prouinciæ Romanæ formam redacta est) haberetur, res suas inuisere liceret, quod sanè ab ipsius Claudij temporibus, ad impe-

Ioseph. l. 2. c. 16. de bello Iud.

Claud. Imp.

ratorem Theodosium, ipsiusque Arcadij æuum viguisse ferunt.

CAPVT DECIMVM.

Claudij in Gallos affectus singularis.

Claud. Imp. Missus etiam ab Claudio in Celticam Cn. Domitius Corbulo: hic coactis in vnum Rom. exercitibus, Chaucos vltra imperij limites summouit: sed rerum gestarum inuidia persuasus Claudius, in vrbem confestim Corbulonem euocauit: quem secundo in easdem terras cum exercitu proficisci iussit: quo tempore illum agrum, qui inter Rhenum & Mosam interiacet fossum fuisse ferunt. *Dio. Nic. Claud.* Cæterum singularis in Galliam fuit eius Principis amor, nec dubia causa, quippe Galliarum ciuitates Druso Parenti publicè quotannis supplicabant, ipse Lugduni natus, eo ipso, vt ferunt, die, quo primum Ara ibi Augusto est dedicata. Druidarum tamen Religiones diræ immanitatis, & ciuibus tantùm sub Augusto interdictas, Tiberij etiam Principatu tolli iussas, penitus aboleuit, quæ tamen, *Plin. Sen. Troad. act. 3.* *vt malè relictus igne de magno cinis, resumit vires*; iterum valuere: si tamen ritum illum Sacrorum detestabilem à Britannis, vt ferunt, acceptum excipias, quo Mercurio humanis litabant hostiis: nam ea penitus abolita feritas interiit. *Pith. Adu. l. 7. c. 3.*

CAPVT VNDECIVM.

Gallia Christiana.

ITa sensim errores gentilitios immanemque superstitionem Galliæ exuebant, vt faciliùs mox Christianorum sacris tingerentur: quippe his ferè temporibus nec multorum annorum spatio diuisis, per diuini spiritus viros, cœpit primùm Christianæ religionis sidus clarissimum, his Gentibus affulgere: Massiliam nobilissimam Phocensium Coloniam appellentibus iis, in quos quòd propius Christo adhæsissent maioribus odiis Iudæorum impietas exarserat: hi naui sine vllo remigio in certum periculum impositi, eò adremigantibus haud dubiè Angelis directi sunt, vt futura aliquando maior Pietas, & Christianissimi Reges post cccc. circiter annos imperaturi. Inde submissi à Principe Apostolorum, qui Galliam veræ religionis cultu ac præceptis latiùs & copiosiùs imbuerent: Martialis Aquitanos, Maternus & Valerius Leodios siue Eburones, Vbiosque, vbi iisdem temporibus Colonia ab Agrippina Germanici filia Claudij imperatoris coniuge instituta est. Sixtus Remos, Sauinianus & Potentianus Senonas & Trecos. Prouinciam Trophimus, Viennam Crescentius, Vrsinus Biturigas, Aruernos Austremonius, Eutropius Santonas, Cenomannos Julia-

Claud. Imp.

Act. Magd. 22. Iulij. Sigeb. in Chro. ann. 745. Baron. in ann. A. C. 50. Tac. 12. ann. Claud. Imp.

nus, quem leprosum fuisse incolæ persuasum habent, Clarus Nannetas: aliique gentes alias ac ciuitates, vt locis sic & moribus discrepantes vno Dei spiritu, vna lege ac religione, vnis sacris instruxere quo cum illi munere haud segniter defunguntur, impium ac Barbarum idolorum cultum aut omnino euertunt, aut certè conuellunt.

CAPVT DVODECIMVM.

Mosellæ & Araris iungendorum Consilium irritum sub Nerone.

T. Ner. Imp. *A. C. 57.* *A. C. 60.* *Tac. ann. 13.*

INterim suscepti operis velut recisam seriem retexamus. Memorabile illud in Galliis L. Veteris, qui eo tempore exercitibus ad Rhenum collocatis præerat, consilium, quo Mosellam atque Ararim clarissimos amnes, facta ductaque inter vtrumque fossa connectere parabat: vt facili longissimarum viarum compendio, remotissimæ gentes in singulare orbis nostri, vt dictitabat, commodum, vterentur. Ex Italia per mare primum, dein Rhodano, tum Arari subuectæ copiæ, mox per eum aleum Mosellà exceptæ: inde funderentur in Rhenum, ac tandem secundo fluuio in Oceanum decurrerent: sublatisque itinerum difficultatibus, Occidentis, Septentrionum, ac Meridionalis etiam apud nos partis littora, fluuiorum sic sibi mutuò cohærentium adminiculo, committerentur.

Nec dubiè transegisset ille negotium, ni Belgicæ legatus Heluius Gracilis, non tam imperatoris, (cui id formidolosum ac suspectum fore dictitabat) causa, quàm tanti apud Gallos meriti inuidiâ, deterruisset. Hoc plerumque modo honesti conatus ab iis prohiberi solent, qui alienæ famæ laudem in priuatum dedecus verti ac numerari arbitrentur. Nam *Priuata res semper offecere, officienturque publicis consiliis.* *Liu. li. 22.*

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

Neronis crudelitas.

HOc ferè tempore Cottio Allobrogum Rege mortuo, Cottiæ Alpes in ius prouinciæ redactæ sunt. Ac Romæ in optimum quemque Nero grassari ferro cœpit: non Parentis Agrippinæ, non Coniugis Octauiæ, non Præceptoris Senecæ nomine, ab crudelitate deterritus: incitatus per Tigillinum malis artibus & societate scelerum proximum; facem incendiorum, & proni ad cædes Principis concitorem. Amotus in Galliam Narbonensem Sylla; sed cùm timeretur maximè, atque ad Dictatorium nomen & celebritatem hominis rerum nouarum cupidine & odio præsentium Galliæ erigerentur, (quippe erupturus Sylla haud dubiè, si locus audaciæ ac temeritati reperiretur) is Massiliæ *Nero Imp. Aurel. vict.*

Sueton. in Ner. c. 40. ante metum & rumorem, cum epulandi causa discumberet, ab immissis percussoribus obtruncatur: ea cæde, rerum nouarum (nam eius prouinciæ motus nunciabantur) in Gallia spes præcisa interiit.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

Romæ incendium & Christianorum supplicia.

Nero. Imp. SEcutum inde Romanæ vrbis incendiũ, non dubio Neronis dolo, quem scilicet pudebat priuati sanguinis, nisi publica clade exciperetur: in priuatos sæuitum improsperè foret, nisi respublica suum etiam vulnus in nobiliore sui parte ostenderet: in XIV. Kal Sextiles incendij huius principium incidisse ferunt, quo die olim Senones captam vrbem dempto Capitolio inflammauerant: sed tantò hoc mitius visum est, quòd hostium manibus fieret: illud atrocius quòd Principis imperio immitteretur. Subditi rei Christiani, vt publico eos odio cruciaret, in quos priuato sæuire destinauerat; sed tegendum erat duplici religionis ac publicæ vltionis velo, *Tac. an. 15.* efferatæ immanitatis exemplum: pœnis igitur affecti acerrimis: verum crescebat suorum clade religio, & clariùs coruscabat fides impugnata: nec ita tormentorum acerbitate repressa est, vt non magis ac

magis erumperet. Absumpti eâ Neronis, quâ in Christianos secundò sæuitum est, rabie; Apostolici ordinis ac Senatus Principes Petrus & Paulus: alter suffixus in crucem; alteri caput resectum gladio est. Vtriusque irrigata sanguine mirum est, quam vberes & copiosas Christianorum fruges ac messes Roma effuderit.

(Hic mihi monendus es necessariò, quisquis hos breuissimos Galliarum commentariolos euoluere non grauaris: ne me instituti mei legem prætergredi liberiùs fortassis, quàm par videretur, vnquam putes; cùm aut profanis sacra, aut externa domesticis permixta nonnunquam & inserta reperies: id consultò egi: cùm vt cognitis nostris aliena insuper ac ea præcipuè quæ nos aliquo modo contingunt, intelligas; cum præter eam quam maximi facio, historiæ seriem, de sacris rebus, vt se dabit res, differere queas: & quo illæ tempore aut imperatore contigerint, aduertas.

CAPVT DECIMVM QVINTVM.

Neronis in Galliam amor.

NEc longa temporum intercapedine à Romano incendio cœpit Lugdunensis conflagratio: clarissimam vrbem, totque pulcherrima eius opera, quę singula vrbes singulas illustrare possent, vna nox

Nero. Imp. A. C. 67. Senec. Ep. 91.

fœdè ſtrauit; tanta ſtrage, vt quæ vrbs in Gallia miraculi loco oſtendebatur, quæreretur. Vix credas ea in afflictam Ciuitatem mente Neronem extitiſſe, vt cladem vrbis quadragies ſeſtertio ſolaretur; remiſſa etiã ea pecuniæ ſumma, quam nuper turbidis caſibus obtulerant: in Galles pronior videbatur, niſi cum ſpoliandæ prouinciæ opulentiſſimæ deſiderium, ſatellitum impuriſſimi greges ſuggererent.
Tac. ann. 16. Cæterum nunquam altiori pace imperium conquieuit: toto terrarum orbe diffuſa ſecuritas Neronis Principatum commendabat: delectus tamen in Narbonenſi Prouincia nuper habiti ſupplendis more Caſtrenſi Illyricis legionibus; adfecerat Principem gentis alacritas: quippe breuiſſimo tempore ſtrenui iuuenes nomen dederant, ſacramentoque dixerant: quoque eos ſibi propiùs ac promptiùs adiungeret, partim Latino, partim etiam Ciuitatis iure ſpontè donauerat: quin eò prouectus eſt Neronis in eam Gentem affectus, vt eius beneficio ſingulari, tributorum, quibus cæteri premebantur, parte maxima leuarentur, in aliorum inuidiam ægrè id ſpectantium. Nec latuit Principem cæterorum ira ac liuor: additum fruſtra indignantibus ludibrium; *Inuidos homines nihil aliud quàm ipſorum tormenta eſſe*, dictitante Nerone, quo mirum minus eſt, Neronis exitum ei Genti haud gratum extitiſſe, quam tantis ſibi beneficiis obſtrinxerat: Nam Lugdunenſis potiſſimùm Colonia, vt beneficio-

Curtius. (margin) · Tac. an 17. (margin)

rum gratiam ac memoriam testaretur, contumaci pro Nerone fide animoque Galbianis obstitit, *Adeo pertinax est fides, quam Principis liberalitas muniuit.* Ægrè tamen adducor vt credam placuisse Gallis omnibus tam barbarum tamque impotentem imperatorem, in quem cônstat primos rebellionis signa Gallos extulisse: orbe deinde vniuerso fœdum libidine, crudelitate haud ferendum Principem destituente. Author facti Iulius vindex Galliarum Prætor. Monit ea res Neronem, vt Gallorum cantu indormientem excitatum fuisse, ioco Romani dictitarent. Itaque Consulem se ferens (quippe fatale esse reputabat Coss. Gallos vincere) bellum administrare statuit. Rebelles poterat coercere, nî ab Rufo Germaniæ Rectore proditus ac destitutus, de vltimis cogitasset, nam ab eo Vindicis victore pariter desertus, cùm instare coniuratos audiret, adacto ægrè in iugulũ ferro, miserabili exitu periit. *Quàm difficile est, miseris etiam perire? nec animum sequitur manus, nec manum gladius: labitur ferrum, tremit dextera, fatiscit mens.*

siue 1. hist. *Suet. in Ner. c. 40.* *Dio. l. 63.* *Zon. to. 2.* *Latin. Pac.*

CAPVT DECIMVM SEXTVM.

Gallia à Germanicis legionibus vastata.

NEq; hic prædicari satis potest maiorũ nostrorum laus, qui tam fœdę bellũ,

Galbæ Imp. A. C. 71. tamque impotentis Tyranni dominationem, quanquam tributis leuati olim, primi à suis ceruicibus amoliri: seseque ex immani seruitute in libertatem vindicare cœperunt. Sed eam ipsam quam maximè restitutam voluerunt, illo ipso facinore perdidere. Namque sublato vindice, qui in Neronem rebellionem cœptauerat, quasi deiectis rerum suarum munimentis, victoris exercitus insolentiam furoremque experti sunt. Germanicæ legiones, quæ Rufo Duce in Gallias eruperant, quærere rursus arma, nouasque discordias, nec socios, vt priùs, Gallos; sed hostes & victos appellare incipiunt, pars ea quæ Rhenum accolit in partibus, ac tum acerrima instigatrix aduersus Galbianos. Cæteri remissam sibi à Galba qui Neroni successerat, quartam tributorum partem, notatos ignominia exercitus publicè iactitantes, legionum in se odium ex contumacia, irasque concitauere. Igitur Sequanis Heduisque, ac deinde prout opulentia ciuitatibus erat infensi, cùncta agere incipiunt.

CAPVT DECIMVM SEPTIMVM.

Galba à Gallis imperator assumitur, reiiciturque.

CArthagine noua in Hispania agens conuentum Galba, legatum Aquitaniæ, auxilia implorantem audiuit: solutisque illicò literis, quibus ipse Dux assertorque humano generi in rebelles vocabatur, conditionem partim metu, partim spe recepit. Sed cùm eas Galliarum ciuitates Treueros ac Lingonas, quòd cunctantiùs sibi accessissent grauissimis tributis atrocioribusque edictis, quasdam etiam murorum deiectione punisset; quod in ea re fieri solet, rerum ac fortunarum suarum defensorem quæsiere, ac Vitellium inferiorem Germaniam ingressum imperatorem salutarût. Tum ille innixus insuper A. Cæcinnæ ac Valentis, qui tum legionibus præerant, viribus: vbi diruptas à militibus Galbæ imagines: mox consensu plurium exutum imperium, quæsita sacramenta resciuit: delatum sibi Coloniæ Agrippinæ imperium assumit: tantus militum ardor Galliarum consensu exceptus Vitellium altè extulit: sic amissa prioris Sacramenti quo se Galbæ nuper obstrinxerant, memoria, omnis Vitellio fides, & quod in seditionibus accidere solet, vnde plures erant, omnes fuere.

Galba Imp.

Suet. c. 9.

Tac. 1. hist.

Accessit etiam partibus Vitellianis Valerius Asiaticus Belgicæ Prouinciæ legatus, Iunius Blæsus Galliæ Lugdunensis Rector, Rhœticæ copiæ, Britanniaque. Sic vndique velut sanciente Fortunâ quod Galliæ inceperant.

CAPVT DECIMVM OCTAVVM.

Galliarum Turbæ sub Othone.

Otho Imp. A. C. 72. NVnciatur interim Galbæ cædes imperiúmque Othoni à Prætorianis militibus delatum: ea res Fabium Valentem ac Cæcinam Italiæ inter intendentes festinauit. Valens per Cottianas Alpes Cœcina Pœninis iugis digredi iussi sunt. Vastatis vndique regionibus iter imperio sternitur: quæsitæ aduersus quietos belli causæ: vix á Diuioduri Mediomatricum oppidi excidio temperatum. Lingonum Ciuitas Audomatum, cohortium intemperie diripitur: Hedui pecuniam armáque deferre iussi, insuper & commeatibus iuuare compulsi sunt.

Quo ferè tempore veteres Viennensium qui Galbam, ac Lugdunensium, qui, vt prædiximus, Neronem secuti erant, crebris & infestis cladibus discordiæ redierunt, *Est enim hoc commune magnis liberisque ciuitatibus, vt inuidia gloriæ comes sit: & solita inter accolas odia*: hos vno amne & aliquot milliaribus discretos æmulatio, inuidia, *Æmil. Chab. Tac. 5. hist.*

odium disiunxerant, adeo vt mutuam vtraque euersionem flagrantissimè postu arct. Viennenses vetustas dignitasque Coloniæ seruauit; Fabium pecunia emptum constans fama euulgauit. Inde per Allobrogum fines ductus exercitus, Vocontiorum foro ac finibus ferro ignique euastatis. Difficilius Cæcinæ per Heluetios iter, sed incolarum cædibus, ac populatione regionis, apertum est; ægrè seruato ab euersione Auendico gentis capite. Otho Roma, Vitellius Legionibus ferox, sed Galliarum imprimis opibus confisus. Nec dubio victoriæ exitu. Vnicus Othonianæ securitati relictus obex, Narbonensis nimirum Gallia supererat, quam tamen siquid turbare vellet, velut septam vndique cohortibus continebat. Hanc adiri Otho classe valida & partibus suis fida posse confidebat. Igitur lustrata vrbe, expensisque belli consiliis, cum Pœninæ hinc, inde Cottiæ Alpes cæterique Galliarum aditus à Vitellianis clauderentur, hanc aggredi statuit. Classem cæsorum reliquis nuper ad pontem Miluium, vrbanis cohortibus & prætorianis viris firmauit; frustra prohibere Vitelliani ne excensio fieret, conati sunt. Spes erat Othonis res in Gallia fore Vitellianis tutiores, cum pugna in Italia improsperè ad Bebriacum, non longè à Cremona commissa penitus concidere: incumbente mox in ferrum Duce: qui eo facinore fortitudinis laudem apud suos tulit, quanquam *minimè virile sit, terga fortunæ dare.* Otho Imp.

CAPVT DECIMVM NONVM.

Vitellij res gestæ in Gallia.

Vitellius Imp. VItellius festinatis per Gallias delectibus adhuc victoriæ suæ nescius & fortunæ; ingentes copias comparabat, cùm audito rerum suarum felici in Italiâ successu, Arare vectus Lugdunum, ibidem victricium & victarum partium Duces habuit potentiæ suæ administros, quo tempore Marici cuiusdam è plebe Boiorum dignum memoria facinus Galliam in se omnem conuertit, is simulatione numinis (nam se & Deum & Galliarum assertorem appellabat) Romanorum arma, concitis è plebe hominũ millibus aliquos ausus est prouocare: crescebat in dies multitudo fanatica, cùm ab Heduis & adiectis Vitellij cohortibus prælio fusus captusque inspectante Vitellio à feris laniatus est. Digressus inde Vitellius adiunctis agmini suo Batauis ob fidem, in Italiam festinat, flexu itineris, quo Viennam, quæ Ciuitas nondum partibus accesserat, declinaret, cæterum Gallicis militibus munitus imprimis. *Vitellius. Imp.* Ortum his ferè temporibus Ticini haud longè à Pado inter Gallos & legionarios certamen è duello, quo Romanus à Gallo confectus fuerat. Nec finitum, donec duæ cohortes hoc tumultu cecidissent.

Quippe iram ac pertinaciam diuersarum gentium, vt ferè fit, æmulatio accenderat: resque cò venit, vt frementibus Batauis Galliorumque auxiliis; ne quid auderent truculentius, in suas ciuitates remitterentur. Sic principium intestino simul externoque bello parantibus fatis ferebatur, ignaro suæ mox sortis Principe, viresque suas vltrò dissoluente, cuius tanto sors visa est dignior, quo sibi incautius præcaueret, vino lustrisque confectus ac supinus Princeps, ignarus nimirum non multò post; fragilitatis humanę seipsum exemplum futurum. Non longa ipsius dominatio; nam à Vespasianis victus ac profligatus vaticinium Viennæ sibi dictum datum expleuit: nempe iri interfectum ab homine Gallicano aruspices consulti responderant, ab Antonio Primo Tholosate, cuius nuper artibusGallias Hispaniasque validissimam terrarum partem, ad Vespasianum conuersas fuisse constabat, interemptus est, hoc saltem emolumento & solatio, Galliarum Clades ab Gallo vindicatas. *Tacit. hist. 3.*

CAPVT VICESIMVM.

Luctuosus Prouinciarum status.

SIc mutuis cædibus ad Principatum lubrico, idest cruento itinere, mox ruituri Principes, haud ita firmis vestigiis inscendebant: Prouinciæ interim à dissiden-

tibus spoliatæ, diuersis Rectorum suorum cupiditatibus patebant inultæ? nihil non fas cuique, nec illicitum quidquam, cum incerto principatu fluctuarent, & magnis vtrinque contentionibus, diuersisque Principum studiis omnia iactarentur. Ac talis potissimùm rerum status ab Neronis excessu, in quo Cæsarum progenies defecerat, orbem afflixit, aliis alios per inuidiam & ambitum expugnantibus, quibus turbis, turbandi passim omnia in remotissimis regionibus licentia suggerebatur.

CAPVT VICESIMVM. PRIMVN.

Batauorum Rebellio in Romanos.

Vespasianus Imp.

FLorebat his temporibus Claudius Ciuilis apud Batauos, regiâ stirpe editus, ingenio ferox ac solers, manu promptissimus, ad simulandum apprime eruditus: quippe multis se periculis sua industria Neronis, Galbæ, Othonis, Vitellijque principatu vir callidus expedierat. Hunc causæ irarum multæ, spesque, ex Romanis malis, ad magna incendebant. Vespasiani amicitiam studiumque partium Flauianarum, nondum sublato Vitellio prætendit, vt accita à Vitellio auxilia specie Germanici tumultus retineret. Vocatis igitur ad epulas primoribus gentis, & vulgi insi per ferocissimis accitis, iniurias, cædes, cætera,

que seruitutis vltimæ mala enumerat, non aliud rebus suis leuamentum quàm si dissidentibus Romanis, conuulsa discordiis Principum Rep. libertatem assererent suam *Vtendum occasione, & rapienda incrementa* *Iust. l. 38.* *virium: ne si illis occupatis quieuerint, mox aduersus vacuos & quietos maius negotium habeant*: Vocantur ad societatem belli, iisdemque facilè rationibus pertrahuntur Caninefates finitimi, quibus pariter ingrata seruitus. Horum Rex more gentis scuto impositus, & sustinentium humeris circumlatus diligitur, adiunctis Frisiorum nobilissimis ferox, duas cohortes inuadit: *Tac. hist 5.* castra direpta, Romanique negotiatores trucidati sunt, Ciuilis Sertorium aut Hannibalem se ferens, nondum palam à Romanis desciuerat, sed dolo grassandum ratus; quò facilius & fœdiùs legionum iis in locis reliquias opprimeret. Sed erumpentibus paulatim fraudis indiciis, cùm parum cederent insidiæ, apertè hostis, non agendum vltra cuniculis, sed vi opus esse, oppórtuno iam tempore éxistimauit. Extemplo Romanos ferociter aggressus turbat, Tungrisque ad populares suos & coniuratos transeuntibus, facilè profligat. *Vespasianus Imp.* Nec dissimilis belli ratio in classibus, pari rebellionis exitu commissa est. Vtrobique graue seruitutis iugum excutientibus Gallis. Tum magnâ per Gallias & Germanias famâ libertatis authores Bataui celebrantur: quisquamuis tributorum expertes & omnium immunes, communes tamen

domitos insigniter exegerant. Huius populi gloria vel eo prædicari debet, quod amicior omnium libertati, quàm suæ fuerit dominationi. Flaccus Ordeonius Galliarum Præfectus, tanto periculo suarum rerum exanimis, frustra occurrere furentibus conatus est. Legatum Lupercum cum aliquot legionibus Vbiorum, Treuerorum & Batauorum, qui nondum fidem Romanam exuerant, equitatu auctum, in hostem dimittit: sed diffugientibus primo conflictu auxiliaribus, recedentibusque ad suos Batauis, cæduntur plurimi, paucis ad castra effugium fuit. Inde promotis vltra copiis, Bonnensi victor prælio, cùm Ciuilis nihil hostile amplius auderet, quò securiùs consilia exequeretur (nam in prospera quamuis Fortuna vim & Fortunam Romanorum pertimescebat) suos in verba Vespasiani adigit. Vitellianorum igitur castra corona circundat, aggreditur: multâ suorum cæde pulsus, ab expugnatione haud destitit, missos subsidio cum Voculâ Gallos qui Vitellij Sacramentum pertinaciter retinuerant, primo impetu fudit improuisos: mox nouo submisso auxilio, fortuna pugnæ mutatur: nam à Vasconum cohortibus, quas Galba nuper legerat, circumuenti Bataui, vasta cæde profligantur. Nihilo secius Ciuilis castrorum obsidioni incubuit, tandemque ad deditionem obsessos Vitellianos fame compulit. Vascones insequuti contra pactũ Bataui, in superioris cladis vindictã, vt vel eò facinore acceptæ

ab iis iniuriæ memoriam abolerent, nihil tale data fide suspicantes immaniter conciderunt.

CAPVT VICESIMVM SECVNDVM.

Galli Imperium affectant.

AVdita interim per Gallias Vitellij mors, turbis maioribus bellum auxit: quippe Galli cùm in Pannonia, Sarmatia, Dacia, Mœsia, vicináque Britannia tumultuari audiissent; tollunt animos; Treuiris ac Lingonibus præcipuis rei turbandæ authoribus: nec parum accensi vana Druidarum superstitione; ob incensum his ferè temporibus Capitolium, quo incendio Transalpinis gentibus imperium orbis terrarum portendi canebant. Magna igitur elati spe in Romanos impetum fecissent, ni Voculæ artibus, egregiáque dissimulatione, furentibus foret occursum. Tandem eò ventum turbarum, vt Vespasiani metu, cuius res magnæ ac validæ nunciabantur, Romanus exercitus in Gallorum verba iuraret: ac præmisso sacramento, necè aut vinculis legatorum pignus societatis sanciretur: frustra disserente contra Vocula, quem pudore facinoris de supremis agitantem, liberti seruíque, ne fœdissimam mortem sponte præueniret, elato iam in pectus ferro, vi attinuere: cuius [illegible] cædem Classicus misso

Vespasianus Imp.

desertore maturauit. Cæteros vinciri iussit, quibus peractis adacti in eadem verba, qui apud superiorem Rheni ripam milites erant: inde Agrippinenses. Ciuilis tamen, (pro authore cœpta rebellio) neque se, neque Batauum quemquam in verba Galliarum adigi passus est, quamuis Romanorum apertè hostis: Centuriones & Tribunos seruari in Gallia, pignus societatis probauit. Videre erat reuulsas imperatorum imagines; fulgentibus hinc inde Gallorum signis, duobus imperatoribus Classico & Ciuile Gallias Germaniasque in pristinam libertatem asserentibus.

Ausus etiam, quanta omnium rebus turbidis licentia erat! Iulius Sabinus (quo nuper Duce Lingones alijque iugum excusserant Cæsarem se, & D. Iulio genitum prædicare, sed à Sequanis breui fusus, festinatum temerè bellum metu grauioris damni deseruit, Cuius fortuna moti aliqui Gallorum Principes ac ciuitates, conscientiâ violatæ fidei & sceleris sui, fas & fœdera cum Romanis inita respicere occipiunt. Huius consilij principes suasores Rhemi, Romanorum societate ac perantiquâ fide insignes; aduentantibus inde cum Domitiano Vespasiani filio, & Mutiano Duce egregio, validissimis legionibus, extincta rebellio: nam earum metu perculsi Galliarum proceres armis abstinuerunt, neglectis belli incentoribus ac Tullio imprimis Valentino Treuero, miscendis seditionibus idoneo, Nihilo secius Ciuilis ab incœpto

Vespasianus Imp.

destitit; sed Belgarum auia circumiens, molem exercitus Romani in se traxit. Cerealis in eum multis legionibus succinctus, iis etiam fretus quæ sacramentum receperant, expeditur : dumque passim clementiæ ac lenitatis fidem, (quæ res valere plurimùm solet) in dedititios facit : Ciuitates munitissimæ vltrò Romanorum partes, quanquam ferociter defecissent, amplexæ sunt. Ciuilis aciem in Romanos direxit: ac celeritate vsus, tam opportunè hostem impetit, vt vno nuncio pugnari simul ac vinci suos Cerealis audierit. Desciuissent iterum à duce Romano, nisi viri turbatis in rebus intrepidi authoritas nutantes continuisset; instant trepidantibus Romanis. Galli pro libertate, pro gloriâ, pro præda, prælio intenti: vix ruentes prohibent : sternebantur ad internecionem Romani, nisi legionis vicesimæ primæ accursus stitisse impetum: iuuit etiam Romanos insigniter prædę consectandæ studium : nam enato, vt fit, ex direptione certamine, dissidentes adortus Cerealis, amissas res instaurat : Castris potitur & victor exercitus terrorem latè circumferens, regionem omnem receptis oppidis occupat. Agrippinenses suorum clade territi, vxorem sororemque Ciuilis, relicta sibi belli pignora, cum oppido tradidere: hoc pretium victoriæ fuit haud expectatæ, quamque Romanis, hostium incuria potius quàm sua virtus pepererat. Neruij Tungrique in deditionem recepti.

CAPVT VICESIMVM TERTIVM.

Galli rebelles deditionem faciunt.

Vespasianus Imp.

QVo ferè temporis tractu, Vitellij filius, quasi eius vita ac salus imperij tranquillitatem distineret. Mutiani iussu est interfectus. Domitianus antequam Alpibus propinquaret, rerum feliciter in Galliis gestarum nuncios excepit inde Lugdunú ventum est, vbi saltem è proximo vim ac fortunam paterni principatus ostentaret. Sed iam confecti belli gloriam compulso in suas paludes Ciuili ad se traduxerat Cerealis, licet crebris nonnunquam ab hoste damnis, victoriæ nuper partæ fama extenuaretur. Nam *sæpe crebra etsi modica damna famam partæ victoriæ lacerant.* Petentem legionum imperium Domitianum, salubri temperamento eludens, interiora Batauorum haud paucis suorum præaltis gurgitibus haustis, subiit tandem. Instabat vltimum partibus certamen ac discrimen si vincerentur: Itaque Ciuilis & Cerealis ad maturandum summæ rei pondus, suos spe, gloria, pudore, ignominia diuersis vterque motibus erexere. Compulsus iterum in insulam Ciuilis, vt iter ad se præcluderet, direpta Germanici mole, Rhenum, versis aggeribus effudit in plana. Tentauit insuper belli fortunam, & ambiguis

Tac. 4. hist.

Tac. l. 5. hist.

sæpè

sæpè præliis conflixit. Sed profligatus acie, dum fugientes reuocat, agnitus petitusque telis, relicto equo trãnatauit: nec quidquã vltra mouit in Romanos, sed dedentibus se Batauis, cum Cereali collocutus, memorata vetere cum Vespasiano, cum adhuc priuatus ageret, amicitia: seque ad bellum gerendum ab Antonio Primo Vitellij interfectore accitum dictitans, ne Germanicæ legiones, & Gallica iuuentus Alpes transcenderet, damnata penitus turbarum memoriâ in fidem & gratiam Romanorum restitutus est.

CAPVT VICESIMVM QVARTVM.

Galliarum quies sub Vespasiano & Tito. Impp.

COmpositis per eum modum Galliarum tumultibus, ingens Vespasiano quies, nulloque iam repugnante, tot Principum iteratis cædibus, & ferocissimarum Gentium rebellione incertum diu, & quasi vagum imperium suscepit, firmauitque tandem Flauia gens; anno vno ac diebus XXII. ab excessu Neronis vsque ad Principatum Vespasiani imperatoris intercedentibus. Reuertentem circa hæc tempora ex Britannicâ legatione Agricolam Patritium, Vespasianus Aquitaniæ, splendidæ dignitatis administratione ac spe mox Consula-

Suet. c. I. in Vesp. Xiphil.

tus, cui destinatus erat, præposuit: vbi per triennium circiter quietissimè integerriméque versatus, magnum sui desiderium discedens reliquit. Nec ita pridem ante, excisa funditus Hierosolymorum ciuitas, cum Iudæorum propè omni stirpe. Non in Christianos Vespasiani ac Titi filij (eius nimirum quem delicias suas orbis omnium ore ac sensu appellabat) temporibus sæuitum; si vnius propè Lini 2. Rom. Pontificis excipias cædem: hic Saturnini viri Consularis iussu obtruncatus est.

CAPVT VICESIMVM QVINTVM.

Gallia sub Domitiano.

SEd Domitianum se habere hostem mox experti; cuius crudelitatem satellites immanissimi promouentes, edictis teterrimis in Pios grassati sunt, nonnunquam & cædibus alios quippe exitio, nec paucos supplicio affecit. Christi propinquos ad se deductos, quia pauperes, ludibrio habuit despexitque: *nihil inde timendum dictitans, vbi tanta egestas reperiebatur. Nec eo ingeniosam esse paupertatem vt sceptris assurgeret.* Nihil hoc imperatore notatu dignum gestum in Galliis: id vnum comperimus, vitium cultura Gallis interdixisse. Quâ id mente egerit, dubium: coniectura est; ple-

Domitianus Imp. A. C. 862. Domitianus Imp. A. C. 90. Cedrenus.

rumque temulentos ad rixas & rebelliones incendi Gallos resciuerat: nam vbi ea gens vino incaluit, nihil indomitum, nihil inausum: prona omnia ac facilia putat: debellatura, vt de Macedonibus ferunt, super mensâ Alexandrum. *Curt. l. 7.*

CAPVT VICESIMVM SEXTVM.

Gallia sub Nerua & Traiano.

SIc ab Occidentalibus plagis eiecta bellorum materies, Orientem per aliquot annos exercuit: vt vicissim pax bellaque succederent, aliæque gentes aliis quiescentibus, motibus suis ac tumultibus quaterentur. Namque vbi Neruæ Imperatoris delectu Traianus in Cæsarem ascitus est, is breui Coloniæ Agrippinæ ob eximias & principe dignas virtutes salutatus Imperator, rerum strenuè gerendarum studio, ac donandi immortalitate nominis desiderio patriâ propensione, nam Hispanæ originis erat, flagrans, Orientem peragrauit. Armeniam, Syriam, Mesopotamiam in prouinciæ formam redegit. Dacos, Scythas, Sarmatas, aliasque infestas Romano nomini nationes subiugauit. Indis aliisque incognitis Romanis gentibus bellum illaturus erat, nisi altos spiritus consiliaque magni Principis, fatum præcidisset. Magnæ in hoc Principe virtutes eluxere, sed *Nerua Imp. A. C. 99. Traianus Imp. A. C. 100. A. C. 101.*

eorum ſplendorem haud leuis in Chriſtianos crudelitatis turbo excuſſit: *Adeò nemo extitit cuius virtutes nullo vitiorum confinio læderentur*, ab eo quippe quarta & grauis tempeſtas in Pios exorta; magnum reipublicæ Chriſtianæ vulnus impreſſit: detonuit tamen & paulò remiſit ſeueritas edictorum, vbi per Plinium Secundum vitæ innocentia Paganis ipſis ſtupenda & admirabilis innotuit conſtititque: quippe reſcripſerat imperatori Præfectus, *Chriſtianos ſe ſacramento non in ſcelus obſtringere, ſed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent*, tanta nimirum Chriſtianæ vis Religionis, tanta vitæ innocentia; vt qui ſine ſcelere & ſine maculâ viuerent, iidem vel hoſtium teſtimonio niterentur. Dionyſium tamen, &, vt nonnulli volunt, Creſcentium Viennenſium, alioſque aliarum ciuitatum in Galliis Epiſcopos, turbo ille violentus corripuit. Cæterum tantùm Traiani memoriæ delatum eſt à poſteris, vt in Senatu Principibus acclamaretur, SIS AVGVSTO FELICIOR, MELIOR TRAIANO, adeò *magnum eſt ad nominis immortalitatem benefacere.*

Plin. Pan.

Traia. Imp.

Plin. l. 10. Epiſt. 97.

A. C. 110.

CAPVT VICESIMVM SEPTIMVM.

Gallia sub Adriano & Antonino Pio.

TRaianum excepit Ælius Adrianus, peragratione itinerum & lustratione prouinciarum celebris, in Galliam profectus, cùm quietam reperisset, traiecit in Angliam: vbi Barbarorum excursiones, muro per LXXX. milliaria ducto coercuit. Inde in Galliam reuersus Nemausi magnificentissimas ædes Plotinæ Traiani vxori, beneficiorum memor extrui curauit. Sic ea ciuitas imperatoriæ liberalitatis insignia præferebat, quæ mox imperatorem orbi Romano Antoninum Pium concessura erat. *Adrianus Imp. A. C. 120. A. C. 130. Iul. Capit.*

Quietæ tum Galliæ: nec, si in tumultus erupturæ essent, popularis sui tranquillem, ac verè pium imperium turbare ausæ sunt; ac eius potissimùm principatum, qui non Christianorum sacra tantùm non odisset, vt probaret, amaretque. Itaque professus palam *non oportere ab seueritate suppliciorum Principatus exordium ducere,* vir ad omnem clementiæ speciem compositus, edicto vetuit in eorum mores ac vitæ innocentissimæ rationem inquiri, quos Christianos appellabant. *Anton. Pius. Imp. A. C. 140. A. C. 150.*

CAPVT VIGESIMVM OCTAVVM.

Gallia sub Ant. Aurelio & Lucio Vero impp.

A. Aurelius & L. Verus Imp. A. C. 63.

SEd quàm *breuis est & lubrica rerum humanarum felicitas!* Tranquillam religionis faciem subita ac fœda tempestas discussit, citò illa pietas incredibilis, in singularem impietatem deflexit. Antonino Aurelio Philosopho & Lucio Vero imperantibus, tota se inferorum eluuies in Christianos atrociter effudit. Tum primum eos vidit Gallia, qui non benè singuli, vt antea, sed confertim ac turmatim pro religione sanguineos amnes profunderent, præcipua tantæ immanitatis facinora vidit luxitque Lugdunensis Ciuitas. Tantùm ibi effusum Christiani sanguinis, vt qui prius Araris (quo flumine Lugdunum præterluitur) vocabatur, sanguineus & voce corrupta: *Sangona* ab fuso immaniter sanguine, quo amnis rubuerat, diceretur. Quis mirabitur in tanta plusquam ferinæ immanitatis licentiâ ac ferocia, ruptam populorum pacem, & longam orbis quietem passim gentium rebellione violatam fuisse? Parthorum Rex Vologesus audito Pij excessu, geminis imperatoribus bellum grauissimum mouit; Atidium Cornelianum Syriæ rectorem, antequam Rom. exer-

citus omnia vaſtantem ſiſterent, ingenti clade profligauit: eò miſſus Verus qui rebus feliciter geſtis, ſibi ac fratri Parthici agnomen peperit. Britanni ab iugo reſiliebant; Carti in Germaniam ac Rhœtiam irruperant: Mauri Hiſpanias, Ægyptum collecti ex agris milites euaſtabant: Marcomanni aliique Barbari & Quadi graue bellum Pop. Rom. conflauerant, vna denique penè vniuerſi orbis in Romanos conſpiratio. Sed quæ ab Illyrici limite in Galliam pertingebat, quo propior, eo grauior erat; huic maiori apparatu rerum incumbendum prudentiſſimus quiſque iudicauit. Hos toto pene orbe tumultus, ſi Galliarum defectio auxiſſet, haud ſanè pari facilitate Romani exercitus compoſuiſſent. Nec paſſim fuit in tota Gallia quies. Turbarunt Sequani: eò Victor iam cæterorum Antoninus, ne contagione latius ſeſe rebellio diffunderet, imprimis veritus, maturauit: ac ſuâ facile authoritate in officio continuit, quanquam eo digreſſo maiori ſtatim tumultus exarſerint; nam ſuperatis cum exercitu Alpibus, in Italiam eruperunt: ſed cum inconditis ſuo more agminibus paſſim graſſarentur, occurrit Marcus Pompeiano ac Pertinace legatis copiarum inſtitutis, quo facilius victi proſtratique ſunt. Fama eſt inter cæſos ordinum cumulos, repertas, mirum dictu, mulieres, quæ vt virili animo, ſic habitu decertantes, dignum viris exitum in acie occumbentes ſortitæ ſunt.

A. Aurelius & Verus Imp.

Zon. Xiphil.

Nec minus dignam memoratu rem præ-

terire silentio vllo modo possum: quamquam enim propositi forma operis festinationem magis, quàm moram in rebus potissimum ab instituto meo alienis, videatur exigere: cogit tamen nonnunquam stylum externa virtus, & properanti manum iniiciunt orationi, aliarum plerumque gentium facta illustriora. Occupato igitur contra Quados Antonino, conclusas angustis & arentibus locis copias multa quidem incōmoda, inuaserant, sed siti potissimùm ex ardore solis vexabantur: nec adaquationis ratio vlla relicta miseris, cùm hostilibus vndique copiis clauderentur. Itaque primum animi, deinde corpora, vt Alexandri quondam militibus apud Susitanos contigerat, cœperunt deficere: crescebat desperatione sitis; eaque flagrantissimo optati remedij desiderio augebatur: Fortè Antonino militabat legio Melitensis, tota ex Christianis militibus constans: hi cum imperatoris precibus inducti, Christo supplicassent; ecce collectis repente nubibus, nam cœlum patentissimum erat, tanta vis imbrium decidit, vt siti enectus exercitus recrearetur. Nec solum id à Deo beneficiū fuit: nam fulmina fulguraque cum grandinum nimbo, ex aduersâ parte coruscarunt, totúmque Quadorum exercitum insequentibus tutò Romanis conciderunt. Tum edicto cautum ne Christiani, quibus antea, pœnis ac contumeliis afficerentur. Atque vt celebris extaret rei tantæ memoria, Melitensi legioni FVLMINANTI cognomentum inditum est.

Oros l. 7. c 15. Xiphil. A. C. 176.

A. Aurelius Imp.

CAPVT VICESIMVM NONVM.

Gallia sub Commodo.

Fouit eam Christianorum tranquillitatem Commodus Antonini Philosophi, quamquam tanti parentis degener filius, non amore quidem religionis, sed Martiæ pellicis Christianæ mulieris affectu: hanc enim vxoris penè loco habuit, nec quidquam petenti recusare sustinebat. Quo tempore Materni audacissimi militis rebellione, in summum vitæ discrimen Commodus adductus est. *O quàm paruis veniunt summa mala principiis!* tenue principium mali, sed Prætorum ignauiâ incuriâque tantum euasit, vt iusto exercitu, in Maternum fuerit opus, quippe is ascitis in societatem consiliorum facinorosis commilitonibus, & quibus ex egestate promptus ad scelera animus esse solet, ingentem breui sicariorum manum composuit: eò facilius ac promptius ad latronis vexilla confluentibus perditis, quòd prædæ communione sibi eos astringeret. Sic breui grassatorum exercitus, vt dixisse imperatori Sacramento crederes, coaluit: dein quasi puderet Maternum agrorum vastitatis, vrbes inuadit, effractis carceribus vinctos ad signa vocat. Præcipuus rebellium furor Galliam Hispaniamque rapidissimi incendij instar

Commodus Imp.
Herod. 1.
Xiphil.
Lat. Pac.

corripuit: euastatis nobilissimis regionibus, diuersis agminibus quò latius popularentur, Italiam occupant. Nec maior Hannibalis olim Romæ aduentu nunciato, consternatio, haud dubiè aliquid ille magnum ausus foret, aut si fors adfuisset, fecisset; ni proditus à suis, capite multatus fuisset. Cæteris diffugientibus in diuersa, pax ingens, quam occultæ tamen Læti Electique insidiæ mox imperatoris cæde indignissimâ violarunt. Quo tempore arsit Romæ magno literarum damno Bibliotheca, singulari maiorum curâ studioque composita, cùm priùs ictum fulmine Capitolium flagrasset. Lucius etiam Britanniæ Rex, frequentibus Christianorum miraculis persuasus, religionem amplexus est. Britannorumque inaccessa Romanis loca (non enim totâ insulâ ante hæc tempora potiti sunt) Christo subdita, pietatis simul ac cultioris vitæ luce clarissima nituerunt.

Commodus Imp. A. C. 194.

Ado in Chron. Tertull. c. 7. cont. Iud.

CAPVT TRIGESIMVM.

Gallia sub Pertinace, D. Iuliano & Seuero Impp.

NOn diuturna Pertinacis optimi & integerrimi senis, non Didij Iuliani, qui imperium à militibus Prætorianis aureis circiter CCL. in singulos collatis fœdè emercatus fuerat, dominatio: vtrùmque prolapsi in seditionem milites interfece-

Pertinax & D. Iulian. Imp. A. C.

runt, tanto motu conuulsum imperium est, vt à diuersis distractum Principibus nulla ferè sui parte cohæreret. Seuerus ab Illyricis exercitibus in Pannonia apud Carnutum, magis in Pertinacis vindictam, quam vt imperium merito deferrent, appellatus est imperator. Tùm exauthoratis primum Prætorianis; æmulos potentiæ suæ armis persequitur, ac Nigrum quidem Pescennium, qui Antiochiæ in Syria salutatus imperator ab suis fuerat, capto excisoque Byzantio, vita pariter imperioque exuit. Clodium Albinum, is in Britannia Galliaque imperatoriam dignitatem pari quo cæteri iure inuaserat, collatis apud Lugdunum in Gallia signis profligatum ad mortem sibi consciscendam ex grauioris pœnæ metu compulit. Seuerum iuuisse ferunt insigniter Numerianum quendam Grammaticum, hic Roma in Galliam profectus, tanquam ab Seuero missus, nam Senatorem se simulabat, ita se gessit adeoque callidè, vt copias ingentes coegerit; ac contractis ex occursu leuibus prœliis Albinum afflixerit. Tum maiore comparato exercitu, collectaque in Galliis pecunia, magnum superiori victoriæ adiumentum dedit. Euocatus ab imperatore Numerianus, Senatorij ordinis quam finxerat dignitatem, oblatam constantissimè recusauit: Sed spretis opibus ac honoribus, qui summi ab Seuero deferebantur, paruo contentus, ruri feliciter consenuit. Quis eum virum non mirabitur, qui tanto ambitu pastorum casas quæsierit,

CXCV. *Xiphil.* *Herod. l.2.* *Orof. l. 7. c.16.* *Seuerus Imp.* *Eut. l.8.* *Seuerus Imp.* *Xiphil.*

Sen. Agamem. quanto ab superbis aulæ Principum frequentari solent? nimirum ille *modicis rebus longius æuum* esse didicerat.

Hierodian. l. 3. Seuerus igitur tanta celeritate ac felicitate confectis tot bellis, totque imperij æmulis sublatis, in Britanniam è Gallia traiecit: compressis muro siue vallo ab vtroque mari ducto Barbaris, quod idem fecisse Adrianum iam prædiximus, senex admodum fato obiit Eboraci. Huius temporibus, *Tertull. Apolog. 35. & 37.* quanquam initio Principatus propensiore in Christianos affectu ob restitutam sibi à Proculo, qui eam vitæ rationem sequebatur, valetudinem, videretur: contracta ex *A. C. 200.* florentibus per id temporis religionis rebus Gentilium inuidia, impiorum ferox rabies in Christianæ pietatis cultores imma- *Niceph. l. 4. c. 26.* niter efferbuit: ac Lugduni potissimum, vbi magnæ eruditionis ac Pietatis eximiæ Irenæus, vna cum omnibus ferè eiusdem ciuitatis Christianis, à Seueri militibus interfectus, fusũ nuper tot piorũ sanguinem, suo sanguine renouauit. Sæuiit etiam atrociter in suos Seuerus, *Verè imperator nominis sui, verè Pertinax, verè Seuerus, & Sylla Punicus* à familiaribus diceretur. Agi- *A. C. 205. Spart. in Seu.* tatum etiam circa ea tempora à Patribus Christianæ religionis, decretumque, amandato Iudæorum more, vt prima post XIV. Martij Lunam Dominica die, sacer resurgẽti Christo dies passim vbique terrarum ageretur.

CAPVT TRICESIMVM PRIMVM.

Gallia sub Ant. Caracalla.

DIuisum fratribus imperium, Bassiano *Anto-*
(quem ab vsu Gallicæ vestis ad talos *nin.*
demissæ, Caracallum appellabant) & Getæ, *Cara-*
natura dissimillimis; citò alterius cæde, in *calla*
Iuliæ matris sinu, vni cessit. Tum velut eo *Imp.*
parricidio authoratus Bassianus in opti- *A. C.*
mum quemque, quorum clarissimus fertur *214.*
Papinianus Iureconsultorum facilè Prin- *Herod.*
ceps, ferro grassatus, ad prouinciarum *l. 4.*
etiam direptionem animum ac manum *Dio.*
adiecit. Prima omnium ferocem excepit *Spart.*
expertaque est Gallia: domesticis cædibus *Victor.*
cruentus, in eam Galliæ partem, quæ Narbonensis appellatur, crudelissimus carnifex profectus, non Principem, sed Tyrannum immanissimum, non imperatorem, sed expilatorem agens, exhaustâ regione Proconsulem iussit trucidari. Tantus inde cæterorum terror qui res agebant, fuit, vt non itineribus eius modò perterrerentur, non aduentu commouerentur, sed ne aspectum quidem ferre vllo modo possent. Ciuitatibus iura sua & immunitates, hominibus Gallis libertatem, quæcumque demum illa erat, quâ nihil huic genti pretiosius est, eripere statuerat, cùm eum opportunus morbus repentè inuasit, ex quo vbi

conualuit, parata in Orientem profectione, grauissimis quibus haud dubiè iactata fuisset turbis, Galliam fortuna liberauit. Alexandriam, Parthos, Germanos, Getas, partim vi, partim dolo oppressit. Sed Macrini coniuratione Tyranno finis, crudelitati modus, per Martialem gregarium militem impositus est apud Carxas.

CAPVT TRICESIMVM SECVNDVM.

Gallia sub Macrino Heliogabalo & Alex. Seuero.

Macrin Heliogab. Imp. Nihil Opilij Macrini, nihil Heliogabali principatibus gestum quod hic proferamus. Augebatur sensim Christianorum pietas remittente paululum Tyrannorum sæuitia, aut ex nimio luxu orta negligentia, Religionis partes parum curante: quanquam nō integra ac solida pax obuenerit Christianis, cadentibus nonnunquam ferro aliisque cruciatibus, qui eas *Alex. Seu. Imp. A. C. 225.* partes sequerentur. Nec Alexander, quam seueritatem nomine ipso præferret, cùm esset à cædibus & crudelitate omni quam maxime abhorrens, ad humanitatem verò *Orig. contra Cels.* & beneuolentiā in omnes propensissimus, in Pios exercuit; hinc laudatissima eius vox *Cyp. ep. 68.* repetita identidem, & publicis in operibus aureis perscripta characteribus: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: ex Mamææ

Matris Christianæ mulieris, vt creditum est, consilio; quippe quam Magnus ille Origenes Christianis sacris imbuerat. His tantùm non infensus infestusque, vt faueret vel maximè: nam etiam de templo Christo extruendo cogitauit: quod piissimum imperatoris consilium cùm Ethnici sacerdotes, tùm imprimis Vlpianus & Paulus Iureconsulti clarissimi, cæterùm Christianorum capitales hostes, prohibuere. Rerum insuper grauissimarum mole pressus aliò animum conuertit. Nam Persarum Rex Artaxerces Orientis prouincias fœdè euastabat. Germani Rhenum ac Danubium diuersis agminibus transgressi, vario imperatorem metu distraxerant: nec leue periculum ex Pannonia, Illyrico, Italiáque impendebat, cùm alia ex parte Germanorum excursionibus Galliæ vexarentur. Relictis itaque Orientis rebus, impositis quacumque opus erat, præsidiis, eò quàprimùm aduolat, vnde maius reipubl. damnū hostis intendebat: missis qui Danubium transgressos reprimerent, ipse ad Rheni ripam cum validissimis copiis festinauit. Pugnatum est aliquot pugnis leuioribus ex occursu copiarum, nonnunquam etiam collata acie res gerebatur, maiori sæpe damno Germanorum, quo mirum magis videri debet, missis ad hostes oratoribus, pacem ab iis qui bellum mouerant & inferiores acie discesserant, ingenti pecunia imperatorem fuisse emercatum. Inde amicis pudor, militibus ira; quam vehementer

ad Hist. Herodia. l. 6.

Alex. Seu. Imp.

C. A. 238. Eutr. l. 8. Herod. l. 7.

auxit, vbi veterem castrorum disciplinam, quæ planè conciderat, reuocaturum se professus est; exauthoratis illicò aliquot Galliarum cohortibus, pronos ad res nouas militum animos, minus iam lucrosum imperium omni pridem consumpta ambitione aspernatos, adeò accendit vehementer, vt ascito in imperatorem commilitone Maximino, Alexandrum cum Mammæâ parente sæui obtruncarent apud Moguntiacum in Galliis.

CAPVT TRICESIMVM TERTIVM.

Imperij Romani turbæ sub Maximino, Gordiano & Philippo Impp.

Maxim & Gordian. Imp. A. C. 240. Iulius Philippus Imp.

VIx vnquam patuit manifestiùs, *Iniqua nunquam regna diu quieta* consistere. Non Maximini, non Pupieni & Balbini, quos ille in Cæsarum dignitatem euexerat, non Gordiani & aliquot insequentium, quos partim Senatus, partim exercitus seditiosè ad dignitatis imperatoriæ fastigium promouerant, longa in principatu quies: hos ad mutuam cædem incitantibus principibus viris, ex vsitatissimis & quasi innatis iis qui præsunt rebus, inuidiâ ac superbia. Nec parum eam imperij perturbationem, grassandique impunè per mutuas cædes licentiam promouit, hinc Senatus ignauia ac stupor, inde legionum auaritia

fœda; tumultuantibus interim prouinciis, quas Prætorum adiuta discordiis Romanis insolentia vexabat spoliabatque: quantula quies à tot turbis succisa est, millesimo à Condita Vrbe anno, singulari apparatu ac pompa celebrando impenditur: Post tertium scilicet imperij annum M. Iulij Philippi, quem primum omnium imperatorum Christianum fuisse nonnulli constantissimè affirmant. Spes erat fore quietissimos, qui Christo nomen dederant, nisi tumultu militari, ac Decij imprimis fraude cum Philippo filio consorte imperij, Iulius Philippus fuisset oppressus.

A. V. C. 897. A. C. 247. Capitol. in fine Gordiani. Oros. l. 7. c. 20 Cassiod. in Chro. Euseb. 6 hist. c. 27.

CAPVT TRICESIMVM QVARTVM.

Gallia sub Decio, Æmiliano & Valeriano Impp.

Sensit mox optimi Imperatoris casum religio, & efferatam Decij rabiem pro Philippi humanitatem habere se orbis indoluit. Sæuitum est in Pios immaniter: compulsique ad idola, impietatem sanguine redimebant Christiani.

Decius Imp.

Quo tempore Galliarum tumultus, Germanorumque cis Rhenum excursiones imperatorem ad sese euocarunt: sed eos motus breui expeditione compressit, extinctis seditionibus, Germanisque vltrà suum amnem compulsis. Tum primùm Gothi, im-

A. C. 252.

manissima gens, imperium Romanum ingressi sunt: hos grauissima clade afflixit Decius, sed à Gallo Hostiliano proditus, cæso à Barbaris exercitu, & ipse cæsus est.
A. C. 254. Nec proditor diu fœlix, (si potest vlla esse in scelere felicitas) pactus cum Barbaris,
Æmilianus Imp. qui iam multas imperij prouincias armis inuaserant, pacem indignissimam, ab iis interfectus est, qui imperio deinde potiti sunt. Vixque post tertium dominationis mensem Æmilianus pari ac cæteri ratione habitus est: nam ab exercitu Galliarum, qui compositis in prouincia rebus, in Rhetiam & Noricum progressus fuerat, Valerianus in imperatorem ascitus, mox Æmiliani cæde principatum stabiliuit. Sic cædi-
Valerianus Imp. A. C. 256. bus empti imperatores, non nisi eo quo fuerant modo imperium adepti, spoliari poterant; perque infectum aliorum cruore, iter incedentes ascendentesque, lubrico ac facili lapsu, tum cùm tutissimi videbantur, à summo in imum prouoluebantur hunc in modum, nobili eorum quos altè euexerat cruore ludente fortuna. *Valet ima*
Horat. Od. 1. *summis vertere, & insignem Deus attenuat, obscura promens.*

Gallienus Cæsar Valeriani filius Gallias à Transrhenanis gentibus continenter vexatas quieti restituit: sed in Oriente res infeliciter gestæ sunt à Valeriano; quippe captus à Sapore Persarum Rege, præterquam quod, *In seruitutem cadere de regno*
Sen. Theb. *graue est*, ea insuper contumelia à victore affectus est, vt inscendenti equum Regi

curuato corpore esset pro suppedaneo. Sic calcato imperio insultabat Sapor. Post vincula Valerianus ne functus fato quiesceret, fœdè laniatus, excoriatus & sale conditus Regiæ infœlicitatis exemplum dedit. *Ecquando tulit documenta fors maióra, quàm fragili loco starent superbi?* tum ab irrumpentibus vndique Barbaris gentibus Romanum imperium quasi fortunam Principis sui sequeretur, lacerari fœdiùs quàm antea cœpit. Græciam, Macedoniam, Pontum, Asiæque partes nobilissimas Gothi occupant: vt eo velut grassationis initio, maioribus mox Italiæ, Galliæ, Hispaniæque cladibus se accingerent. Pannoniam Sarmatæ, Syriam & Mesopotamiam Parthi, Græciam Scythæ euastata ad singularem imperij Romani infamiam Italia, inuaserunt. Germani cæsis ac profligatis legionibus ad Rheni ripam, Galliarum viciniores Rheno regiones, maioribus quàm nuper cladibus afflixere.

CAPVT TRICESIMVM QVINTVM.

Franci sub Gallieno.

INuitati tot vndique turbis Franci, quorum originem sequenti mox libro aperiemus, per Galliarum direptionem in Hispaniam magna vrbium euastatione penetrarunt: direptoque Tarraconensium *Gallienus Imp. A. C. 263.*

Eutr. l. 9. Aur. Victor. oppido, in Africam vſque permearunt. Stupebat interim Gallienus, vino luſtriſque Romæ confectus: quaſi alienas à ſe imperioque clades audiret, imo videret, ac propè ſentiret, proiicebat tamen. Dixiſſes quietum orbem in tanta Principis pace: aut certè deſperatis rebus fortuniſque ſuis, cum ſeruare non poſſet, Romanam Rempubl. permiſiſſe naufragio. Nam ventis vndique ſæuientibus publica nauis iactabatur, ima ſummis, paruis maxima toto orbe miſcebantur. Nec vnus eo tempore imperator Gallienus audiebatur in caſtris, ſed diuerſis lacerata Principibus, quæſita ab Auguſto aliiſque dominatio ſubiacebat.

Interfecto Coloniæ Agrippinæ Salomino Gallieni filio, C. Poſthumus imperium Galliarum inuaſit. Hic pulſis Germanis, tanto ſibi Gallos beneficio deuinxit, vt ſpreta imperatoris Romani ignauia, vltro eius partes amplecterentur. Gallienus eo nuncio conſternatus, vt *ferè multos contra ingenium, perditæ res ſubigunt recta conſulere*; velut excuſſo vitæ ſolutioris veterno, quippe qui domeſtica atrociùs quàm publicis cladibus læderetur, in Poſthumum Francorum opibus & Gallorum potentia ſuccinctum, cum ingentibus copiis feſtinauit. Sed relictis Lolliano ac Victorino Ducibus, in Orientem, quò illum grauia æquè bella reuocabant, magnis itineribus contendere cogitur: hi à Poſthumo profligati, mox poſt decimum circiter annum, eundem per concitatos milites interficiunt.

Aur. Vict. Trebell. Pollio. Zon. in Gall.

Sed pertæsi Lolliani austeros seuerosque mores, pari qua æmulum pœna affecêre, non felicior Marij ferri opificis, nec Victorini fortuna, aut vitæ exitus nobilior: sua quemque vitia abstulerunt. Prô fidem literarum ac scriptorum! vna muliercula (huic Victoriæ nomen) Victorini vxor, feroces militum animos cruentasque repetitis tot cædibus manus continuit: emptum pecunia imperium Tetrico Aquitaniæ præfecto propinquo suo callida mulier, tot iam crudelitatis exemplis edocta fluxam legionum fidem transmisit.

Pari tumultu cæteræ orbis Romani gentes conuulsæ variis Principibus obnoxiæ abripiébantur in diuersa: Mysia, Illyricum, Italia, Transmarinæ etiam regiones, Ægyptus, Thessalia, Mauritania, Africa, totus orbis totis sui partibus distrahebatur. Fortuna Gallienum in Italiam reuocauit, vbi velut è specula, naufragium rerum suarum despiceret: ac breui miserabili vitæ exitu Aureoli, qui Rheticis legionibus præerat, artibus periturus, cum Valeriano fratre, apud Mediolanum occideretur.

CAPVT TRICESIMVM SEXTVM.

Gallia sub Claudio & Aureliano.

Claudius Imp. A. C. 270. Aur. Victor. Treb. Pollio.

CLaudius ab exercitu primùm, mox recepta confeſtim Mediolani vrbe, à frequenti Senatu imperator appellatus, cùm Gothos in Macedonia; in Italia Germanos ad Mincium amnem profligaſſet, graſſante in exercitu grauiſſima lue, hominem cum purpura tertio imperij anno exuit; Quintilius eiuſdem frater, ob nimiam integritatem ſeditione militum XVII. principatus die occiſus eſt. Tetricus interim Galliarum Hiſpaniarumque, vires Reipublicæ præcipuas, opes tenebat: his munitus Germanorum aliorumque incurſus vindicat inſigniter: Cuius Principis conſilium aut laudare, aut vituperare non ita in promptu eſt. Dubium, moderationi animi, an puſillanimitati factum ſit adſcribendum: is ſumpta imperij apud Burdegalam purpura; Cæſareiſque inſignibus filio cognomini collatis, tædio (vt creditum eſt) militarium ſeditionum, tot turbas ſua ſuorumque pernicie vindicaturus, abiectis imperij notis, Aureliano Sauromatum, Scytharum, Gothorum ac Perſarum victori, totum ſe ſuaque omnia, exercitûs proditor ſui permiſit: cùm antea reſcripſiſſet. *Eripe me his inuicte malis: ignarus regnandi*

Claudius 2. Imp.

qui suorum odia nimium pertimescebat. Sed quis beneficiis seruat fidem? Aureliano aduentanti vt in hostē (nam ita conuenerat) producta ad speciem acie, inter pugnam dedidit se Tetricus. nec difficulter deinde, vti rectore nullo solet, turbati ordines oppressi sunt: cùm se ab imperatore suo proditos frustra proclamarent, salutemque suam desertam ab eo esse, quorum ne sepultura quidem relinquenda fuerit. Tetricus mox in triumphū ductus ignauiam insignem insigni ignominia cumulauit. Hunc Lucaniæ aliquantò post præfecit, eleganti ioco hominem aspergens, sublimius habendum regere aliquam Italiæ partem, quàm regnare trans Alpes. Tetrico relictis Gallis, eo quo dictum est modo, ad Aurelianum transeunte, Francos in Galliam irruentes & vagos intentosque populationi sic afflixit legionis sextæ Gallicanæ Tribunus, apud Moguntiacum, vt trecenti ex his capti, septingentis interemptis, sub Corona postmodum vænierint.

Aurelianus Imp. *A. C. 273.* *Oros. l. 7. c. 23.* *Fl. Vopisc.*

Cæterum Aurelianus magis pace ac bello virtutibus principatum suum commendasset, nî labem maximam inussisset impietas: sæuiit enim in Christianos immaniter: nec arente subitò manu, à scribendo contra pios edicto, diuinaque vltione digitorum commissuris eneruatis, ab instituto prohibitus est. Itaque Christianorum sanguine imbutus ferox imperator quinto ferè principatus anno seruorum fraude à familiaribus occisus est.

Euseb. l. 7. hist. 24.

CAPVT TRICESIMVM SEPTIMVM.

Gallia sub Probo.

Probus Imp. A. C. 280. Euseb. & Cassiod. in Chro.

AVreliano imperatore sublato ministri cuiusdam, cui secretorum officium crediderat, proditione; Tacitus, ac inde Florianus fratres imperium accepere, sed iis vno prope mense sublatis; Probus non nomine solum, sed & moribus, quanquam agresti patre, & hortorum studioso genitus, ab Orientali exercitu, Senatu Populoque Rom. flagrantissime exoptantibus, imperio præficitur. Hic initio principatus, auidos Galliarum Germanos, qui audita Aureliani cæde, è suis finibus emerserant, multáque oppida munitissima occupauerant, tanta exegit felicitate; vt cæsa innumerabili multitudine, non in suas modò terras vltra Nigrum & Albim fluuios compellerentur, sed obsidibus datis imperio se submitterent, Chrocũ ferunt eorum Ducem, apud Arelatem captum, diuersis affectum suppliciis meritas pœnas luisse. Tum primùm inuicta hactenus Germania, in prouinciæ formam redacta est. Inde cum Galliam, Pannonias, & Mœsorum colles vinetis repleuisset, Orientem perlustrauit, quo illum Saturnini Galli rebellio accersebat: eodemque tractu temporis ab Gallia Proculo & Bonoso Ducibus turba-

Vopisc. Aur. Vict. Greg. Tur. hist. Fr.

tum

tum est, LX. ciuitatibus ab imperio desciscentibus. Sed prodentibus Germanis, quorum ope freti in Romanos se erexerant, nullo negotio imperium recepere.

CAPVT TRIGESIMVM OCTAVVM.

Francorum virtus sub Probo.

CRescebat tunc & multitudine hominum, & rerum gestarum gloria ac fama gens Francorum; his in vindictam acceptæ nuper cladis in Galliam effusis, ne quid bello vltra molirentur, datæ ab imperatore quas incolerent, terræ: nec illis quidem sufficientibus, ingens numerus mare inscendit; quascumque oras lustrauerant, tantùm terroris circumferebant, vt eos armis aggredi perculsæ gentes non auderent, sed passim in latebras diffugerent. Memorabile illud & ad bellicæ laudis gloriam insigne factum celebratur: exiguas Francorum copias ipso gentis initio, cùm eas Probus imperator in Pontum captiuas abduxisset, nauibus aliquot interceptis, Græciam Asiamque populatas, & plerisque Lybiæ littoribus appulsas, ipsas postremò naualibus quondam nobiles Syracusas cepisse, & immenso itinere permensas, Oceanum, quà mediis influit terris, intrauisse: inde Africam subiisse, vnde tandem pulsæ, abductis Carthagine, quam vrbem

Probus Imp. Eumen. Rhet. Panegyr. Maximiano dict. Zozim. l. I. A.C. 278.

castris positis terruerant, copiis, nihilominus domum rediêre, non modò nullum passæ detrimentum, sed spoliis tot gentium auctæ. Illa nimitum incredibilis audacia, digna felicitas, & stupenda paucorum fiducia, tam prospero furtiuæ expeditionis euentu, argumento fuit, *nihil esse clausum* Seneca. *Francicæ virtuti, quo nauigiis pateret accessus: naturamque fortibus viris terras omnes aperuisse.* Incessit haud dubiè cupido repetendæ Galliæ, sed Probi Imp. authoritate, tot bellorum felicitate, ac tanti denique Principis metu in præsens coërciti, ab consilio destitere: nec eo breui ab suis crudeliter apud Sirmium cæso id ausi sunt: quippe Carus Imperator, quem multi Narbonę natum tradunt, Carinum filium ad coërcendos Transrhenanorum impetus, quibus continenti propè bello Galliæ appetebantur, cum validissimis copiis præmiserat.

Carus Imp. A. C. 284.

CAPVT TRICESIMVM NONVM.

Gallia sub Diocletiano & Maximiano.

Diocl. & Maxim. Imp. A. C. 286.

NEc multò post Val. Diocletianus, cui postea Iouij cognomentum accessit, cæso Apro Druidæ cuiusdam (quæ cum demum fore imperatorem prædixerat, cùm aprum interfecisset) Oraculo fidem facturus, consensu militum singulari (quippe is gregarius primùm miles, ex se-

qui ortus familia, virtutibus bellicis nomen & famam meruerat) imperium adeptus est. Verùm obstabat Carini Galliarum ope subnixi potentia, Imperatoris filius, multa iam militiâ inter gentes bellicosissimas exercitatus, collectis ingentibus copiis non expectauit, sed occupauit hostem: ducto eò exercitu vbi æmulum offenderet. Certatum est in Mysia iuxta Murgum vtrinque acriter, sed Gallorum virtute victor Carinus euasit, à quibus tamen quòd coniugibus eorum stuprum vi inferre consueuisset, dùm victum hostem auidè premeret, obtruncatus est; adeò acres Galli in vlciscendis vitiis quæ contra fas ac pudorem sunt, extitere, *Quibus scilicet à natura insitum est, luxuriosos Principes ferre non posse.* Veriti insuper ne assuetum libidinibus Carini ingenium, magis magisque victoria insolesceret. Quæ vbi cædes in Galliis est nunciata, Heliani Amandique ductu excita agrestium, (Bagaudas vocabāt) manus, omnem regionem continuis direptionibus populatur, nonnullæ etiam clarissimæ vrbes ea rustica insolentia & fœda grassatione excisæ sunt: tum promiscuè velut aperta licentiæ ianua, militares habitus ignari agricolæ appetiuerunt: quippe antea intolerandis Carini Cæsaris iniuriis irritati, Galliam omnem ferro ignique vexauerant. Ea res Diocletianum mouit vt Maximianum, (cui postea à numinis cultu Herculio nomen fuit) in Cæsarem ascitum, amicitia præcipuum sibi, ac militiâ

Aur. Vict.

Treb. Poll. in Gallieno.

Mamer. Paneg.

Saluian. l. 5. de prouid.

strenuum ad eos tumultus coërcendos præmitteret. Nec tamen acie decertare ausus: sed insidiatus temporibus, opportunis locis ac leuibus præliis adeò fatigauit, vt breui incondita multitudo nulli astricta sacramento diffluxerit.

CAPVT QVADRAGESIMVM.

Franci sub Diocletiano & Maximiano.

Diocl. & Maxim. Eutr. l. 9. Aur. Victor. Mamert. Paneg. A. C. 288.

SIc quieta Gallia, omnis bellorum materies sublata videbatur, cùm ora maritima ab Rheni accolis, (Francos fuisse nonnulli & Saxones asse unt) latrocinij more infestatur. Huic bello conficiendo præfectus Corausiul, promptissimo ingenio Dux inter Menapios, prædones suis partim nauibus, partim præda diu facta spoliauit. Iussus in ærarium referre, aut prouincialibus res ereptas reddere, Herculio illusit, Britanniamque sumptis imperij insignibus annos septem tenuit, donec ab Alecto quodam cæderetur, quo ferè tempore eidem Maximiano cum nobilissimis Francorum se Genobon Rex apud Treueros dedisse fertur. Hæc cùm in Occidente gererentur, magnæ Orientem turbæ conuellunt: vt in Cæsarum familiam, Constantium & Gallierium inducere imperatores cogerentur. Nouis imperij consortibus, sua etiam iura imperiaque data Relictus in Occidente Constantius, Dux tantis haud

dubiè rebus quas gessit maximas, superior: *A. C.* 291.
is Francos Carausio & Alecto adhærentes
ob implacabile in Romanos odium, ad *A. C.* 293.
Rheni ripam profligatos vltra summouit:
tum incredibili celeritate vsus, Gesoriacum, censibus murisque peruicacem ciuitatem cepit: cùm priùs omnem sinum illum portus quem statis vicibus æstus alternat, defixis in aditu trabibus, ingestisque saxis inuium nauibus reddidisset: eo ferè modo, quo superioribus annis LVDOVICVS XIII. RVPELLAM in Santonum portu feliciter expugnauit. His in continenti gestis, Classe victus in Britanniam, vbi Alectus fortunarum suarum spes vltimas collocauerat, apud Londinum Regionis caput Francos Anglosque vasta vtriusque gentis strage cecidit: tandemque interempto Asclepiodoti Prætorio Præfecti operâ Alecto, decimo quàm à Rebellibus occupata fuerat anno, insula recepta est: ac ne vlla turbandi imperij materies Barbaris relinqueretur, traducti in continentem Britanni: vt quicquid infrequens Ambiano & Bellouaco, Tricassino Lingonicoque restabat, vario cultore reuiresceret: ac imprimis clarissima tunc Æduorum ciuitas ex hac Britanicæ facultate victoriæ, plurimos, quibus illæ prouinciæ redundabant accepit artifices; vt ea tum veterum extructione domorum, tum operum publicorum refectione, ac templorum denique instauratione nobilior magis ac magis consurgeret.

Diocl. & Maxim. Imp. A. C. 298.

Paneg. Constãt.

Acriùs interim ea bellorum vis tempe-

stasque vrgebat à Germanis, qui turbato vndique imperio, Galliam multò maioribus quàm antea copiis ingressi, potiundæ terrarum longè optimæ spem maximam conceperant. Eò Constantiùs magnis itineribus aduolauit. Primo belli impetu circa Lingonas penè oppressus à Barbaris fuit: eóque ventum est rerum, vt funibus per murum tolleretur, cùm repente Germani irruentes, vrbem penè victores subiissent. Sed aduentante mox exercitu, progressus in hostem, feroces animos & rerum nuper gestarum felicitate elatos compescuit.

CAPVT QVADRAGESIMVM PRIMVM.

Diocletiani impietas.

PAri fortuna alia imperij bella ab diuersis exercitibus confecta sunt: Partho vltra Tigrim redacto, Daciâ restitutâ, porrectis vsque ad Danubij caput Germaniæ Rhætiæque limitibus, Batauiæ Britaniæque vindicata rebellione, recepto denique virtute imperantium orbe terrarum penè toto, vigebat florebatque, si potest vlla esse impietatis felicitas, imperium. Sed non his quietis temporibus, quies indicta Christianis ab sæuissimis imperatorum. Nusquã aut magis aut frequentiùs aut immaniùs sæuitum accepimus in Pios: quæ illis, malum, res aut ratio, *tantum potuit sua-*

Diocl. & Maxim. Imp. Panegy. Max. dict.

dere malorum? Toto imperio Romanorum, laniati, vsti, secti, fixi Christiani. Nec vlla prope ciuitas aut locus, nō exhibuit cruentissimæ lanienæ speciem: quanquam Constantij humanitas vltra Alpes grassati malum, quà potuit licuitque vetuerit. Non singulorum cædibus Tyrannorum impietas bacchabatur: xx. piorum millia vno incendio in Phrygia, Thebanorum sex millia Mauricio Duce in Alpinis Regionibus apud Sedunum ferro periere. Christianorum nomen, si Deo placet, extinxissent immanissimi Carnifices, nî abdicato Imperio Diocletianus & Maximianus, hic ægrè, ille sponte, magno orbis vterque commodo, in priuatam vitam concessissent. Experiendo nempe Tiberianum illud didicerant, *quàm arduum, quàm fortunæ subiectum regendi cuncta onus; quanta moles molestiaque imperio inesset.*

Euseb. in vit. Const.

Tac. l. 1. ann.

CAPVT QVADRAGESIMVM SECVNDVM.

Gallia sub Galerio & Constantio.

DIuiso inter duos imperio: Illyricum, Asiam, Orientem totum Galerius, Italiam, Galliam, Hispaniam Africamque Constantius obtinuere. Sed huius tantus in Gallos affectus fuit, tantaque moderatio potentiæ, vt Italiam Africamque Collegæ vltrò relinqueret. Vir tam expers ambitio-

Galerius & Constantius Imp. A. C. 306.

nis, quàm præstantissimæ ciuilitatis plenus; cùm vnis prouincialium suorum commodis studeret, quippe qui identidem dictitaret, *longè melius publicas opes à priuatis haberi, quàm intra vnum claustrum referuari:* nunquam profectò excelsior principatus, quàm cùm se publico; summittit officio. Itaque Gallis non amabilis modò, sed venerabilis fuit, ac tantò gratior, quò nuper ferociores Principes extitissent; in Britanniam traiecit, ac paulò post singulari omnium desiderio, Eboraci, quæ vrbs insulæ clarissima est, hominem exuit: sic se gerendo minimè est mirandum, si & vita eius secura, & mors acerba fuerit. Cæterum Belli aut Pacis artibus maior extiterit Constantius, dubium: nam celebres olim Augustodunensium scholas, incredibili erga iuuentutem Galliarum studio restaurauit: hisque Eumenium Rhetorem clarissimum præfecit.

Eutr. l. 10. Nazar Paneg.

Eumen. pro rest. Sch.

CAPVT QVADRAGESIMVM TERTIVM.

Vindicata Christianorum Religio.

CLarissimum inde orbi terrarum illuxit Constantini Magni sidus: quo Imperium Romanum & Christianorum imprimis pietas, tot nuper cruciatibus quasi extincta clariùs coruscaret: huius ortu reducta ab exilio fides religioque, superstitio

Constantinus Magnus Imp.

exulauit viciſſim: aris ſanctitas, templis honos, Chriſto cultus exhibitus: Deorum impuriſſima fana, Dæmonum horrenda ſacrificia, idolorum ſeruitus euanuit, quantùm ab impiis Principibus cladis ac contumeliæ inflictum fuerat; tantùm ab piiſſimo imperatore decoris, incrementi, ac ſplendoris, vera religio accepit. Talem profectò eſſe oportuit quem oppreſſa gentilium tormentis ac furoribus fides, & tandem exoratum terris numen tradidiſſet.

Verùm tot gentium ac populorum ſcriptis, literis, linguis, vocibus, libris, celebrata tanti imperatoris pietas, non tenuiſſimi operis ſtylo committi debet: inſtar voluminum exigit tanta virtus: & iam ad formam ſuſcepti laboris tacitè me reuocari ſentio.

CAPVT QVADRAGESIMVM QVARTVM.

Romani Imperij ſub Conſtantino Magno turbæ.

MAximinum & Seuerum, moxque Licinium Galerius; Maxentium Prætoriani, Cæſares creant. Citò Seuerus à Maxentio Maximiani, qui nuper cum Diocletiano purpuram inuitus exuerat, filio victus cæſuſque eſt. Maxentius à Conſtantino in Romanæ ciuitatis conſpectu ad pontem Miluium, quò vinceret glorioſiùs, pro- *Conſtantinus imp. Euſeb. l. 9.*

ann. 10. 2. ducto in acie Labaro, in quo, scripta hæc Græcis literis sententia legebatur, ΕΝ
Oros. l. 7 ΤΟΥΤΩΝΙΚΑ profligatus est, & in Tyberim cùm fugeret mersus; cùm antea Galerium atrocissimus morbus in vindictam tot scelerum, effusique sanguinis Christiani pœnam, vinis rapuisset, acutissimis doloribus, putrescentibus fœdè genitalibus diu meritó tortum. Ante hæc tempora cùm in Galliis ageret Constantinus, bellum gessit difficillimum in Francos, quorum innumerabilis copia violata pace nuper cum Constantio initâ, in eam se regionem effuderat: hos ita vix sumptis imperij insignibus adortus est feliciter, vt captis eorum Regibus Ascarico & Radagiso, mox post Triumphi pompam excæcatis: ac tandem Ethnico more (nondum enim Gentilium barbariem exuerat,) ad feras damnatis, spem omnem
Eutrop. l. 10. Panegy. Const. Marc. l. 15. ac redeundi fiduciam abstulisse cæteris crederetur. Cæsi innumerabiles, capti plurimi, vici omnes igne consumpti sunt, non ætati parcitum est: Puberes ad pœnas spectaculo dati, sæuientes bestias multitudine sua fatigarunt. Nec spreuit tamen gentem adeò illam, vt non aliquot cohortes quæ vltro eius imperium acceperant suis legionibus adiunxerit: quæ mox egregiam imperatori clarissimo operam in Maxentium Liciniumque nauauere Bonicio Vrsicinioque Ducibus clarissimis.

Constantinus Magnus Maximium Licinumque inuidia, cui faces suggerebant, *innata potentibus viris ambitio, & commune nobilitatis malum su-*

perbia, in Oriente commiserat: sed cæso breui apud Tarsum altero, oppressoque apud Massiliam Maximiano, quem ad spem resumendi post liminio imperij Maxentij filij fortuna crexerat: duobus Principibus adfinitate quidem iunctis, sed vita ac moribus differentibus; orbis vniuersus subesse non potuit, vtroque simul totius orbis principatum affectante. Licinium primò in Pannonia, secundò apud Cybalas, postremò Nauali ac terrestri prælio victum, Thessalonicæ, vt sublato æmulo, belli omnis materies tolleretur, habuit in vinculis; mox cum Barbaros in Constantinum sollicitare diceretur, eius iussu laqueo in collum inserto extinctus est, cum Liciniano filio qui nuper in Cæsarem ascitus fuerat cum Crispo Constantini. *Imp. Sall. Iug. A. C.* *Socr.*

CAPVT QVADRAGESIMVM. QVINTVM.

Franci sub Constantino Magno.

FInitis eo modo bellis Romanorum ciuilibus, respubl. diuersorum Principum factionibus ac dissidiis diu iactata vnius imperio arbitrioque regi feliciter cœpit. Gothi & Sarmatarum aliquot gentes orbis otium suis excursionibus conantur excutere: sed his vno aut altero prælio prostratis, quies iterum summa; impositis huic genti vectigalibus, quæ Romani nuper pensitare consueuerant, profligati etiam à

Crispo quem Constantino Patre genitum fere omnes, quidam Sororis filium faciunt; cæterùm egregio imprimis iuuene in Gallia Germani, ac pari. sorte Franci trans Rhenum eiecti, qui Clodomero siue Theodemero Duce improsperâ excursione Galliam tentauerant. Sic foris fœlix, ac bello potens, domi priuatis in rebus cum fortuna luctatus, partam in publico gloriam mirum quantum domi labefactauit Constantinus; Crispo primùm, mox vxore Fausta, veriùs Infaustam dixeris, quæ se & insignem priuignum perditum iit Phœdra impotentior, pòst numerosis amicis furioso animi impetu, si tanta barbaries in tantum imperatorem cadere potuit, interfectis: breui tamen restituta meliori mente, compositis imperij ac Religionis rebus, permissa Pont. Maximo Roma, translata in Thraciam imperij sede, Byzantium ab Seuero imperatore excisum restaurauit: tanto studio, vt Romæ æmula ciuitas, sedes Orientalis imperij esset, & ab Conditoris memoria CONSTANTINOPOLIS diceretur.

Eutrop. l. 10.

Zon. l 3.

Constantinus Magnus Imp.

A. C. 355.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEXTVM.

Diuisio imperij Romani.

HOc facto Romani terrarum hactenus victores ac domini, post sedem imperij ex vrbe remotam, quantum libertatis

adepti ſunt, tantum priſtinæ dignitatis amiſerunt, capti, direpti, incenſi, vel odio ſequentium mox imperatorum, vel ignauiâ ac ſupina Præfectorum Italiæ negligentia, opes infirmiores & ſpiritus humiliores nacti ſunt, quanquam in tantis detrimentis, vna ipſius latè eccleſiis omnibus imperantis Pontificis ſede, veterem ſplendorem nominis tuerentur: ac minus videretur quod bellicus labor ſubdiderat, quam quod ſubiecerat pax Chriſtiana. *Sigon. l. 1. Reg. Ital.*

Quis verò hic rerum humanarum incertas vices non doleat? quis non ſtupeat, à tam pio Imperatore eam vrbem reſtauratam & appellatam, quæ tantæ aliquando impietatis caput eſſet, & Barbarorum Principum ſedes? nimirum ea labes inuſta Chriſtiano nomini fuit in vindictam ſcelerum: & Religioni erepta eſt imperij pars pene optima, ac prima velut hæreditas, vbi primùm à maiorum pietate receſſimus. Sed ad inſtitutum reuertamur. Diuiſo tribus liberis imperio, iuxta Nicomediam cùm de coercendis Parthis qui in Meſopotamiam irruperant, cogitaret: exceſſit è viuis Conſtantinus anno imperij xxxij. cùm paulò ante inuſitatæ magnitudinis ſtella fulſiſſet. Religionem Chriſtianam imprimis auxit: nec vlli rei intentior viſus eſt, quàm quæ pietatis partes promoueret, vt plus apud illum Principem iura pietatis, quam omnes opes valerent. Nec verò ſine diuino quodam conſilio factum putem, vt recedentibus in Orientem imperatoribus, Ro- *Conſtantinus Magnus Imp. Aur. Vict.*

mani Pontifices finitimas prouincias suæ ditioni aliis aliisque temporibus Francorum beneficio annecterent: cum cæteri passim populi ac Principes ruentis in Occidente imperij reliquias quasi è naufragio colligerent: & quæ orbis quondam Regina extiterat armis ac viribus, eadem suum decus potiori Religionis iure Roma nullius addicta imperio retineret.

Prosper Aquit.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mūdo, quicquid non possidet armis
Religione tenet.

CAPVT QVADRAGESIMVM SEPTIMVM.

Gallia sub Constantino, Constanti & Constantio Magni Constantini liberis.

Vix condito Parente latius imperandi cupido fratres in mutuam armauit perniciem. Constantinus transgressus Alpes cum ingenti exercitu, Constantem fratrem armis aggreditur: sed cùm apud Aquileiam prælium init inconsultius, ab hostibus interfectus est vix expleto triennio, ita respublica ad duos redacta est, Constantio Oriens cessit, quo tempore grauis in Constantem fit coniuratio, authore factionis Magnentio Comite: is è Francorum gente ortus, atque illis potissimum parentibus, qui Gallias inhabitabant, Constantem Gallis intolerabilem quod tributis

Socr. l. 2. Eutr. l. 10. Aurel. vict. Sozom. l. 3. & 4. Zon. A. C. 340.

onerarentur, militibus ingratum, inter conuiuandum Augustoduni reddidit: mox imperio ita exuit, vt in Hispaniam fugâ se proripere cogeretur, vbi in castris Helenæ ad Pyrenæos occisus est: cùm annos ferè xiij. in imperio posuisset. Tum compressis Francorum aliquot tumultibus, Nepotianus in Italia, in Pannonia Veteranio, hic militum, ille gladiatorum factione in imperium assumuntur: Nepotianum Magnentius per Marcellinum Ducem egregium profligat caditque: alterum ad suas partes tractum ingentibus promissis nouo insusitatoque more consensu militum, purpura spoliauit Constantius: qui ascito in Cæsarem Gallo Patrueli suo, & Constantinæ sororis nuptiis allecto, nequid in se moliretur, relicto in Oriente Liciniano, ad fraternæ necis vltionem, opprimendumque Magnentium aduolauit. pugnatum est tantâ partium pertinacia apud Mursam in finibus Pannoniæ, vt ea dimicatione in serenissimam noctem pertracta imperij Romani vires consumptæ ac exhaustæ penitus, Barbaris occasionem diripiendi mox imperij præbuerint.

A. C. 350. Cōstantius Imp.

A. C. 352.

Profligatus Magnentius in Italiam primùm, inde Galliam cui Decentius frater, quem Cæsarem creauerat, præerat, fugit: sed cùm victoris fortunam Galli sequerentur, desperatis vna acie rebus, vitæ vim suæ apud Lugdunum attulit: fratre quoque ad similem vitæ exitum compulso. Sic ad vnum rediit imperatorem res iterum

A. C. 353. Zozim.

Romana: nec difficulter tot victor hostium ciuilibus bellis extinctis, Germanos in Galliam suo more effusos coercuit: verùm dimissis copiis, ferox gens & potiundæ regionis dudum auida, Gallias populatur; easque haud dubiè inuasisset, ni strenua Syluani Francorum Ducis virtus compressisset impetum. Hic Bonitij, (eius qui sub Constantino Magno in Licinium meruerat) filius, per militares gradus via virtutis eò ascenderat, vt ab Constantio quanquam amaretur, timeretur magis: accusatus ab inuidis, quorum princeps Apodemius fuit, apud imperatorem, quod res nouas moliretur in Galliis, haud ignarus quantùm sibi exitij ab Principe, quamuis hæc falsò fingeretur, impenderet: *vt in rebus asperis & tenui spe, fortissima quæque consilia tutissima sunt*: non promptius salutis expediendæ consilium habuit, quàm annitente Malaricho, aliisque Francorum præcipuis Ducibus, imperij insignia illico assumeret. Ea res Mediolanum delata, tantam attulit Constantio animi consternationem, vt ictum fulmine, adeò mens hominem stupentem deseruerat, credidisses. Interim Vrsicini aliorumque vsus consilio imperator, cùm arte non marte cum Syluano pugnandum esse censuisset, vocatus ad colloquium Francus, corruptis ingenti pecunia iis, à quibus præsidium sperauerat legionibus, ante diem sumpti Coloniæ imperij tricesimum, extractus ædiculâ Christianorum, quò visis armatis confugerat, perfidiosè trucidatus est.

A.C. 354.

Amb. Marc. l. 15.

A.C. 355.

Liu. l. 25

Constantius Imp.

CAPVT QVADRAGESIMVM OCTAVVM.

Franci sub Constantio.

HVius casu Francorum virtus repressa paulumum subsedit, vt breui velut sumpto spiritu altiùs assurgeret; tandemque vt rebus humanis orbem esse intelligas, prolabente imperio Romanorum, imperium componeret. Iamque noui principatus antelucana prælucebant, Francis ipsis, Germanis, Saxonibus, aliisque gentibus Gallorum fines infestantibus. Post interitum Rebellium, quos ad hæc tentanda quæ mouerunt, rabies egit & furor, velut impiis eorum manibus Romano sanguine parentantes, insultarunt ferocius barbari, Galliasque rupta limitum pace, ingressi atrocius quam anteà populantur. His territus Constantius, veritusque ne ea imperij pars nobilissima ab imperio auulsa recederet, Claudium Iulianum, Galli nuper à se interfecti fratrem, patruelem suum Cæsarem creatum Galliis præficit, is quod *proprium est prudentiæ conciliare sibi animos hominum, & ad vsus suos adiungere*, pertractis ad partes Romanorum Francis, repressisque Galliarum quatenus ferri fierique potuit tributis, tantam sui famam excitauit, vt ad eius castra nobilissimi quique Gallorum ea illecti humanitate conuolarent,

Am. Marc. ibid.

Cic. 2. offic.

A. C. 356. fusos etiam nuper in campis Argentoratensibus Germanos, secundo prælio adeò profligauit: vt captis aliquot eorum Regulis Chonodomaro & Bodomario, flueret hostium cruor amnium modo, aceruique ingentium cadauerum, montium similes late surgerent, quo tractu temporis Vrsicinus Francus Illyrium ab Quadis & Sarmatis vindicauit.

A.C. 357.

A.C. 358.

CAPVT QVADRAGESIMVM NONVM.

Franci sub Iuliano Apostata.

His fere temporibus à Gallicanis legionibus Iulianus Augustus salutatur, eò promptius & alacrius, quòd Germanorum (vt prædiximus) & Francorum, qui arces quò se reciperent, extruxerant, metu grauissimo & anxia solicitudine, Gallias feliciter liberasset. Franci enim Coloniam Agrippinam Romanorum seruitute oppressam, longâ obsidione deditionem facere coegerant: magnoque se latè furore iactasset ea gens, si fiduciam, quâ patebat, peruagandi habuisset. Sed itum obuiam furentibus: nam singulari animi sagacitate ac diligentia vsus Iulianus, quod in arduis expeditionibus fieri suadet necessitas, frumento ad diuturnitatem vsus excocto, Buccellatoque, vt vulgò appellant, humeris libentium militum imposito, secundis vt

Iulianus Imp. Am. Marc. l. 12. & 10. Pont. l. 2. c. & 8. Greg. lib. 1. c. 19.

ante auspiciis profectus, Francos eos videlicet quos Salios consuetudo appellauit, olim in Romano solo apud Toxandriam, id est, Brabantiam sedem sibi figere prælicenter, petit: inde Chamauos similia ausos adortus est: ac tandem Alemannos Regum suorum ferocia immaniter tumentes, & rapinis ditescere assuetos redegit in ordinem. *Iulianus. Imp.* Peruasit etiam Francorum, Ansuarios vocant, licentius Galliarum extima perscrutantium regionem, quos secutos ac nihil hostile metuentes cælis, captisque plurimis oppressit. Fecerat etiam integritatis ac principis optimi fidem Iulianus, vocato in ius Numerio Galliæ Narbonensis Proprætore, quem infinitis direptionibus populares suos vexauisse fama constans euulgabat. Incitatus tandem suorum studiis, & Galliarum imprimis legionibus opibusque ferox ac potens, in Constantium erupturus erat, quippe qui imperium vnius regi spiritu oportere censeret, cùm eo in radicibus montis Tauri apud Mopsocrenem viuis erepto, destitit ab incœpto. *A. C. 360.* Itaque rerum potitus, vt erat gloriæ cupidissimus, in Persas proficiscitur. *Socr. l. 3. Sozom. l. 5. & 6.* Nec dubia erat Romanorum ex hostibus victoria, ni à Piis desciscens, eiuratâ proiectaque Christianorum fide ac religione, cœlestes iras in se ac suos tanto facinore vertisset. Itaque cùm audacius quàm imperatorem decet, *cui nimirum salus propria cùm semper ad securitatem omnium, tum maximo in bello est conseruanda*, suorum ordines ad præ-

lium restaurandum nititur componere, missa incerto authore; diuinitus creditum est, directa sagitta vulneratus lethaliter, expertus est, *nullas esse aduersus Deum hominum vires.* Ferunt saucium Iulianum lymphatico similem, quem puderet tam turpiter mori, stillanti è vulnere cruore manum impleuisse, proiectoque ferociter, in hæc verba erupisse, *Vicisti Galilæe, satia te sanguine quem sitisti Nazarene.* In hoc Constantini Magni soboles extincta est, cum pridem virtus obsoleuisset: tantumque cladis illatum est imperio à Barbaris, quantum ab eius pietate Iulianus cognomento Apostata recesserat.

Iustin. lib. 2.

CAPVT QVINQVAGESIMVM.

Franci sub Iouiano & Valentiniano.

Iouianus Imp. Valentinianus Imp.

IVliano in eum modum extincto Iouianus Pannonicus præclaris initiis rerum summæ admouetur: non suscepto prius imperio, quàm Duces ac milites Christianos se fore profiterentur. Sed eo felix, non perinde alia feliciter est assequutus. Nam turpissimo pacto ab Persis pacem redimere coactus est, ac statim septimo imperij mense adepto quàm gesto imperio clarior, Constantinopoli extinguitur, tum ferocius quàm antea Barbari imperij fines irrumpunt. præcipuus Germanorum in Gallias impetus. Valentinianus Cæsar, missa

in Orientem Valente, prima armorum impressione cum barbaris improsperè, alterâ tàm feliciter rem gessit, vt ingens hostium multitudo cæderetur, horum reliquiæ ab rege gentis Bagalitrando collectæ, post aliquot vrbium vastationes sparsæ ac palantes, à Romanis & Gallis profligatæ sunt.

Vigebant rerum gestarum gloriâ Franci, prostratis nuper ad Rheni Ripam propè Moguntiacum cum Macriano Rege Alemannis, quod is Francorum fines vastare tentasset. Nam interceptus Mellobaudis bellicosi Regis insidiis oppetiit: ab his cùm tributa aliarum more gentium exigeret Valentinianus, inuictæ virtutis testem, & gentili dignum libertate vocem excepit: namque illi ferociter recusare, liberos se ac seruitutis expertes palam profiteri occipiunt. Miratus gentis fiduciam imperator libertati reliquit. Quis hic ferat absurdam, ne quid asperius dicam, ineptamque eorum opinionem, qui Francos à libertate & ferocitate tum inuenisse nomen, quòd Valentiniani Imp. stipendiarij esse haberique noluerint: cùm centum & amplius retrò annis clarissima eorum mentio sub Gallieno nimirum imperatore vsurpata sit? quanquam (si verum fateor) non negem inde fluxisse Francorum nomen, quod è finibus emergentes suis: nulli prætérquam popularium suorum imperio addicti, immunes ac tributorum expertes omnium, libertatem quæ veteri Theutonum linguam

Am. Marc. l. 30.

Valentinianus

Imp. Freyghum & Francken dicitur, in Romanos
Auent. strenuè asserere; quos insigni victoria vbi
l. 4. primùm innotescere incœperunt, prostra-
Hottom. uere: adductis deinde in suas partes innu-
cap. 5. meris, quos idem libertatis amor pertrahe-
Fran- bat. Nec enim tacite Tacitus ille meus
cogall. scriptor vndequaque diuinus, Caninefa-
Tac. tum nomine Francos notat: *Clara ea victo-*
hist. 4. *ria in præsens, in posterum vsui: armaque &*
naues quibus indigebant adepti magna per Germanias Galliasque fama libertatis authores celebrantur, adeo vt turbato dudum imperio, à Francis otium Romani mercarentur. Cuius rei, vt & istorum ferè temporum testem hic proferre non pigebit pudebitque, vbi de Francis,

Illi terribiles quibus otia vendere semper
Claudian. *Mos erat, & fœda requiem mercede pacisci.*

CAPVT QVINQVAGESIMVM PRIMVM.

Imperium à Barbaris laceratum sub Valente & Gratiano.

Valent. Imp. Sed iam abruptum rerum ordinem retexamus. Hoc ferè tractu temporis, Burgundiones haud certioris originis quàm cæteri qui hoc sæculo innotuerunt, populi, nam à Burgis ad Rhenum ædificatis dictos ferunt à Scythis aut Gothis, Sueuis, Thuringis, aliisque profecti, in Germanos à

Romanis primum aciti, inde ob metum potentiæ à Valentiniano Imp. re infecta remissi, redeundi mox consilium iniere, illecti scilicet eius regionis quam gustauerant vbertate. Sic prolabente sensim imperio, nouæ se velut Coloniæ accingebant comparabantque; vt facto agmine hinc inde vbicumque fors vellet ac suaderet, incumberent. Hunni vltra Mæotidem posita gens, fusis Alanis ac Gothis, torrentis instar cuncta passim disturbantis, graue damnum imperio Romano aduexere Gothi Pannoniâ, Thracia aliisque regionibus vi occupatis Valentem imperatorem Arianum atrocissimo prælio profligant; ac leuis illa forsan clades extitisset, ni miserabili imperatoris casu foret, excepta, in casa pastoritia supposito à Barbaris igni XIV. Imperij anno viuus exuritur, digna impio Principe pœna. Gratianus interim Valentiniani filius res feliciter gerebat in Germanos: Nam apud Argentoratum XXX. hostium millia fatali loco cecidit, Galliaque vel tum pacauit interfecto in acie Priario Rege tot turbarum concitore.

Valens Imp.

Gratianus Imp.

Socrat. l. 5.

Sozom. l. 7.

Am. Mar.

Zon.

Sed cùm materies vndique nouis bellis ac tumultibus in disiunctissimis imperij partibus excitis pullularet, quanquàm integris familiæ rebus, & Valentiniano II. fratre, quem nuper imperij consortem asciuerat, fretus; tamen cùm extremum periculum ab Gothis superiori victoria elatis, adiunctis secum Hunnis, Alanisque

A. C. 380. instare nomini Romano intelligeret: accito ex Hispania Theodosio Duci per omnia maximo; quippe qui tanto indigeret adiutore imperium committit. Nec mora probandæ virtutis occasionem Barbari trans Istrum præbuere: quibus exigendis cum egregius imperator laboraret, submissæ sunt à Gratiano Gallicanæ legiones, Baudone & Arbogaste Ducibus Francis: tum illi facilè profligati sunt.

CAPVT QVINQVAGESIMVM SECVNDVM.

Franci sub Theodosio Magno.

Theodosius Imp. Vell. l. 2. QVo tempore Maximus Hispanus, vt *Assidua est eminentis fortunæ comes inuidia, altissimisque adhæret*, Theodosij gloriæ supra omnem modum hostis, in Britannia Tyrannidem arripuit: in Galliam qua Rhenus Oceanum subit transmissus, ab infensis Gratiano legionibus exceptus est, Gratianumque in fuga Lugduni *Theodosius Imp.* deprehensum extinxit, & Valentinianum Augustum Italia expulit: hoc facto cœtu piorum & sacris ab Ambrosio Mediolanensium Episcopo interdicitur Maximus.

Nec prætereundum, Britannos Maximi in tuenda Tyrannide adiutores, Gonano Duce eam Galliæ partem, quam olim Armoricam quòd ad mare vergeret, nunc minorem Britanniam appellamus, insedisse.

Quo

Quo etiam temporum tractu, insignis vndecim Puellarum millium Colonia celebratur. Hæ maximi Tyranni iussu, ex Britannia in Armoricam ad sobolem propagandam nauigare compulsæ, vi atrocissimæ tempestatis, in eam Germaniæ inferioris oram, qua subit Oceanum Rhenus disiectæ, à Barbaris pro CHRISTI fide ac pudoris integritate, victimarum instar mactatæ, IESV CHRISTO immortali sponso, æternum adhæsêre. Harum Dux VRSVLA, eademque ad geminam Martyrij ac Virginitatis palmam hortatrix memoratur.

Maximus interim occupatis Galliis, Treuerorum Ciuitate pro imperatoriâ sede vsus, Theodosij primùm amicitiam ambiuit: mox cum Valentinianum, vt dictum est, exegisset, odium immortale concitauit in se. Itaque victus acie captusque apud Aquileiam, & Theodosio redditus, eius iussu cum Victore filio quem intra infantiæ annos Augustum fecerat, necatus est. Restituto Valentiniano, peractâque Gratiani vltione, Theodosius in barbaros Macedoniæ fines infestantes victorem duxit exercitum. Tum Arbogastes Francus Tribunus militum, quorum fauore ingens, Imperatori vltrò illudebat; ausus est insuper, vt *effractis semel offi ij repagulis crescit subditorum in Principe insolentia petulantiaque; cùm obsequij fines transiere.* Eugenium Rhetorem quidem eximium, cæterum haud tanto parem fastigio impe-

A. C. 388. *Aur. vict.* *Oros. l. 7. c. 35.*

A. C. 392.

rij insignibus, induere, ipso acturus imperium: mox fœda morte sublato apud Viennam Valentiniano, authoratâ hac cæde purpurâ, cum suo Principe festinantem ad tanti sceleris vindictam Theodosium occupare non dubitauit; primo belli conflictu felix, erat enim Gallorum Francorumque viribus innixus, Theodosium profligauit: sed insigni rebellioni pœna aliquando debebatur: vt *plerumque hominum mentes nimia prosternit felicitas*, contemptu hostis passim dispersi victores, deliciisque mersi, ab irruentibus subitò Theodosij copiis circumuenti opprimuntur. Eugenio in suis castris caput abscissum est, ludibrioque victoribus fuit facunda quidem, sed imperio indigna ceruix, tum prospexit sibi humanæ conscientiæ pauor: quippe hostilis exercitus paruâ suorum manu fusa, cum facile aciem reparare posset, ad victorem Theodosium vltro concessit. Arbogastes visa suorum defectione animi impotens desperatis rebus suo se pugione traiecit. Ferunt eo in prælio visos imperatori depugnantes diuinitus missos; vt cui terrarum imperia debebantur, ei cœlum quoque ipsum militaret. Turbo etiam continuus ora pectoraque hostium ita euerberabat, vt incedere, moueri in Theodosium, vibrare spicula nullo modo possent: aut quæ intorserant; ea, mirum! excepta ventis, in authores reflectebantur, hinc illa Poëtæ vox,

Theodosius Imp.

A. C. 394.

Oros. ibid. Paneg. 5. Theod.

Claudian. Greg.

Felix cui militat æther.
Et coniurati veniunt ad classica venti.

Nec dissimili euentu fortunæ in Francos ad Rheni ostium pugnatum est, cùm nuper Theodemeres vir Consularis, Francorum Rex, quòd aliquid in Romanos molitus esset, capitis supplicium cum Ascila seu Hastilia matre subiisset. Hi Genobaldo Marcomiro & Sunnone Ducibus more suo in Galliarum fines excurrentes, à Nannieno & Quintino primum repressi sunt: sed cùm recedentes inconsultiùs insequitur Quintinus magnâ clade à peritis regionum acceptâ, amissisque impedimentis redire cogitur. *Auent. lib. 1.*

CAPVT QVINQVAGESIMVM TERTIVM.

Franci sub Honorio & Arcadio.

FRanci audito Theodosij apud Mediolanum excessu, maioribus aucti copiis animisque, dissidentibus inuicem imperatorum rectoribus Rufino Arcadij, Stilicone, Honorij; Gothis etiam aliisque turbatis alias diuisi imperij partes miserè infestantibus, in Gallias irrumpunt ab VVandalis, Alanis, Burgundionibus fœdè vexatas. Stilicone Rufino, Gildone, Eutropio potentiæ æmulis confectis, fugatis etiam barbaris, in Francos (quorum pacem nuper auro veteri dudum more emercatus fuerat) conuersus, Marcomirum Sunnonemque prostrauit: Alterumque in Thusciam ca- *Honor. & Arcad. Imp. A C. 397.*

ptiuum abduxit. Sunno ab Popularibus suis seditione orta interfectus est immisso, vt credibile est à Stilicone percussore, ne Marcomiri indignam captiuitatem vindicaret; quanquam eò cælum nonnulli putent, quòd in Marcomiri captiui libertatem asserendam se accingeret. Interim Arcadius relicto impubere filio Theodosio, eiusque curâ Isdegerdi Persarum Regi, diffisus nimirum Honorio fratri, commissa, è rebus humanis eripitur. Ingratum Honorio fratris factum: cumque eò mouentem Constantinus à Gallicanis legionibus imperator appellatus, VVandalis aliisque Barbaris Godegisilo Rege in Galliã effusis
A. C. 407. continuit. Missus igitur in Gallias cum numeroso exercitu Satus Constantinum acie fusum, Valentiæ mœnibus clausum obsessumque ad vltima compulisset, ni Ebodechi Franci, Geruncíique Angli Ducum aduentu opportuno, in Italiam relicto oppido remigrare magnis itineribus, amissis inter Alpinas gentes impedimentis coactus foret.

A. C. 408. Constantinus liber, hoste exacto; Constantem filium è cœnobio retractum Cæsarem creat: ac breui Hispanias imperio
Honor. & Arcad. Imp. adiungit: nec enim difficile erat rebelli, remotas regiones sibi asserere repugnante nemine, Honorio scilicet grauissimis contra Alaricum Gothorum Regem bellis occupato; Stilicone ad hæc nuper cum Eucherio filio affectati imperii reo,
Zozomen. l. 9. interfecto. Angebatur tamen grauissimis

curis Constantini animus, & quanquam prosperis vndique rebus frueretur, occulto metu quatiebatur: lubricum imperij sui his potissimum artibus comparati iter, & plerumque fœdos exitus reputabat: suspectam ac dubiam gentium fidem, fluxos militum animos, tenuissimâ quâque fortunæ sæuientis aurâ mobiles, nec suas res, nisi vtilitate ac commodo metientes, proiectum furentibus imperium imperatoremque ipsum. His metus, per legatos Honorio imperatori, quem varia barbarorum bella obruebant, facilè conciliatur: sed à suis pene opprimitur, ac breui à Constantio Honorij Duce Arelate, (ea eius imperij sedes) captus, & in Italiam missus ad Minciũ, cæditur; Constans Viennæ à Geruncio trucidatur. Reuerso Romam Constantio Castinus suffectus est, qui variis præliis prosperè factis Francos ad vltra Rhenum summouit. Inde crebris cædibus in Gallia, Maximus, Iouianus, Sebastianus, Tertulus, qui omnes insignia imperij inuaserant, obtruncantur. Galliis interim in libertatem se strenuè vindicantibus: Romáque ipsa, Gothico incendio deuastata. Principis terrarum vrbis ruinas imperiique direptionem à Rauennensi speculâ Honorio imperatore, Innocentioque S. P. prospectantibus. Interea Rapsendial Alanorum Rex agmen suorum conuertit de Rheno, VVandalis Francorum bello laborantibus, cunctis VVandalorum ad internecionem delendis, nisi Alanorum vis in tempore sub-

Nicet. l. 14. Oros. l. 7. Paul. Diac. l. 14. A. V. C. 1162. Sec. Cassiod. 1174. Sec. Oros. A. C. 410. Frigeridus, apud Greg. Tur. Procop. A. C. 415.

uenisset, quo etiam anno VVandali qui imperium Romanis armis infestantes, Francos afflixerant, cum Godigisilo Rege profligati sunt: cæsis xx. Barbarorum millibus.

CAPVT QVINQVAGESIMVM QVARTVM.

Gothicum in Gallia regnum.

Honor. & Arcad. Imp. A. C. 415. NEc diu tantæ cladi superfuit Alaricus, cuius successor Atulphus omissa Italia: quippe quæ satis pœnarum Gothico furori dederat, Galliam Narbonensem omnemque Aquitaniam præter pactum incensa Burdegala occupauit. Inde pulsus, à Constantio in Hispania tandem consedit & VVisigothicum imperium instituit ipsius Honorij consensu, paucisque annis interiectis, eam Galliæ partem, quam nuper Atulphus tenuerat, Segerico filio concessit: ac breui suorum coniuratione, quod ille ingratum Genti suæ cum Romanis fœdus pepigisset, *A. C. 416.* Barcinone per insidias interfectus est. Stetit demum in Gallia tandiu Gothicum imperium donec à Francis Regibus tolleretur. Inuadunt eo tempore Sequanorum terras Burgundiones: Sic Barbarorum vndique incursionibus profcissum Romanorum imperium conuellebatur, aliis alios miseræ iam dominationis fines armis vindicantibus sibi

CAPVT VLTIMVM.

Franci Galliarum partem occupant.

HOc igitur temporum tractu Gallia omnis à tribus populis occupata miserabilem in modum distrahebatur. Romani quicquid terrarum est à Rheno ad Ligerim exceptis aliquot Armoricis ciuitatibus, quarum aliquæ Magistratibus Romanis expulsis, constitutaque pro arbitrio Rep. vsurpata libertate defecerant, tenuere. Gothi trans Ligerim totam occupabant Aquitaniam. Burgundiones circa Rhodanum ac superiorem Rhenum sedes fixerāt, paucis aliquot ciuitatibus in fide Romanorum manentibus. Franci quanquam Rhenum sæpe traiecissent, in veteri tamen & prima adhuc sua Francia, sola Galliarum depopulatione aucti continebantur. Sed puduit nobilem populum, totBarbarisGallias tanto à se studio diu petitas cedere. Igitur diuisi antea nominibus Franci, nam alij Salij, Anthuarij siue Ansiuarij, alij Ripuarij, seu Riparij, (nonnulli Sicambri passim vocabantur) vnum omnes Regem Pharamundum impositum prisco gentis more scuto, sustinentium humeris vibratum eligunt & circumferunt: Galliarum intima sub tanti Regis felicibus auspiciis petituri: nihil tamen eo Rege in Romanum limitem moliti sunt, Pharamundo togæ & pa- *Honor. & Arcad. Imp. A. C. 420. Tac. an. 20. hist. 4. Aul. Gell.*

cis artibus Incumbente; nam ab illis quas vocant Salicas legibus, sanctissima Regni auspicia cœptauit. Leuj tamen prælio cum aliquot oppidis, vt sequenti libro explicabimus, luctatus est.

EPILOGVS.

SED iam modus susceptæ operis parti imponendus est, perducta rerum à Gallis gestarum ad Francos serie, colligendus est animus: nouo potissimum & maiori bellorum ordine velut renascente. Cuius gemini opusculi, si literariæ & Francicę reipublicæ studiosos non pudeat; nec me pœnitebit laboris & vigiliarum mearum, quibus iuuentuti nostræ vtilitatis, & nomini Francico laudis aliquid attulero: tantò mihi gratius ac honestius quod inter Scholarum strepitus ac turbas: id quodcumque est, publico dederim. Eo me demùm voto Patriæ literisque astringo, quo grauissimum quondam virum vsum ferunt. Quantum vitę mihi deinceps Dei voluntate erit, quantumque à cura, procurandoque cultu adolescentium; in quo diu versatus sum, dabitur otium, ea omnia succisiua & subsecundaria tempora, ad colligendas huiusmodi memoriarum delectatiunculas conferam.

Finis primæ Partis Historiæ Gallo-Francicæ.



INDEX RERVM ET verborum memorabilium, quæ in Floro Gallico continentur.

A

B

C

F

H

I

M

N

O

Q

R

S

T

V

FINIS.